HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

241
B

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/examenconfessari01aemi

[illegible]

2 vols.

EXAMEN

CONFESSARII ET PAROCHI

SEU

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

PAROCHO ET EXAMINATORE PRO-SYNODALI

HOLY GHOST FATHERS
SCHOLASTICATE
FERNDALE, CONN.

FAVENTIAE

EX TYPOGRAPHIA NOVELLI

ANNO MDCCCLXXXV.

255 B

BX1759 B44x vol 1

Iura, quae a lege sunt, Auctor sibi vindicat.

INTRODUCTIO

Quum in opere, cui titulus *Praxis Confessariorum*, circa non pauca, quae ad praxim maioris momenti mihi visa sunt, paullo fusiore sermone immoratus fuerim; plures consilium mihi dederunt, ut, ad maiorem Sacerdotum utilitatem, posthabitis argumentis theoreticis, practicas tantum exponendo conclusiones, illud in compendium redigerem. Consilium mihi placuit, et novo operi statim manum admovi, ut iuvenes Theologia morali et pastorali imbuti, in exercendo vel Confessarii vel Parochi officio, non solum generalia quaedam principia calleant, sed etiam eas omnes advertentias practicas prae oculis habeant, quibus ignoratis, difficultatibus et periculo errandi nimis frequenter exponerentur.

Dum autem argumenta theoretica praetermisi, cupientibus ea cognoscere, locum praedicti operis, in quo reperiri poterunt, semper indicavi.

Compendium istud *Examen Confessarii et Parochi* inscripsi. Imprimis pro examine Confessarii exposui mate-

MAY 10 1981

riam de Sacramento Poenitentiae ; pro autem examine Parochi materiam de Officio Parochi. Quum vero tam Confessarii quam Parochi examinari debeant etiam circa alia Theologiae capita; ideo de universa Theologia tractatum compendiarium (a quo in scholis esset incipiendum) subieci.

Doctrinis hodie magis communibus ordinarie adhaesi; et, si interdum aliis sententiis adhaerendum esse duxerim, doctrinam communem (iuxta quam occasione examinis respondere expedit) indicare nunquam praetermisi.

Denique, quum, postquam *Praxim Confessariorum* absolverim, propter novas reflexiones, maxime vero propter nonnulla SS. RR. Congregationum responsa nuperrime data vel mihi cognita, aliquid addendum vel corrigendum existimaverim; id in hoc compendio praestiti.

CAPUT I.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

ARTICULUS I.

DE ACTIBUS POENITENTIS NEMPE DE CONTRITIONE, CONFESSIONE ET SATISFACTIONE.

1. *In quo consistat Sacramentum Poenitentiae?* Practice dicendum est quod in actibus poenitentis (nempe contritione, confessione, satisfactione) et absolutione Sacerdotis consistit. Scotistae tamen essentiam huius Sacramenti in sola absolutione reponunt, et dicunt contritionem esse necessariam ut Sacramentum gratiam conferat; confessionem vero exigi ex praecepto divino, sed solum quatenus fieri possit; unde censent absolutionem posse valere et gratiam conferre, quamvis poenitens (interne contritus) ex impotentia (ut puta, si esset moribundus sensibus destitutus) nullam confessionem facere potuerit.

2. *Quid est* CONTRITIO? Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.

3. *Quaenam sunt qualitates necessariae contritionis, seu doloris?* Dolor debet esse internus, verus, supernaturalis, summus, universalis, et efficax.

4. *Quandonam erit internus?* Quando poenitens non verbis dumtaxat et formula consueta dicit se dolere; sed quando ex corde peccata sua detestatur et sincere proponit ea amplius non committere.

5. *Quid sibi vult quod dolor debet esse verus?* Quod non sufficit dolor existimatus, qualis esset si poenitens quamdam displicentiam et velleitatem cum detestatione et proposito vero confunderet et sic se sufficienter dolere et proponere falso existimaret. *Praxis n.* 996.

6. *Quid significat quod dolor debet esse supernaturalis?* Quod eliciatur ex motivo supernaturali, seu lumine fidei cognito.

7. *Quaenam sunt haec motiva?* 1° Bonitas infinita Dei, qui meretur amari super omnia et non offendi; 2° Amissio Paradisi; 3° Poenae inferni vel purgatorii (vel etiam temporales, si recognoscantur lumine fidei tamquam a Deo inflictae): 4° Tur-

pitudo specialis peccatorum (si pariter lumine fidei dignoscatur). Primum motivum in amore fundatur et contritioni perfectae (quae statim iustificat) locum dat. Alia vero locum dant contritioni imperfectae, seu attritioni; quae etiam, absolutione superaddita, ad iustificationem obtinendam sufficit. *Praxis n.* 998.

8. *Theologi dicunt quod dolor debet esse supernaturalis non solum ratione* motivi, *sed etiam ratione* principii. *Haec doctrina quid sibi vult?* Quod dolor gratiae divinae auxilio elici debet. Expedit itaque ut ad gratiam istam obtinendam preces adhibeantur. Nihilominus, quando poenitens vere dolet ex motivo supernaturali, in rigore id satis est. *Praxis n.* 997.

9. *Ut dolor valeat, exigiturne aliquod principium amoris Dei, seu* (*ut dicunt*) *amor initialis?* Amor Dei est perfectus et imperfectus. Perfectus consistit in amando Deum quia propter suam infinitam bonitatem super omnia amari meretur; et amor huiusmodi (ne in gradu quidem remisso) exigitur; secus enim attritio non sufficeret. Amor imperfectus consistit in tendentia et reditu seu conversione ad Deum, tamquam ad unicum salutis fontem, cum spe veniae; et hic amor certe exigitur. *Praxis n.* 1004.

10. *Quid significat quod dolor debet esse summus?* Non oportet ut sit summus intensive, experiendo afflictionem sensibilem plus quam in aliis humanis infortuniis; sed exigitur solum ut sit summus appretiative, quatenus poenitens nihil Deo anteponat, neque intra se dicat: si talis vel talis circumstantia occurreret, iterum peccarem. Aliqui Theologi exigere videntur ut poenitens modo positivo *super omnia alia mala* peccatum detestetur; sed in praxi non oportet ut Confessarius circa id inquisitiones faciat; tum quia poenitentes solent efformare propositum absolutum et explicitum non peccandi de caetero, quod propositum odium peccati super omnia mala iam positive (quamvis solum implicite) includit; tum quia Suarez dicit quod dolor debet quidem esse positive summus si de contritione, non vero si de attritione agatur. *Praxis n.* 1005-1008. Vide etiam Tamburini (*meth. Conf.* I. I. 17). Certe non expedit quod Confessarius ante oculos poenitentis magna et atrocia mala ponat, ut experiatur an peccatum super omnia detestetur.

11. *Quid significat quod dolor debet esse universalis?* Quod, loquendo de mortalibus, extendi debet (saltem virtualiter) ad omnia peccata commissa et non adhuc remissa.

12. *Quandonam dolor non erit universalis?* Casus practicus contingit in illis, qui magnum habent affectum ad aliquam cul-

pam (v. g. propter amorem , vel odium , vel avaritiam , vel respectum humanum etc.) ; unde illud peccatum consulto minime detestantur, aut bona fide ita remisse detestantur ut velleitatem quidem sed non voluntatem absolutam illud deserendi habeant. Alius casus parum practicus contingere potest , si poenitens ex una parte peccatum oblitum et nunquam detestatum haberet, et ex alia dolorem praesentem ex motivo particulari ad illud non se extendente concepisset ; tunc enim ne virtualiter quidem dolor universalis esset.

13. *Si poenitens sola venialia haberet, oporteretne ut dolor circa illa quoque esset universalis?* Nequaquam. Quoad ista sufficit dolor de uno quin habeatur dolor de alio. Probabiliter sufficit etiam dolere de multitudine vel frequentia horum peccatorum, aut de hucusque habita emendationis negligentia. *De Recidivis n.* 194.

14. *An dolor non solum absolutionem, sed etiam confessionem praecedere debeat necessario?* Doctrina hodie communior affirmat ; sed scrupulus videtur, et probabilissime teneri potest contrarium. *Praxis n.* 1015.

15. *Utrum in administratione huius Sacramenti standum sit semper a parte tuta?* In conferendis Sacramentis standum esse a parte tuta (secluso casu necessitatis) notissimum est ; sed hoc intelligi debet non iam quasi securitas scrupulosa exigatur ; imo plures (contra sententiam hodie communiorem) censent probabiliter quod obligatio standi a parte tuta respiciat ea, quae a Ministro, non autem ea quae a suscipiente praestantur ; quando enim Sacramentum suscipiens probabiles dispositiones affert, id sufficit ; nec Minister, plenam securitatem etiam quoad partem a poenitente praestandam exigere tenetur. Theologi profecto circa varias doloris, propositi et confessionis dotes Sacramenti validitatem respicientes, plurima dubia movent, et si Confessarii ab iis omnibus (etiam quando dubium, ut ita dicam, oculos non percellit) in conscientia cavere tenerentur, iam administratio huius Sacramenti nimis onerosa evaderet. *Praxis* 1019.

16. *An inter dolorem et absolutionem unio moralis adesse debeat?* Affirmative. Attamen haec unio notabilem (etiam unius diei) latitudinem admittere potest ; quia hoc Sacramentum est ad modum iudicii. *Praxis* 1016.

17. *An dolor debeat necessario elici in ordine ad confessionem?* Affirmant hodie communius ; sed Lugo aliique probabilius negant ; elevatio enim actuum poenitentis ad materiam Sacramenti non ad poenitentem ipsum sed ad Sacerdotem spectat.

In Poenitente sufficit si adsint tales actus tamquam dispositiones. *Praxis* 1017.

18. *Si poenitens, obtenta iam absolutione, novum peccatum (in confessione oblitum) accusaret, essetne necessarius novus dolor?* Hodie communius affirmant; sed probabilissime id quoque tamquam scrupulus haberi potest. Sufficit enim si prior dolor fuerit conceptus ex motivo universali, nec credi debeat quod poenitens peccato accusato affectum habeat. *Praxis* 1018.

19. *Quandonam dolor erit efficax?* Quando includit propositum non peccandi de caetero.

20. *An* PROPOSITUM *debeat esse explicitum?* Practice affirmandum; idque certe verum est si poenitens cogitet de futuro. *Praxis* 1022.

21. *An sufficiat propositum explicitum sine dolore explicito?* Affirmative, dummodo poenitens proponat abstinere a peccatis propter offensam Dei aliudve supernaturale motivum: tale enim propositum odium et detestationem peccati commissi necessario includeret. *Praxis* 1023.

22. *Quomodo debet esse propositum?* 1° Universale; 2° firmum; 3° efficax.

23. *Quandonam erit universale?* Si agatur de mortalibus, debet extendi ad omnia. Sufficit tamen propositum abstinendi in genere a quavis offensa Dei, nec exigitur (imo interdum non expedit) ut peccata considerentur singillatim. *Praxis* 1024.

24. *Debetne extendi etiam ad peccata diversa ab accusatis?* Si menti occurrerent, utique ad illa quoque extendi deberet. Praescindendo etiam ab hoc casu, sententia communior dicit extendi debere positive ad peccata quaelibet possibilia; sed alii contra sentiunt, quorum doctrina probabilissima videtur. *Praxis* 1021.

25. *Quid exigitur ut propositum sit firmum?* Non exigitur ut poenitens consideret difficultates quae in posterum occurrere poterunt; neque ut firmiter credat se esse illas superaturum. Exigitur solum ut talem habeat generalem voluntatem non peccandi ut ex una parte non sit perplexus et titubans, et ex aliâ nullum casum positive excludat.

26. *Quid exigitur ut propositum sit efficax?* Oportet ut poenitens, si cogitet de mediis quae ad evitanda peccata adhiberi solent, velit reapse (saltem in quantum sint stricte obligatoria, quale esset fuga occasionis proximae voluntariae) illa adhibere.

27. *Quid si quis praevideret se esse relapsurum?* Timor

relabendi utique non obest. Quoad praevisionem certam, hodie dicunt, illam cum proposito stare non posse. At vero alii probabilius dicunt quod si poenitens praevideat qnidem se esse relapsurum (ad modum claudi qui casum praevidet), sed eodem tempore sinceram habeat voluntatem se Deo commendandi, vim sibi faciendi, caute procedendi etc.; iam hic et nunc sufficienti proposito minime carebit. *Praxis* 1024.

28. *Quaenam sint qualitates bonae* CONFESSIONIS ? Multae qualitates enumerantur, nempe ut sit brevis (resecando inutilia); modesta (utendo verbis quantum fieri potest modestioribus in accusandis peccatis carnalibus); humilis (abstinendo ab excusationibus falsis aut inutilibus). At vero qualitas magis necessaria est ut sit integra.

29. *Quotuplex est confessionis integritas?* Duplex, nempe 1° materialis; 2° formalis.

30. *Quandonam habet locum integritas materialis?* Quando materia necessaria confessionis integre seu totaliter accusatur. Idque, secluso legitimo impedimento, sub obligatione cadit.

31. *Quid est materia necessaria confessionis?* Haec constituitur a peccatis mortalibus post Baptismum commissis et nunquam valide confessis, quae iuxta eorundem speciem, numerum et circumstantias explicatu necessarias accusari debent.

32. *An poenitens accusare teneatur peccata commissa ex ignorantia vel inadvertentia?* Negative, nisi sint voluntaria in causa. Oportet tamen ut, dum causa posita vel non remota fuit, mala consequentia fuerit praevisa; et, causam apponendo vel non removendo, formalis et mortalis culpa intervenerit; quod practice non de facili accidit. *Praxis* 1027.

33. *An actus externus, et effectus secutus (si causa culpabiliter apposita fuerit) accusari debeat?* Peccata accusari debent prout denominantur. Hinc actus externus certe accusari debet, neque sufficit accusare voluntatem internam; si peccatum sive verbo sive opere sive omissione perpetratum fuerit. Effectus secutus autem interdum accusari debet necessario et interdum non. Sic, v. g., si ex intentione homicidii vulnus lethale inflixisses et morte secuta confessionem faceres, dicere deberes: *Homicidium commisi.* Si e contra intemperanter coenasses ut pollutio in somno (prout reapse locum habuit) sequeretur; tunc sufficeret, si diceres: *Intemperanter coenavi ut pollutio sequeretur.* Ratio est quia in communi loquendi modo peccata interdum ex effectu secuto denominantur et interdum non. Caeterum, accusato peccato ante effectum secutum, certe non opor-

tebit ut illo secuto iterum accusetur. Interdum etiam, ratione censurae vel reservationis vel obligationis restitutionis etc., effectus secutus accusari debet.

34. *Peccatum quod fuerit quidem mortale in se, sed propter ignorantiam aliamve circumstantiam veniale evaserit, estne materia necessaria confessionis?* Negative.

35. *Dixisti esse materiam necessariam confessionis peccata invalide confessa. Explica quandonam peccata censenda sint confessa invalide?* 1° Si Confessarius illa non audierit; 2° Si iurisdictione sive omnino sive quoad illa peccata (propter reservationem) caruerit; 3° Si confessio fuerit sacrilega.

36. *An peccata post Baptismum dubie validum commissa sint materia necessaria confessionis?* Affirmative. *Praxis* 1030.

37. *An peccata dubie commissa, vel dubie mortalia, vel dubie confessa sint materia necessaria Confessionis?* Interdum non de dubio, sed de scrupulo (prout facile contingit in personis timoratae conscientiae) agitur; et tunc certe nulla obligatio adest. Si autem verum dubium subsistat, sententia communior dicit quod si dubium sit positivum, quatenus ex rationibus probabilibus videri possit, peccatum non fuisse commissum vel non fuisse mortale vel fuisse confessum, tunc nulla obligatio supersit; secus vero si dubium sit negativum si nempe ratio quidem dubitandi, sed non ratio ut supra opinandi subsistat. Haec, inquam, est sententia communior; at vero Ecclesia semper docuit populum quod peccata dubia (nulla distinctione facta) accusari debeant; unde practice pro hac obligatioue standum est. *Praxis* 1030.

38. *Quid si peccatum fuisset quidem confessum certe, sed cum dispositionibus valde dubiis, prout in plurimis habituatis, et recidivis contingere solet?* Confessiones istae bona fide factae non sunt necessario repetendae. Stabili tamen emendatione subsecuta, Confessio generalis ad minus quam maxime suadenda erit. *Praxis* 1029. 1032.

39. *An peccatum accusatum ut dubium, si postea certum reperiatur, iterum accusari debeat?* Sententia hodie communior affirmat. Sed contrarium teneri potest cum Lugo; ex una parte enim peccatum fuit absolutum directe, et ex alia durum videtur adigere poenitentem ut peccatum iam in specie confessum iterum accusare debeat. *Praxis* 1031.

40. *Quomodo accusandus sit numerus peccatorum?* Si numerus certus non dignoscatur, indicandus erit numerus verisimilis, addita particula *circiter*; et si (propter temporis diutur-

nitatem et actuum frequentiam) ne circiter quidem numerus exprimi valeat, tunc satis erit si tempus et frequentia indicetur.

41. *Quot peccata comprehendi possunt in particula* circiter? Haec habet maiorem vel minorem latitudinem iuxta proportionem numeri expressi; v. g., quinque circiter usque ad sex; decem circiter usque ad duodecim; viginti circiter usque ad viginti tria extendi poterit.

42. *Quid si postea numerus certus reperiatur?* Si comprehendatur in particula *circiter*, tunc nulla superest obligatio. Secus si non comprehendatur.

43. *Quid significat quod peccata accusari debent in specie?* Quod non sufficit accusare illa in genere, dicendo, v. g., *peccavi*, *fui perversus* etc; sed oportet ut accusentur distincte; nec sufficit distinctio aliqua, dicendo, v. g.: *commisi iniustitiam, fui inhonestus etc.;* sed oportet accusare peccata in specie infima; nempe eo modo quo communiter distingui et specificari solent, dicendo, v. g.: *commisi furtum, fornicationem etc.*

44. *Quid significat quod accusari debent circumstantiae explicatu necessariae?* Accusari debent 1° Circumstantiae quae reddunt peccatum ex veniali mortale aut viceversa. 2° Circumstantiae, quae mutant speciem, nempe malitiam specie diversam (v. g., scandali, sacrilegii, incestus etc.) superaddunt. Oportet tamen ut poenitens cognoverit et actu peccati animadverterit talem malitiam adesse et gravem esse. Accusari debent 3° Circumstantiae de quibus Confessarius interrogat. Excipe nisi manifeste constaret quod solum ex curiositate vel scrupulo talem interrogationem faceret. *Praxis* 1034.

45. *An circumstantiae mere aggravantes (Confessario etiam non interrogante) accusari debeant?* Doctrina communior hodie negat absolute. Sed Catechismus Romanus et universalis Christifidelium persuasio censet, quod illae circumstantiae, quae a Confessario ne in confuso quidem intelligerentur, omnino accusari debeant. Casus esset in colono qui diceret se furta commisisse, et sub expressione ista comprehenderet etiam furtum ingentissimum non contra dominum fundi, sed contra extraneum commissum. *Praxis* 1035.

46. *An peccatum recenter commissum et non adhuc absolutum ita accusari possit, ut Confessarius illud esse antiquum credere debeat; ut puta, si poenitens, accusatis quibusdam venialibus, postea diceret: Me accuso etiam de peccatis omnibus in tota mea vita commissis, et speciatim de tali vel tali

peccato turpi (intelligendo peccatum ab ultima confessione commissum)? Negative. *Praxis* 1037.

47. *Quid de poenitentibus qui venialia apud unum, et mortalia apud alium confitentur?* Integritati confessionis id non officit, nisi poenitens, dum accusat venialia, habeat etiam mortalia quae tunc non accuset. *Praxis* 1039,

48. *An valeat confessio dicentis: De peccatis iam tibi notis me accuso?* Affirmative, si Confessarius totaliter et distincte quoad speciem, numerum et circumstantias illa cognoscat. de iisque reminiscatur. *Praxis* 1040.

49. *Quid si poenitens confessionem quidem fecerit, sed absolutionem adhuc nullo modo vel non valide obtinuerit? Debetne ad absolutionem obtinendam confessionem repetere?* Affirmandum certe, si divertat ad alium Confessarium. Affirmandum etiam si redeat ad eundem, sed ille conscientiae eius memoriam habeat nullam, vel ita imperfectam ut prudens iudicium quoad absolutionem et remediorum assignationem efformare nequeat. Si vero reminiscentia sufficiens adhuc in Confessario perduret, tunc renovatio confessionis necessaria non erit. Idque verum est non solum quando idem perseverat iudicium (prout in casu confessionis generalis paullatim peractae, vel in casu poenitentis cui absolutio dilata, aut propter reservationem non data fuit); sed etiam (iuxta Lugo) in casu poenitentis qui sacrilege peccatum aliquod reticuerit; nunc autem illud confiteatur et subiungat: De aliis peccatis iam alias apud te confessis me accuso. Ratio est quia confessio distincta iam locum habuit, eaque fuit sacramentalis, et supponitur quod Confessarius (quantum satis) adhuc reminiscatur. *Praxis* 1040.

50. *An peccator, qui vitam uniformem duxerit, accusatis distincte peccatis postremi mensis, dicere possit: Pater haec est vita mea: toto anno sic vixi?* Supposito quod talis uniformitas vere subsistat (quod difficile est), Confessio erit satis distincta. Attamen non satisfaceret qui in Paschate ad confessionem veniens diceret: Pater, mea peccata sunt semper eadem; peccavi hoc anno sicut in praecedenti. *Praxis* 1040.

51. *Si poenitens, accusando peccatum, alicuius circumstantiae speciem mutantis fuerit oblitus, poteritne accusare circumstantiam, quin denuo accuset peccatum?* Ut plurimum impossibile est explicare circumstantiam in sua specie infima, quin peccatum prius accusatum iterum manifestetur. Hinc qui stuprum commisit et accusavit solum fornicationem, non satisfaceret si postea diceret: Commisi iniustitiam. — Interdum

tamen possibile est explicare circumstantiam sine explicatione peccati, prout in scandalo indirecto contingit. *Praxis* 1041.

52. *Quid si poenitens absque imminutione peccati sui, bona fide (v. g., ad tegendum complicem) circumstantias falsas addidisset?* Confessio non videretur repetenda; idque quamvis peccatum suum valde exaggerasset; plus enim continet minus. Idem dic si imminutio adfuisset quidem sed parvi momenti, v. g., si peccasset cum secunda consobrina et dixisset se peccasse cum tertia consobrina. *Praxis* 1042.

53. *Quid si poenitens, qui furatus fuit centum, bona fide dixisset se furatum esse octoginta?* Videtur sufficere si postea dicat se furatum esse viginti. *Praxis* 1042. *III.*

54. *Quid de examine conscientiae?* 1° Qui sola venialia habent, vel de mortalibus commissis certe et bene recordantur, examen conscientiae confessioni praemittere non tenentur; bene vero ad illud tenentur alii qui secus materiam necessariam ex oblivione reticendi grave periculum subirent. 2° Examen debet esse necessitati proportionatum et diligens. 3° Attamen ad examen valde onerosum et taediosum (quamvis forte ad omnia rite accusanda necessarium videretur) nemo obligatur. *Praxis* 1043.

55. *Quandonam habet locum integritas formalis?* Quando confessio (propter impotentiam sive physicam sive moralem) materialiter integra fieri nequit, et proinde poenitens confessionem facit solum eo modo quo potest; remanente postea obligatione accusandi peccata reticita.

56. *Quid est impotentia physica?* Est impossibilitas absoluta. Contingit v. g. propter oblivionem, totalem loquendi impossibilitatem, et mortis imminentiam.

57. *Quid est impotentia moralis?* Est gravis difficultas, sive a parte poenitentis sive etiam a parte Confessarii. Attamen sola erubescentia (quamvis esset gravissima) non excusaret.

58. *Qui non potest confiteri viva voce, teneturne confiteri per nutus, vel in scriptis, vel ope interpretis?* Tenetur utique per nutus; non vero per scripturam vel interpretem, quia qui tenetur ad finem, tenetur quidem ad media ordinaria non vero ad media extraordinaria; et praecepta positiva intelliguntur semper de rebus praestandis eo modo quo naturaliter et ordinarie praestari solent.

59. *Ut quis possit confessionem formaliter dumtaxat integram facere, sufficitne quod hic et nunc integre confiteri nequeat?* Negative. Oportet etiam ut vel impedimentum sit perpetuum, vel poenitens hic et nunc confitendi necessitatem habeat,

60. *Quales sunt casus magis practici in quibus integritas formalis locum habere potest?* 1° Casus moribundi, si mors imminere videretur, vel nimis defatigaretur, vel deseri nequiret ab assistentibus, vel esset loquela impeditus; aut: si Viaticum iam esset ei delatum et confessio nimis in longum protraheretur, vel demum si esset peste affectus et Confessarius absque magno vitae periculo confessionem integram audire nequiret. 2° Casus surdi-muti, alienigenae idiomatis ignari, labili memoria laborantis, correpti apoplexi in lingua etc. 3° Casus poenitentis qui ex una parte confessionem longam vel generalem facere teneretur, et ex alia indigeret absolvi cito et hic et nunc, neque ipse vel Confessarius posset immorari. 4° Casus Sacerdotis, qui aliquod suum peccatum sine fractione sigilli accusare nequiret. *Praxis* 1847. I. VI.

61. *Quid si magnus adesset poenitentium concursus?* Id non sufficit ut confessiones dimidiari valeant. Si tamen tunc occurreret casus extraordinarius, in quo confessio generalis fieri deberet et poenitens statim absolutione indigeret, imposita ei obligatione redeundi, absolvi posset. *Praxis l. c. VII.*

62. *Quid si poenitens aliquod peccatum accusare nequeat, quin Confessarius in cognitionem complicis deveniat?* Si agatur de casibus obviis (v. g., de peccatis commissis inter fratres, sponsos, coniuges etc.) poenitentes nec tenentur (saltem practice et ordinarie) alios quaerere confessarios nec possunt peccata ista reticere. Si autem ageretur de casu aliquo extraordinario, in quo complici quam maxime interesset ne talis vel talis confessarius eius peccatum cognosceret, tunc aliqua obligatio quaerendi alium Confessarium (secluso incommodo notabili) aderit; et, si tunc alius Confessarius haberi nequeat, peccatum reticeri poterit, dummodo de una vel altera dumtaxat confessione agatur, et postea apud alium confessio integra fieri valeat. *Praxis l. c. XII.*

63. *Quid est materia libera?* Consistit in iis peccatis, de quibus non adest obligatio ut accusentur. Huiusmodi sunt 1° venialia; 2° peccata aliis vicibus rite confessa; 3° circumstantiae non enormiter aggravantes.

64. *Quid est materia sufficiens?* Est illa, quae sufficit ut absolutio dari possit.

65. *An merae imperfectiones sint materia sufficiens?* Negative. Imperfectiones enim sunt contra consilia non vero contra praecepta; et ideo non sunt peccata. Quando tamen poenitentes de imperfectione aliqua se accusant (v. g., quod aliqua vice

consuetas orationes matutinas vel serotinas omiserint) palam faciunt se credidisse peccare; et quod proinde saltem ex conscientia erronea verum peccatum (quamvis levissimum) commiserint.

66. *An peccata aliis vicibus accusata et absoluta sint materia sufficiens?* Affirmative.

67. *An peccata sine advertentia ad culpam commissa sint materia sufficiens?* Sententia hodie communissima negat. In praxi tamen, quando poenitens sponte sua non dicit se tale peccatum sine ulla advertentia commisisse, (quamvis ageretur de peccatis valde levibus) non oportet ut Confessarius timeat ne forte advertentia defuerit, et hac de re inquisitiones faciat: quod enim qnaelibet (etiam confusa) advertentia vere defuerit, quodque poenitens tranquilla prorsus conscientia malum fecerit, difficile est. Adde quod S. Bonaventura aliique TT. antiqui docebant quod etiam peccata materialia sunt materia sufficiens confessionis. *De Recidivis* 196. Idque docet etiam Viva (De Poenit. II. IV) de quolibet peccato non vero sed existimato: peccatum enim existimatum (si esset mortale) esset materia necessaria; neque convenit quod ex una parte poenitens teneatur confiteri peccatum, et ex alia absolutio sit invalida.

68. *An peccata dubie commissa sint materia sufficiens?* Communiter dicunt, addendam esse materiam certam. Sed Theologi magni nominis, inter quos Palao (VI. 6), Perez, Diana, Giribaldi, Metina, Tamburini aliique, censent quod ad summum id sit de consilio. Certe si Confessarius materiam certam facile obtinere nequiret, tunc peccatum dubie commissum pro materia sufficienti habere et absolutionem dare deberet; quae absolutio (iuxta Viva l. c.) valida et fructuosa esset, quamvis peccatum de facto non subsisteret.

69. *An peccatum accusatum solum in genere sit materia sufficiens?* Affirmandum est certe pro casu necessitatis, si nempe poenitens absolutione indigeret et aliter (ex oblivione vel defectu loquelae) se exprimere non posset. Secluso casu necessitatis, peccata mortalia certe accusari debent in specie. Sed, si etiam agatur de solis venialibus, consuetudo Ecclesiae est ut confessio prorsus generica nec fiat nec acceptetur. Si tamen confessio distincta venialium iam facta fuisset, et Confessarius de materiae vel dispositionis sufficientia dubitaret, tunc confessionem etiam mere genericam peccatorum vitae praeteritae acceptari valide et licite posse existimo. Idem dic si poenitens apud suum Confessarium ordinarium confiteretur, et (quum

nihil mali ab ultima confessione commiserit) diceret: *Accuso peccata vitae meae praeteritae* (subintelligendo *aliis vicibus apud te accusata*).

70. *Teneturne poenitens* SATISFACTIONEM *impositam acceptare?* Utique, si velit absolvi. Posset tamen rogare Confessarium ut illam commutet.

71. *Daturne casus in quo poenitens satisfactionem iniunctam adimplere non teneatur?* Affirmative, si nempe confessio invalida fuisset, aut si postea illam adimplere non posset.

72. *Quomodo satisfactio adimpleri debet?* Iuxta mentem Confessarii; et non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum et tempus praescriptum.

73. *Quid significat quod adimpleri debet iuxta mentem Confessarii?* 1° Quod poenitentiae pondus sustineri debet personaliter; 2° quod adimplenda est per opus ad quod ex alio capite non tenearis, nisi Confessarius contrarium expresse declaraverit, vel nisi contrarium ex benigna eius mentis interpretatione praesumi debeat, ut puta, si quotidianam Missae auditionem imposuisset, quo casu diebus festis unius Missae auditio sufficeret. 3° Si plures Missae audiendae essent, non sufficeret audire illas simultanee. Idem dic si auditio Missae et visitatio Ecclesiae imposita fuisset. Caeterum si impositae fuissent preces, istae tempore quoque Missae de praecepto recitari possent. *Praxis* 1051. *VI.*

74. *Quid significat quod adimpleri debet iuxta modum et tempus praescriptum?* Casus esset si Confessarius praescripsisset ut orationes genibus flexis, manibus extensis, vel ante talem Imaginem recitarentur. Item si dixisset, v. g., tali die ieiunabis, tali festo Missam audies etc.

75. *Quomodo poenitens, in poenitentia nullo vel non debito modo adimplenda, peccare potest?* Si poenitentia sit levis, vel pro levibus, tunc omissio (etiam totalis) mortale peccatum non constituet. Secus vero si gravis et pro gravibus data fuisset: vel si circumstantia gravis quoad modum vel tempus omissa fuisset. *Praxis* 1051. *II.*

76. *Quandonam adimpleri debet poenitentia, si tempus non fuerit designatum?* Quamprimum. Quandonam autem (si res sit de poenitentia gravi) ex sola dilatione peccatum mortale constituatur, in theoria vix definiri potest. Considerandae sunt circumstantiae, et speciatim periculum ne postea ex oblivione omnino omittatur.

77. *Quid si tempus fuerit designatum, illudque praeteri-*

erit? Poenitens teneretur adhuc poenitentiam adimplere. Culpa autem (si ex negligentia tempore assignato non fuerit adimpleta) erit gravis vel levis iuxta circumstantias.

78. *An poenitentia sacramentalis in statu peccati adimpleri valide et licite possit?* Affirmative. Expedit tamen quam maxime ut in statu gratiae adimpleatur. *Praxis l. c. IV.*

79. *An opus iniunctum ex intentione adimplendi poenitentiam peragi debeat?* Sententia hodie communis negat. Sed hoc ad minus contra universalem Christifidelium sensum est. *Praxis l. c. V.*

80. *An et quomodo poenitentiae commutatio obtineri possit?* Poenitens propria auctoritate poenitentiam commutare nequit; bene vero commutationem sive ab eodem sive ab alio Confessario petere potest; neque oportet ut in hunc finem peccata accusata iterum accuset. Commutatio tamen (nisi forte poenitens eundem Confessarium adeat) solum actu confessionis fieri valet.

81. *Quid si poenitens poenitentiae iniunctae prorsus oblitus fuisset?* Si adhuc esset ad pedes Confessarii, illum interrogare deberet; et idem dic si Confessarius poenitentiam iniungendi oblitus fuisset. Si autem poenitens a confessionali iam recessisset, nec facile Confessarium interrogare posset; tunc sententia hodie communis dicit quod ad nihil teneretur. Alii tamen sentiunt quod in sequenti confessione sive apud eundem sive apud alium Confessarium casum sibi obventum exponere et poenitentiae oblitae commutationem petere deberet; idque profecto Christifidelium sensui magis consonat. *Praxis l. c. IX.*

ARTICULUS II.

DE APPROBATIONE ET IURISDICTIONE.

82. *Hucusque dicta spectant ad poenitentem. Nunc de iis quae spectant ad Confessarium; nempe de iurisdictione seu approbatione ad audiendas confessiones, et de officiis Confessarii agendum est. Incipiendo a iurisdictione, quotuplex est iurisdictio?* Communiter distinguitur inter ordinariam et delegatam. Ordinaria est quae habetur vi officii, prout contingit in Episcopis, Parochis, Canonicis Poenitentiariis etc. Delegata est quae huic vel illi Sacerdoti ab Ordinario vel Praelato conceditur. Sed adest etiam alia iurisdictio quae ipso iure vel consuetudine confertur, prout contingit pro articulo mortis.

83. *Quid notandum circa iurisdictionem ordinariam?* Quod

exerceri potest in subditos, ubicumque reperiantur; unde Parochus confessionem sui Parochiani non solum intra Paroeciam sed etiam extra Paroeciam, imo et extra Dioecesim, valide et licite audire potest.

84. *Quot sunt casus in quibus iurisdictio ipso iure vel consuetudine confertur?* 1° In articulo mortis; 2° Interveniente errore communi cum titulo colorato (Casus accidit in Parocho, quando collatio Paroeciae, propter aliquod vitium occultum, invalida fuit); 3° Interveniente simplici errore communi; 4° In probabilitate opinionum, si nempe probati Theologi existiment in tali vel tali casu iurisdictionem subsistere; 5° Parochi absolvere possunt etiam non parochianos (solum tamen intra Dioecesim): 6° Quilibet Confessarius approbatus, confessiones audiens intra Dioecesim, Extradioecesanos quoque audire et absolvere potest. Notandum 1° quod error communis et titulus coloratus dant quidem iurisdictionem quoad validum, non vero quoad licitum; 2° quod, errore communi aut vera opinionis probabilitate non subsistente, simplex error privatus iurisdictionem non dat. Idem dic de dubio facti, si nempe Sacerdos dubitaret, an facultas obtenta fuerit vel an adhuc perduret. *Praxis* 1053.

85. *Quid notandum circa iurisdictionem delegatam?* 1° Dari debet ab Ordinario loci. 2° Non sufficit licentia praesumpta. 3° Sufficit tamen implicita, si nempe Ordinarius committeret alicui officium (v. g. Sacrae Missionis) quod sine facultate audiendi confessiones exerceri nequiret. 4° Delegatio incipit non a momento quo Episcopus litteras testimoniales subsignat, sed a momento quo litterae ipsae ad delegatum perveniunt (D'Annibali I. 70. not. 34). Excipe nisi de prorogatione consueta ageretur (tunc enim a momento subsignationis inciperet). Iurisdictio valide denegatur vel revocatur, quamvis immerito prorsus denegaretur vel revocaretur. 6° Iurisdictio data sive ad tempus sive absolute non expirat morte delegantis, vel per eius cessationem ab officio; censetur enim gratia facta. *Praxis* 1054.

86. *Quid si delegatio unum dumtaxat poenitentem respiceret?* Si poenitens ipse petivisset facultatem eligendi sibi Confessarium, vel (quod idem esse videtur) confessionem faciendi apud talem vel talem Sacerdotem, et Episcopus annuisset; tunc quoque esset gratia facta, quae morte Episcopi non expiraret. Lugo (XIX. II. 38).

Si autem Episcopus mitteret Sacerdotem ad alicuius confessionem audiendam; tunc de simplici commissione ageretur; et proinde, si Episcopus interim moreretur, distinguendum esset

inter confessionem incoeptam et non incoeptam. In primo casu (nempe, ut aiunt, *re non integra*) delegatio duraret. In secundo e contra (nempe *re integra*) delegatio cessaret; mandatum enim, re integra, morte mandantis expirat. Notandum tamen, quod rescripta S. Poenitentiariae pro foro interno, quamvis sint in forma commissoria, morte Pontificis non expirant: nomine enim non Pontificis sed Sedis Apostolicae (quae nunquam moritur) dantur.

87. *An delegatio data sub clausula* DONEC ALIUD ORDINAVERO, *morte delegantis expiret?* Negative. Sanchez (De Matrim. VIII. XXVIII. 52).

88. *Quid de delegatione concessa sub clausula* AD BENEPLACITUM NOSTRUM? Communis sententia docet, delegationem istam morte concedentis expirare; idque probant ex Cap. 1° *Si gratiose* in 6° Lib. I. tit. 3. Sed alii apud Sanchez (l. c. 50) censent, Caput istud intelligi debere non de casu nostro, sed solum si agatur de delegatione iuri odiosa, de qua in capite ipso agebatur. Scavini autem (III. 352. not. 1) dicit: « S. C. Episc. et Regul. « 19 Iun. 1806 putat, per formulam *ad beneplacitum nostrum* « morte concedentis iurisdictionem non extingui ».

89. *Quid si Vice-Parochus die Paschatis, dum magna adest poenitentium multitudo aliorumque Confessariorum defectus, adverteret, facultatem audiendi confessiones sibi expirasse, nec recurrendi ad Episcopum tempus adesset?* Dixi supra quod licentia praesumpta non sufficit. Attamen pro casu tantae necessitatis, stante errore communi et facultate probabili absolvendi directe a venialibus et indirecte a mortalibus, videtur quod Vice-Parochus confessiones audire posset. *Praxis* 1053. *II.* 1054. VIII.

90. *Quando quis modo consueto ad audiendas Confessiones approbatus fuit, censeturne approbatus pro personis et casibus omnibus?* Negative. Quoad personas, excipiuntur Moniales, (si tamen aliqua Monialis extra monasterium casu degeret, audiri posset). Quoad casus, excipiuntur censurae et casus, qui sive Pontifici sive Episcopo reservantur.

ARTICULUS III.

DE RESERVATIONE.

91. *Quid est reservatio?* Restrictio iurisdictionis, quatenus Summus Pontifex vel Episcopus facultatem absolvendi a quibusdam censuris vel peccatis sibi reservat.

92. *Quales sunt excommunicationes magis practicae Summo Pontifici reservatae?* Excommunicatione S. Pontifici reservata *speciali modo* plectuntur Haeretici et Apostatae iisque faventes. Legentes, retinentes vel imprimentes eorundem Haereticorum vel Apostatarum libros haeresim propugnantes. Cogentes iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas. Recurrentes ad laicam potestatem ad impedienda quaelibet Sedis Apostolicae acta. Absolventes complicem in peccato turpi. Concurrentes ad invasionem Ditionis Pontificiae. — Excommunicatione S. Pontifici *simpliciter* reservata plectuntur violentas manus, suadente Diabolo, iniicientes in clericos vel monachos cum laesione gravi. Perpetrantes duellum. Nomen dantes sectis impiis vel subversivis. Violantes clausuram Monialium. Mulieres violantes clausuram Regularium. Simoniaci in beneficiis. Quaestum facientes ex indulgentiis. Colligentes eleemosynas Missarum easque minori stipendio celebrare facientes. Religiosi praesumentes ministrare Sacramenta moribundis sine licentia Parochi. Usurpantes vel ab usurpatoribus acquirentes bona ecclesiastica. Vide explicationes, aliasque parum practicas excommunicationes Pontifici reservatas in Praxi 880. 881.

93. *Quid sibi vult quod aliquae excommunicationes* SPECIALI MODO, *aliae vero* SIMPLICITER *S. Pontifici reservantur?* Haec distinctio significat quod reservatae *simpliciter* absolvi possunt ab Episcopis ex Cap. *Liceat* si sint occultae; quod non verificatur de reservatis *speciali modo;* et quoad istas semper specialis mentio necessaria est, ut facultas ab iisdem absolvendi data censeatur.

94. *Quales sunt casus S. Pontifici reservati sine censura?* Duo; nempe 1° Receptio munerum a Regularibus ultra valorem scutorum decem (*Praxis* 899. *B. XVI*). 2° Calumniosa accusatio sollicitationis contra Sacerdotem innocentem. (*Praxis* 567).

95. *Quales excommunicationes Episcopis reservantur?* Vi Constitutionis *Apostolicae Sedis* excommunicatione Ordinariis reservata plectuntur 1° Qui post Ordinem Sacrum aut Professionem religiosam matrimonium contrahere praesumunt; 2° Procurantes abortum, effectu secuto; 3° Percutientes Clericum vel Monachum sine laesione physice gravi. Vide etiam *Praxim* n. 883. et 1261. — Adesse possunt aliae excommunicationes vel aliae censurae Episcopis reservatae iure particulari; qua de re reservatio dioecesana perpendenda erit.

96. *Quales casus reservantur Episcopis sine censura?* Circa istos quoque reservatio dioecesana inspici debet.

97. *Quaenam circumstantiae verificari debent ut reservatio practice locum habeat?* Oportet 1° Ut agatur de casu certo. Excluduntur itaque peccata dubia, et casus de quibus apud Theologos controvertitur an reservationi subiaceant. 2° Ut peccatum fuerit vere et certe mortale. 3° Ut fuerit completum in suo genere. Excipe nisi expressis verbis actus incompletus reservetur. 4° Ut fuerit directe volitum. 5° Ut fuerit commissum post pubertatem (Intellige semper nisi lex aliud statuat expresse). 6° Ut non fuerit commissum ex metu gravi. 7° Ut poenitens legitimo Superiorem adeundi impedimento non detineatur. 8° Si peccatum reservatum fuerit non ratione sui sed ratione censurae, oportet ut censura vere fuerit contracta; si enim poenitens, propter ignorantiam aliamve causam, censuram non contraxisset, quamvis caeteroquin mortaliter peccasset, reservationem non incurreret. *Praxis* 1061. 879.

98. *Quando peccata reservantur ratione censurae?* Quando reservatur directe censura, prout accidit in censuris papalibus, nempe vi Constitutionis *Apostolicae Sedis* reservatis. Quoad casus episcopales inspicienda erit tabella; si enim diceret: *Tabella casuum reservatorum quibus adnectitur censura;* tunc casus reservaretur ratione sui. Si vero diceret; *Tabella censurarum reservatarum*, tunc casus ratione censurae reservaretur.

99. *Ignorantia reservationis excusatne a reservatione?* Loquendo de ignorantia non censurae, sed simplicis reservationis, sententia communis est negativa. Nihilominus Auctores gravissimi tam antiqui quam neoterici aliter sentiunt. Certe Confessarius non ultra primam vicem poenitentem absolvere poterit, sed illum de reservatione admonere debebit. Notandum quod inadvertentia ignorantiae aequiparatur. *Praxis* 1061. *VI.*

100. *An Extradioecesanus absolvi possit a peccato in eius Dioecesi reservato?* Affirmative, exceptis duobus casibus: nempe absolvi nequiret 1° si casus esset reservatus in utraque Dioecesi; 2° si in fraudem suae reservationis (nempe ad vitandam medicinam salutarem Superioris sui, atque mala fide) extra Dioecesim migrasset. *Praxis* 1061. *VIII.*

101. *An Extradioecesanus, qui non venerit in fraudem, absolvi possit ab excommunicatione in eius Dioecesi reservata?* Negant hodie communiter; sed Auctores gravissimi aliter sentiunt. *Praxis l. c*

102. *An Extradioecesanus a simplici Confessario absolvi possit a peccato hic quidem sed non in eius Dioecesi reservato?* Hodie negant communiter; sed Theologi primi subsellii affir-

mant; non enim credi debet quod Episcopi de extendenda propria reservatione ad subditos alienos solliciti sint. *Praxis l. c.*

103. *Quid de vagis?* Reservationibus Papalibus certe subiiciuntur. Quoad reservationes episcopales, dubium est ut supra; unde in praxi illas non incurrunt. *Praxis l. c. X.*

104. *Occurrente casu iam certe reservato, quomodo se gerere debet Confessarius?* Si poenitens legitimum Superiorem adeundi impedimentum non habeat, Confessarius illum remittat ad Superiorem vel alium Confessarium facultate instructum; aut imponat ei ut redeat, atque interim necessariam facultatem sibi procuret. Notandum quod excommunicatio quidem, non vero suspensio (et interdictum) sacramentalem a peccatis absolutionem impedit.

105. *Quomodo se gerere debet Confessarius, ut facultatem absolvendi a reservatis sibi procuret?* Si casus reservetur Episcopo, tunc ab Episcopo ipso aut Vicario Generali petere debebit facultatem absolvendi personam (tacito eius nomine) a tali casu reservato pro una vice. Numerum peccatorum non exprimat, neque ad peccata in antecessum commissa petitionem limitet. Notandum quod peccata commissa in confidentiam absolutionis obtinendae speciali mentione non indigent. Si violandi sigillum aut suspiciones ingerendi periculum adesset, tunc exposcat in genere facultatem absolvendi a reservatis; et si ne hoc quidem sufficeret (prout contingere posset si Superior unum vel alterum casum dumtaxat sibi reservare soleret) tunc ad S. Poenitentiariam, exposita causa, scribere oporteret. *Praxis* 1061. *XVII.*

Ad eandem S. Poenitentiariam a fortiori scribendum esset si casus vel censura Pontifici reservaretur. Epistola mittitur Romam ad Cardinalem Maiorem Poenitentiarium. En exemplar: *Eminentissime Domine. Titius enixe petit ut pro una vice absolvi possit ab excommunicatione contracta propter....* (substantia casus cum propriis circumstantiis heic exponatur). *Dignetur Eminentia vestra responsum mittere ad...* (Confessarius suum nomen, cognomen et patriam heic indicet).

Notandum tamen quod Episcopi non solum absolvere possunt facultate ordinaria (ex Cap. *Liceat* Trid. XXIV. vi) a casibus, et censuris occultis, exceptis excommunicationibus speciali modo reservatis; sed etiam habere solent multas facultates delegatas, quas in *Praxi* (*n.* 899. *B.*) exposui.

106. *An Confessarius, qui per litteras facultatem petiit, absolvere possit valide poenitentem antequam rescriptum ei*

pervenerit? Negative; neque valeret absolutio quamvis forte Episcopus iam annuisset.

107. *Facultate obtenta, quid faciendum?* Observandae sunt clausulae. Sic, v. g., ut emptores bonorum immobilium ecclesiasticorum absolvi possint, exigitur ut poenitens prius consignaverit syngrapham ab ipso subscriptam et Ordinario tradendam, qua sequentibus obligationibus se suosque haeredes subiicere declaret; nempe 1° Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi; 2° Conservandi ipsa bona et rem utilem in eis gerendi; 3° Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa; 4° Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis, seu locis piis, ad quae de iure pertinent; 5° Monendi haeredes et successores per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur. — Item, ut possit absolvi Confessarius qui complicem absolvit, sequentes conditiones apponuntur; nempe 1° ut agatur de casu occulto; 2° ut prius removeatur occasio peccandi cum complice; 3° ut imponatur obligatio non amplius audiendi confessionem personae complicis, si citra grave scandalum id fieri possit; eam (si forte redeat) admonendo de nullitate praeteritarum absolutionum; 4° Si Sacerdos complicem tribus vicibus, aut tres complices (etsi unica vice) absolvisset; tunc ei imponi deberet ut intra sex menses officium Confessarii omnino dimittat. Circa alios casus, vide *Praxim* (n. 899. B).

108. *Quid si in casu practico poenitens diceret, se talem vel talem clausulam adimplere non posse?* Si clausula sit adeo substantialis, ut, ea non servata, perseveret delictum; tunc certe absolutio dari nequibit. Idem dic si rescriptum expresse diceret: *nec aliter;* aut quod, reperta difficultate adimplendi aliquam clausulam, recurrendum sit denuo ad S. Poenitentiariam (prout accidit circa casus qui bona ecclesiastica respiciunt). Si autem tempus recurrendi non suppeteret et casus urgentissimus esset; vel si clausulae accipi deberent simpliciter ut monita directiva, tunc Confessarius Ecclesiae mentem interpretari posset. *Praxis* (902).

109. *Quid si poenitens Superiorem adire nequiret?* Doctrina communis est sequens:

In articulo (seu periculo) mortis, nec non in casibus qui periculo mortis aequiparantur (ut puta, si poenitens per multos annos Sacerdotis copiam non esset habiturus); reservatio quaelibet, tam Episcopalis quam Papalis, cessat. — Si tamen ageretur de censura reservata, obligatio comparendi apud Superiorem (si infirmus convaluerit) imponi deberet.

Extra periculum mortis, inter reservationem papalem et episcopalem distinctio fieri debet.

Quoad papalem, videndum an impedimentum sit perpetuum, an vero diuturnum, vel accidentale dumtaxat.

Si sit perpetuum (quale censetur esse si sit ultra quinquennium), absolutio dari poterit ab Episcopo eiusve delegato, directe, et sine onere comparendi apud S. Sedem.

Si sit diuturnum (quale censetur esse si sit ultra sex menses) absolutio pariter dari poterit ab Episcopo eiusve delegato directe, sed cum onere comparendi apud S. Sedem, cessato impedimento.

In utroque casu facultas devolveretur ad quemlibet Confessarium, si poenitens ne Episcopum quidem intra dictum tempus adire posset.

Denique, si impedimentum esset mere accidentale (eo quod nempe poenitens, v. g., hic et nunc a Missae celebratione vel ab Eucharistiae susceptione absque infamia vel scandalo abstinere nequiret, adeoque absolutione indigeret), tunc quilibet Confessarius absolutionem quidem concedere poterit, sed dumtaxat indirecte quoad peccata, et solum ad effectum recipiendi Sacramentum Poenitentiae quoad censuram, quae proinde quoad alios effectus (donec absolutio a legitimo Superiore recipiatur) integra remanebit.

Si autem agatur de reservatione mere episcopali, tunc absolutio *directa* nunquam dari poterit, facultate non obtenta. Dato tamen casu urgenti, in quo poenitens absolutione hic et nunc (ut supra) indigeret, tunc indirecte (et proinde facta accusatione aliorum peccatorum et remanente onere peccatum reservatum iterum confitendi) absolvi posset.

Haec, inquam, est doctrina hodie communior; sed aliae adsunt opiniones adhuc valde indulgentiores. In praxi tamen regula magis tuta et expedita est sequens:

Si poenitens hic et nunc absolutione ex casu urgenti non indigeat, sine absolutione dimittatur; atque interim debita facultas sive a S. Poenitentiaria, sive ab Episcopo (iuxta casuum diversitatem) petatur. Si vero casus urgeat, absolvatur; dummodo tamen promittat se esse rediturum et mandatis Ecclesiae obtemperaturum. Interim Confessarius facultatem sibi procuret (ut supra) *.

* Apud Theologos, circa facultatem absolvendi a reservatis, inveniuntur doctrinae, quarum aliquae verissimae sunt; aliae autem, quamvis singillatim consideratae probabiles videri possent, tamen in complexu verae esse nequeunt;

110. *In facultate generali absolvendi a casibus reservatis comprehenduntur ne revera casus et censurae absolute omnes?* Affirmant quoad reservationem episcopalem. Quoad papalem vero dicunt quod facultas generalis absolvendi a casibus papalibus intelligitur de solis censuris; non vero de duobus casibus (expositis n. 94) reservatis sine censura. Imo (ut supra dixi) ne censurae quidem speciali modo reservatae comprehenduntur. Si autem istae quoque expresse concederentur, casus haeresis non excipitur sicut olim. Excommunicatio tamen propter complicis absolutionem contracta semper tamquam excepta intelligi debet. *Praxis* l. c. XXI. XXII.

111. *An Confessarius uti possit, ut seipsum absolvere faciat, facultate obtenta, dicendo, v. g.: Quidam poenitens petit ut*

secus enim reservationes in praxi ad nihil reducerentur. Reapse, loquendo imprimis de reservatione papali, impediti (et quidem perpetuo) adire Summum Pontificem personaliter sunt fere omnes, ut per se patet. S. Lig. (VII. 89) dicit quod impediti neque ad S. Poenitentiariam scribere, neque nuntium Apostolicum aliumve delegatum adire tenentur, quamvis facile possent. Castro Palao (De Censuris I. VII. § V. n. 6 et De Poenit. XV. IV. 3) subdit quod impediti possunt absolvi indifferenter sive ab Episcopo sive a proprio Confessario et quidem *directe*, quamvis impedimentum esset breve et accidentale. Onus comparendi apud Pontificem, si forte in posterum cessabit impedimentum, non est imponendum (ait S. Lig. VII. 88) si ultra quinquennium censeatur duraturum (in praxi autem vix unquam res se aliter habebit). Praeterea cl. D' Annibali (Comment. 218) dicit quod hoc onus, casu quo propter impedimenti brevitatem imponi debeat, ad solas censuras *speciali modo* reservatas restringitur. Bertagna (II. III. pag. 121 - 131) subdit, non esse imponendum hoc onus pro casibus occultis, et nequidem pro casibus in quibus mandata Ecclesiae iam nota sunt (hodie autem iam sunt notissima pro casibus fere omnibus). Si doctrinae istae in complexu et totaliter verae essent, reservatio papalis in praxi nonne fere ad nihilum reduceretur, ut dixi? — Quoad reservationem episcopalem, cl. Ballerini (n. 875) docet, quod illa quoque corruit, si impedimentum adeundi Episcopum sit diuturnum. Nonne autem (exceptis personis ecclesiasticis), quum Episcopi confessiones audire non soleant, tale erit pro fere omnibus? Quinam laicorum, speciatim si a civitate episcopali distent, poterunt facile se conferre ad Episcopum pro confessione facienda? Nonne inquisitionibus (a parte familiarium) et suspectibus exponerentur? Aliunde Roncaglia (De Censur. I. VI) dicit, non adesse obligationem recurrendi ad Episcopum per litteras aut internuntium, neque confessionem faciendi apud Episcopi delegatos. Nonne autem hoc modo reservatio quoque episcopalis practice reduceretur ad nihil? Sed credendumne est quod Ecclesia ferre intenderit leges, quae practice nihil valeant? Hoc certe stare nequit; et proinde (id nunc severiori trutina perpendens) consulo ut in praxi regula exposita (prout etiam usus communis est) observetur; atque ut supradicta Palai opinio circa absolutionem *directam* (quamvis impedimentum esset accidentale) tamquam practice probabilis non habeatur. Idem dic de opinione Roncagliae, saltem pro casu, in quo Confessarii iurisdictionem habentes pro reservatis facile inveniri possint.

possit absolvi a reservatis? Si facultas petita fuerit a S. Poenitentiaria, affirmandum; illa enim facultatem non praecise Sacerdoti petenti sed cuilibet Confessario approbato ab Episcopo loci concedere solet. Negandum e contra, si facultas concedatur ab Ordinario. Excipe nisi petita fuisset dicendo: Quidam poenitens petit ut Confessarium, a quo absolvatur a reservatis, sibi pro libito eligere valeat. *Praxis* l. c. XXIII.

112. *An licentia pro casu particulari obtenta, pro peccatis quoque post petitionem commissis valere possit?* Si petita et concessa fuisset simpliciter *pro peccato commisso*, tunc ad peccata post petitionem perpetrata extendi nequiret. Secus si petita fuisset in genere *pro tali casu*, et *pro una vice*. Neque obstat si S. Poenitentiaria apposuerit clausulam *super praemissis*, quae ad speciem quidem sed non ad numerum refertur. Caeterum (si novi lapsus habitualiter intervenirent) obtentae facultatis usus (maxime si rescriptum diceret *pro hac vice*) parum differri posset. *Praxis* l. c. XXIV.

113. *An poenitens qui apud Superiorem vel delegatum confessus est, sed invalide vel sacrilege, a reservationis vinculo liber remaneat?* Affirmative, dummodo peccatum reservatum de facto accusaverit. *Praxis* l. c. XXVI.

114. *Quid si confessionem faciens apud Superiorem vel delegatum totaliter vel partialiter reservata reticuerit?* Si bona fide processit, absolutus remansit 1° a censuris; 2° a reservatione quoad peccata oblita si aliqua alia peccata reservata accusaverit, et eo fine ad Superiorem se contulerit ut a reservatis absolveretur. *Praxis* l. c.

115. *Qualiter peccet Confessarius, si absque facultate et extra casus permissos a reservatis absolvat?* Peccat mortaliter; et, si praesumeret absolvere ab excommunicatione speciali modo reservata, excommunicationem Rom. Pontifici simpliciter reservatam incurreret.

ARTICULUS IV.

DE IURISDICTIONE SUBLATA QUOAD COMPLICEM.

116. *An Confessarius proprium complicem valide absolvere possit?* Negative, et Confessarius excommunicationem Rom. Pontifici reservatam, et quidem speciali modo, incurreret. Patet ex duabus Bullis Benedicti XIV. *Praxis* 1062 - 1065. Oportet tamen ut peccatum fuerit 1° contra sextum; 2° forma-

liter culpabile atque ut tale cognitum ex utraque parte; 3° mortale ex utraque parte; 4° certum ex utraque parte. *Praxis* 1066.

117. *An oporteat ut complex fuerit foemina, vel in aetate puberi?* Negative (l. c.).

118. *An etiam colloquia turpia in hac lege comprehendantur?* In Praxi (n. 1067) cum Amort, Gury et D' Annibali censui, sententiam negativam esse probabilem. Postea audivi, extare responsum S. C. S O. (*Aurelianen.* in fer. IV. 28 Maii 1873) tenoris sequentis: « E.mi ac R.mi D. D. Cardinales Inq.res « Gen.les mandarunt respondendum esse: Comprehendi nedum « tactus, verum etiam omnia peccata gravia et exterius com- « missa contra castitatem, etiam illa quae consistunt in meris « colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important ». Audivi insuper, hoc responsum fuisse expresse approbatum a Summo Pontifice. Hinc per Ordinarium petii a S. C. S. O.: 1° An praedictum responsum sit authenticum? 2° An absolute vim legis habeat? S. C. die 15 Oct. 1884 rescripsit, praedictum responsum datum fuisse revera cum expressa approbatione Summi Pontificis; et SS.mum D. N. dignatum fuisse permittere ut responsi ipsius exemplar transmitteretur (quod est ut supra).

119. *Quid si Confessarius conatus fuisset tutam reddere foeminam quod res huiusmodi nihil mali sint: illa autem sic credere finxisset, sed in confessione peccatum vere commissum accusaret?* Si de rebus proprie turpibus (quamvis non consummatis) agatur, practice pro vera complicitate standum est; quod enim mulier vere in bona fide constituta fuerit, praesumi non potest. Aliud esset si *constanter et fortiter* reluctans oppressa fuisset, quamvis interne consensisset.

120. *An peccatum commissum ante Sacerdotium, vel ita ut complex cum Sacerdote peccare non adverterit, sub hac lege cadat?* Affirmant communiter; sed contrarium sustineri posse videtur. *Praxis* 1068. 1069.

121. *An Confessarius confessionem complicis audire possit postquam peccatum complicitatis iam fuerit ab alio absolutum?* Expedit ut, quantum potest, id declinet; imo facile, propter periculum vel scandalum, id declinare tenebitur iure naturae. Sed iure positivo nihil in contrarium adest, et proinde absolutio valida esset. Excipe nisi peccatum complicitatis invalide absolutum fuisset, vel (eo quod non integre accusatum fuerit) in parte adhuc accusari deberet. *Praxis* 1070.

122. *Quid si poenitens, iam ab alio absolutus, confessionem faciens apud complicem, peccata etiam vitae praeteritae*

absolutioni subiiceret, et inter illa peccatum complicitatis expresse indicaret? Expedit ut Confessarius, si complicem iam absolutum audire cogeretur, circa peccatum complicitatis perpetuum silentium omnino exigat. Nihilominus talis accusatio absolutionem invalidam reddere non videtur. *Praxis l. c.*

123. *Quid si Confessarius confessionem quidem complicis audiret, sed absolutionem nec vere nec ficte concederet?* Confessarius, complicem advenientem (nisi forte ex lapsu temporis credendum sit iam fuisse absolutum) admonere debet ut alium adeat. Benedictus XIV. non solum absolutionem sed etiam confessionis auditionem expresse vetat. Attamen propter solam confessionis auditionem censura non adesset. *Praxis* 1071.

124. *An effugiat censuram qui absolvere fingit, sed reipsa non absolvit?* Negative (*Prax. l. c.*). E.pus Petrocoricensis petiit a S. C. S. O. an possit permittere, ut doctrina contraria doceatur in suo Seminario? S. C. Fer. IV. 5 Dec. 1883 respondit: « Negati-« ve, facto verbo cum SS.mo... SS.mus D. N. Em.orum Patrum « resolutionem adprobare ac plene confirmare dignatus est ».

125. *Quid si non a peccato complicitatis, sed ab aliis directe absolvere intenderet?* Censuram non effugeret. *Praxis* 1072.

126. *Quid de absolutione complicis in periculo mortis?* Valida erit. Sed pro licito oportet, ut Confessarius (quantum potest sine gravi infamia, vel scandalo, vel periculo spirituali personae moribundae) operam suam etiam tunc praestare evitet; quod si non faceret, censuram incurreret; idque quamvis simplex Sacerdos dumtaxat in promptu esset. *Praxis* 1073.

127. *An periculum incidendi in amentiam, aut non inveniendi alium Sacerdotem per tempus diuturnum, periculo mortis aequiparari debeat?* Affirmative. Si tamen Confessarius complex semper esset praesens, et tota difficultas in perpetua vel diuturna alterius Sacerdotis deficentia consisteret, tunc dispensationem a S. Sede petendam esse crederem. *Praxis* 1074.

128. *An contingere possint alii casus, in quibus poenitens, a peccato complicitatis nondum absolutus, a Confessario complice valide et licite absolvi possit?* Communius negant; sed aliqui affirmant. *Praxis* 1076.

129. *Quales sunt casus in quibus, iuxta sententiam benigniorem, absolutio valida (saltem indirecte) et licita est?* 1° Casus complicis absoluti inadvertenter (nempe quia a Confessario cognitus non fuit), quamvis peccatum complicitatis accusaverit. 2° Casus complicis qui peccatum complicitatis bona fide reticuerit. 3° Casus in quo Confessarius dubitet quidem, sed certus evadere

nequeat, quod poenitens (qui de peccato cum Sacerdote commisso se accusat) sit illa eadem persona quae cum ipso peccavit. 4° Casus in quo gravis infamia, vel scandalum, vel magnum periculum spirituale poenitentis ipsius, vel alia seria, gravis, atque extraordinaria necessitas ad confessionem audiendam atque absolutionem dandam Confessarium impellat; ut puta, si poenitens in absoluta necessitate hic et nunc communicandi versaretur, nec alium confessarium (nisi forte proprium fratrem) habere posset. Infamia tamen, quam Confessarius (quacumque dignitate insignitus) apud Sacerdotem, cui complex confitebitur, subiturus esset, certe non excusaret. *Praxis* 1078.

130. *An et quomodo facultas absolvendi complicem obtineri possit?* Si poenitens ad alium Confessarium mitti nequeat, facultas solum a S. Poenitentiaria obtineri poterit, dicendo, v. g.: Titius Confessarius petit facultatem (quam aliis vicibus nunquam petivit) absolvendi complicem. Causa est... (explicetur causa propter quam complex ad alium Confessarium mitti nequit). Reliqua ut supra (n. 105). — Notari potest quod ipse Sacerdos complex sic in tertia persona scribere atque obtenta facultate uti valet. *Praxis* 1080.

131. *Quid si Confessarius complicem iam absolvisset et excommunicationem incurrisset?* In praxi scribendum esset (vide supra n. 105) ad S. Poenitentiariam, quae sub conditionibus n. 107 expositis facultatem ab hac censura absolvendi concedere solet. Si autem miser Sacerdos absque scandalo vel infamia a Missae celebratione interim abstinere nequiret, absolvi posset cum onere redeundi et standi mandatis Ecclesiae, ut (n. 109) dixi. Caeterum, saltem si impedimento perpetuo aut diuturno Romam adeundi vere non detineretur, haec absolutio a peccato quidem illum liberaret, sed non ab excommunicatione; unde, si extra casus magnae necessitatis, Ordinem Sacrum non requisitus exerceret, irregularis evaderet. *Praxis n.* 1281.

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONE AUDIENDI CONFESSIONES.

132. *An et quando Sacerdotes Sacramentum Poenitentiae ministrare teneantur?* 1. Si ex officio (prout accidit in Parochis et Capellanis) ad hoc obligentur; 2. In casibus extremae necessitatis, si nempe secus moribundi sine absolutione mori cogerentur; et notandum quod huiusmodi obligatio gravis potest subsi-

stere etiam tempore pestis et cum periculo vitae; 3. Si in loco magna sit penuria Confessariorum, populique necessitas, maxime in Paschate; 4. Si Episcopus in virtute sanctae obedientiae id exigeret. *Praxis* 1082.

ARTICULUS VI.

DE OFFICIIS CONFESSARII.

133. *Quaenam sint officia Confessarii?* I. Patris; 2. Medici; 3. Doctoris; 4. Iudicis.

§ I.

De officio patris.

134. *Quid significat officium patris?* Quod Confessarius se gerere debet tamquam pater erga omnes. Hinc 1. Quoslibet ad se adventantes, speciatim viros, pauperes, rudes, pueros, senes, surdos, balbutientes, graveolentes, scrupulosos, et quovis modo defectuosos, maxime vero magnos peccatores, libenter excipiat. 2 Prompte occurrat, nec poenitentes (maxime si sint viri, aut etiam mulieres quae cito expediri indigeant) expectare faciat. 3. In audiendis confessionibus, si forte quavis de causa taediosae evasurae essent, magnam patientiam adhibeat. 4. Poenitentes, ut sincere peccata omnia patefaciant, illorumque verum dolorem concipiant, et in posterum ab iisdem praeserventur, quantum potest, adiuvet. 5. Cautelam adhibeat, ne ipse aliqua imprudentia poenitentibus praeiudicet. 6. Ordinarie bonis modis procedat; et, si quando erga aliquem correctio acrior vel etiam absolutionis dilatio necessaria esset, palam faciat quod solum propter eius bonum, et vere ad modum patris, ita se gerit; curando semper ut quilibet satisfactus, non vero indignatus, ab eius pedibus discedat. 7. Attamen in bonis modis adhibendis et in ipsa cura spirituali poenitentis, servandae sunt speciales praecautiones quoad foeminas; ne scilicet verba quamdam teneritudinem redolentia immisceantur, vel nimia frequentia audiantur, nimio tempore detineantur etc.

135. *Quid de illis mulieribus, quae apud omnes Confessarios in gyrum se conferunt, et apud neminem stabiliuntur? Suntne respuendae?* Negative. *Praxis* 1083. *D.*

136. *Quid de illis mulierculis quae de Confessario loqui solent? Suntne respuendae?* Cautissime cum illis procedendum

est ; sed ordinarie non sunt respuendae. Si tamen Confessarius rescivisset, quod mulier aliqua de se ipso ex levitate vel malitia periculose locuta fuisset, tunc modis indirectis (nempe illam expectare faciendo, durius tractando et citissime expediendo) curare posset ut non amplius rediret. *Praxis* 1083. *E*.

137. *Quid de illis poenitentibus qui veniunt, quamvis proprium Confessarium stabilem habeant?* Pro una vel altera vice audiantur sine ulla difficultate. Si autem ageretur de decisiva Confessarii mutatione, inquirenda essent motiva. Utcumque, non valde contra poenitentis voluntatem esset insistendum. Si tamen credendum esset quod ex sola sympathia concepta erga novum Confessarium muliercula suum bonum Confessarium deserere vellet, tunc firmiter respuenda esset. *Praxis* 1083. *F*.

138. *Quid si Confessarius deprehenderet quod aliqua poenitens affectum erga seipsum conceperit?* Si sit de illis levissimis foeminis, quae more adamantium, Confessarios, maxime iuvenes, deperiunt, magna brevitas et seria aeternarum veritatum enunciatio adhiberi debet. Sic enim aut corrigetur aut sponte sua recedet. Si autem poenitens bonum animae suae sincere quaerere videatur; tunc affectus credendus erit aut irreprehensibilis omnino, aut mera tentatio diabolica. Cautelae tamen necessariae erunt semper; et poenitens, maxime si ore proprio de huiusmodi affectu scrupulum ostendat, ad alium Sacerdotem prudentem, ut ab ipso consilium petat, mitti debebit. *Praxis* 1083. *G*.

139. *Quid si, nullo defectu subsistente a parte poenitentis, Confessarius ipse propter suam fragilitatem occasione illius tentationibus subiiceretur?* Tentationes huiusmodi, saltem ordinarie, non repellendo poenitentes, sed cautelas adhibendo vinci deberent. *Praxis* 1083. *H*.

140. *Quid si Confessarius procuraret ut haec vel illa ad se pro confessione veniret; et, si quae consueta poenitens non amplius rediret, inquisitiones faceret illamque denuo ad se advocaret?* Male se gereret. Regula bona est: Neminem quaerere; neminem repellere. *Praxis* 1083. *L*.

§ II.

De officio medici.

141. *Quid significat officium medici?* Quod Confessarius tamquam medicus satagere debet ut spirituales poenitentis infirmitates 1. cognoscat; 2. sanet.

142. *Quomodo istas spirituales poenitentis infirmitates cognoscere poterit?* 1. Eum interrogando circa peccatorum speciem, numerum et circumstantias explicatu necessarias, si forte ille non sufficienter se exprimat; 2. Illum adiuvando eique animum addendo, si forte timendum sit ne ex oblivione aut verecundia aliqua mortalia prorsus reticeat.

143. *Quomodo curare poterit ut spirituales poenitentis infirmitates sanet?* 1. Inducendo illum ad verum dolorem et propositum ope exhortationis; 2. Praebendo ei remedia opportuna.

144. *Confessarius teneturne semper ad exhortationem faciendam?* Negative; sed solum in duobus casibus. 1. Si poenitens credi debeat indispositus vel dubie dispositus. Attamen, supposita etiam certa dispositione, bene erit si Confessarius poenitentem adhortetur. 2. Si exhortatio necessaria videatur, ut poenitens (alioquin hic et nunc dispositus) socordiam excutiat, suosque pravos habitus de facto abrumpere satagat. *Praxis* 1128.

145. *Da exemplar exhortationis.* Expedit ut, audita confessione, poenitens inducatur ad accusanda etiam in genere peccata omnia vitae suae. Dein Confessarius dicere poterit: *Conf.* His peccatis, fili mi, heu qualem iacturam fecisti! Quid perdidisti? *Poen.* Paradisum. *C.* Ita est: perdidisti Paradisum nempe patriam tuam coelestem, regnum gloriae, bonum immensum, felicitatem aeternam. E contra quid tibi meruisti? *P.* Infernum. *C.* Ita est; abyssum tormentorum, et horrendum carcerem ignis, ignis aeternis. Considera insuper, fili mi, his peccatis tuis quem offendisti? *P.* Deum. *C.* Ita est; offendisti Deum tuum: offendisti patrem tuum coelestem, qui tanto amore dignus est, atque adeo te diligit. Aspice Deum tuum in cruce confixum. Audi quod dicit: « Quid feci tibi, aut in quo contri- « stavi te, responde mihi »! Heu quantam patientiam habuit Deus tuus in sufferendis tot atque tantis atque adeo continuis offensis! Quis pater terrenus adeo patiens extitisset? Heu quanta est misericordia tui boni Dei! Brachiis extensis te expectat, et vult tibi ignoscere. Nunquid non meretur amari? Visne tu illum iterum offendere? *P.* Minime. C. Visne tu adhibere remedia etc.?

146. *Cur exposuisti exhortationem ad modum dialogi?* Ad evitandum periculum ne poenitens, dum Confessarius loquitur, evagetur, et de aliis rebus (v. g., an alia peccata adhuc accusanda habeat) cogitet; prout in praxi saepe accidit.

147. *Exhortatio debetne fieri semper eodem modo?* Negative.

148. *Quales sunt dotes exhortationis?* 1. Debet inclinare ad

brevitatem, maxime si poenitens cito expediri indigeat, aut iam sit dispositus et alii expectent. 2. Debet esse succosa. 3. Debet esse proportionata necessitati; qua de re sedulo notandum est quod poenitentes indispositi vel dubie dispositi possunt esse tales duobus modis valde diversis. Primus est si indispositio proveniat ex magna et fixa adhaesione ad peccatum; ut puta, propter odium inveteratum, vel repugnantiam deserendi aliquam occasionem proximam, aut exequendi restitutionem, aut abstinendi a furtis vel meretricio (propter miseriam), aut vincendi respectum humanum, aut cessandi ab onanismo in usu coniugii etc. Secundus est si indispositio proveniat solum ab ignorantia vel inadvertentia (quia scilicet poenitens nesciat vel non consideret quod animi dolor seriumque propositum exigitur); prout practice contingere potest in illis peccatis, quae voluntatem modo fixo non captivant, prout blasphemiae et pollutiones esse solent. In primo casu exhortatio valde fortis et fervens, ut poenitens malam voluntatem deponat et sincere convertatur, necessaria erit, ut per se patet; et tunc non erit attendendum quod alii expectent. In secundo autem, ut poenitens verum dolorem et propositum concipiat, pauca verba supra exposita sufficere poterunt. Si tamen poenitens valde habituatus et in procuranda emendatione desidus esset, aliquid amplius (ad propositi constantiam et efficaciam procurandam) boni Confessarii praestabunt; scrupuli tamen Confessariis non sunt iniiciendi, et (remediis assignatis) obligationes strictae (quae illos in angustias coniicere possent) in hoc postremo casu non sunt ponendae. Denique 4. exhortatio debet esse prudens et discreta. Cavendum est scilicet ne correctio poenitentem (v. g., personam bene instructam vel in dignitate constitutam et aliunde iam dispositam) offendat. Item ne quemquam (propter modos asperos et inurbanos) ad indignationem provocet. Item ne poenitentem in animi deiectionem coniiciat, vel taedio afficiat. Cavendum est speciatim, ne sit in causa cur aliquis peccata reticeat; unde non in principio sed solum in fine confessionis fieri debet; imo bonum consilium erit, si quoad pueros, mulieres, et personas in dignitate constitutas, specialis cautela semper adhibeatur, ne futurum sit quod personae huiusmodi vehementiori correctione deterritae stabilem Confessarium relinquant, aut etiam nullo modo relapsus in posterum accusare audeant. Prudentia quoque exigitur si poenitens peccata magnae adhaerentiae habeat. Equidem dixi supra, exhortationem valde fortem et ferventem tunc esse necessariam, ut

in eo puncto prava voluntas vincatur; sed regula ista exceptionem admittit casu quo ex una parte de fructu valde reformidandum sit, et ex alia oporteat omnino ut ea vice absolutio concedatur (prout in novis sponsis contingere potest); tunc enim melius erit si Confessarius punctum illud non tangat, curando potius ut poenitens in genere et in confuso de peccatis suis doleat et in posterum cum timore Dei vivere proponat. *Praxis* 1128.

149. *Teneturne semper Confessarius ad remedia poenitentibus assignanda?* Negative; sed solum pro casibus in quibus haec assignatio necessaria videatur; quatenus nempe poenitens ex una parte mortalia habeat vel gravibus tentationibus subiiciatur vel quomodolibet in gravi periculo versetur; et ex alia ex ignorantia, vel inadvertentia, vel socordia de remediis adhibendis non cogitet. Attamen in quovis casu bene erit si Confessarius de remediis assignandis sollicitus sit. *Praxis n.* 1115.

150. *Remedia suntne assignanda ante exhortationem, an vero postea?* Si difficile sit quod poenitens illa statim acceptet, tunc ante exhortationem de iisdem cum poenitente convenire expedit; secus, nihil intererit sive ante sive postea assignentur.

151. *Qualiter peccet Confessarius si remedia non assignet?* Videndum 1. Quantum sit periculum relapsus; 2. quanta sit spes fructus. Ordinarie negligentia gravis aderit solum, si Confessarius de occasione proxima deserenda poenitentem non admoneret; aut si poenitentem ex una parte pravis habitibus magnisque tentationibus subiectum, et ex alia ad suscipiendam alacriter animae suae curam bene dispositum, adiuvare negligeret. *Praxis l. c.*

152. *An remedia assignanda sint sub praecepto; an vero solum sub consilio?* Fuga occasionis proximae voluntariae cadit sub praecepto, et proinde sub praecepto imponi debet. Quoad alia remedia (nisi aliquid detur pro poenitentia Sacramentali) sub consilio dumtaxat dari posse, censet Lugo. *Praxis* 1116.

153. *Remedia quomodo distinguuntur?* Alia sunt generalia; alia vero particularia.

154. *Quaenam sunt remedia generalia?* 1. Oratio fervens ad obtinendam gratiam abstinendi a relapsibus, speciatim tempore tentationis, maxime vero relapsu iam secuto; 2. Frequentia confessionis apud Confessarium stabilem; 3. Actus contritionis ad pedes Crucifixi et Divinae veniae petitio quolibet vespere, maxime vero statim post lapsum; 4. Consideratio quotidiana aeternarum veritatum (aptissimus erit liber cui ti-

tulus *Apparecchio alla morte*), et memoria praesentiae Dei, maxime tempore tentationis; 5. Lectiones spirituales, speciatim vitarum Sanctorum; 6. Aliqua poenitentia vel eleemosyna facienda toties quoties locum habebit relapsus; 7. Propositum firmissimum abstinendi a relapsu usque ad novam confessionem infra octo dies peragendam, idque modo per amorem Iesu Christi, aut B. Virginis etc. (maxime si etiam preces novendiales superaddantur); modo in suffragium animarum propriorum parentum; modo imaginando quod illa sit ultima hebdomada vitae propriae etc. 8. Exercitia spiritualia. 9. Signum crucis, adveniente tentatione.

155. *Quaenam sunt remedia particularia?* Haec desumuntur a causa speciali peccatorum. Peccat, v. g., poenitens propter aliquam occasionem proximam? Remedium particulare erit hanc ipsam occasionem ei interdicere prorsus, si sit voluntaria; declinare autem quantum potest et speciali modo contra illam se praemunire, si sit necessaria. Saepissime causa peccatorum carnalium sunt cogitationes de rebus venereis, otium, excessus in cibo vel potu etc.; et tunc remedia particularia contra causas istas dirigi debent. *Praxis* 1120.

156. *Quomodo in praxi Confessarius causas peccatorum cognoscere poterit?* Si poenitens sponte sua illam non indicet, interrogari poterit: Cur sic fecisti? Vel ubinam eras? Vel quid faciebas? Vel quid habebas in mente? Vel quibus in circumstantiis sic facere soles? etc.

157. *Quaenam sunt remedia particularia, quae contra vitium pollutionis communius prodesse solent?* Quando poenitens animadvertit se esse in periculo peccatum istud committendi, non solum statim Deo se commendet (quod est remedium generale); sed etiam 1. Cogitationes venereas fortiter repellat et mortem Deique praesentiam in mente habeat; 2. Si, hoc non obstante, motus carnales perseverent, tunc imprimis situs periculosus (nempe in lecto situs pronus quoad masculos, et supinus quoad foeminas) evitetur, et persona meliori modo possibili se defendat, v. g., vertendo se ad aliud latus (foeminis, valde iuvat si pronas se vertant); curando semper ut ex una parte manus sacro numismati collo appenso firmissime inhaereant, et ex alia corpus a motibus quos peragere vellet prorsus abstineat. Melius autem esset, si in casibus valde periculosis persona surgeret aliquantulum sedens in lecto, aut etiam e lecto prosiliens. Interdum tamen media ista non iuvant, solumque pro effectu habent ut motus carnales diutius durent, vivi-

dioresque evadant, et sic persona ex una parte dormire non possit, et ex alia maiori periculo exposita remaneat. In tali casu ea sola remedia praescribantur ad quae poenitens stricte tenetur; nempe ut 1. pravas cogitationes expellat; 2. animo suo repugnet; 3. honeste se componat, si forte sive manibus sive aliter ad foedos actos se compositum reperiret; 4. una vel altera vice aliquantulum situm mutet. — Si autem pollutiones diurno tempore committantur, maxime iuvat fugere a loco ubi persona tentatur, et se distrahere. — Iuvare solent etiam defatigationes, et solum quando somnum valde urget lectum petere, et mane cito surgere. — Recolendum est etiam consilium Apostoli dicentis: « Melius est nubere quam uri ».

158. *Quid si foemina occasione satisfaciendi necessitatibus suis corporalibus peccet?* Satisfaciat necessitatibus suis; sed 1. cito se expediat; 2. modestiam meliori modo possibili servet. Ablutionibus autem, quae non ob menstrua, sed ob alias minoris (et saepe nullius) momenti causas peraguntur, abstineat; vel saltem easdem ad paucas vices reducat (intellige si foemina earundem occasione peccare soleat). *Praxis* 1121.

159. *Quid si foemina dicat se non posse abstinere a quibusdam tactibus propter pruritum; eamque esse causam, ob quam limites excedit et vere peccat?* Suadendum ut munditiem servet; ut plurimum enim propter immunditiam huiusmodi pruritus locum habent. Si autem, non obstante munditie, effectus iste perduret; tunc agetur quidem de morbo, sed quam maxime adhortanda, ne ad abigendum pruritum manus adhibeat. Balneis potius et pulvis ferreae buccellis utatur; aut medicum (aliâ comite) consulat. *Praxis* 296 *et* 1121.

160. *Quaenam remedia suggerenda sint adamantibus, qui sub spe matrimonii se invisunt eaque occasione peccant?* Si non adsit spes fundata matrimonii, cessatio ab huiusmodi amore et visitationibus exigatur. Stante spe fundata aut certitudine matrimonii secuturi, procuretur ut quo citius fieri potest matrimonium ipsum concludatur. Interim puella procuret ut propria mater vel soror semper sit praesens dum iuvenis adest.

161. *Quaenam erunt remedia si mulier peccet cum viro cum quo plus vel minus conversatur, sed non intuitu matrimonii?* Si amorem erga illum nutriat, totis viribus curandum erit ut eundem tamquam maleficum habeat; et de illo nec loquatur, nec cogitet. Confessarius dicere poterit, v. g.: Credisne quod vir iste te vere diligat? Diligit suas passiones; non te. Veniat tibi senectus, veniat infirmitas, veniant aliae mulieres quae illi

magis placeant, et videbis. Hi sunt velut asini, qui postquam comederint calcibus reiiciunt concham. Forsan hic et nunc alias mulieres iam adamat, te inscia. Vir iste est ruina tua quaquaversus. Aufert tibi honorem; iam de te certo certius dicteria fiunt, et forsan ille ipse ore proprio huc illuc te infamat, et irrisione multa te conversationum fabulam reddit. Occasionem matrimonii hoc modo quomodo invenies? Quid dicam de anima tua? Quid dicam de scandalo? Et tu maleficum huiusmodi adamas? Quid si pugione aut veneno vitae tuae insidias pararet? Quid si laqueo te suffocare aut in ignem coniicere vellet? Sed nonne peius facit? — Si mulier non propter amorem sed propter pecuniam (quam a viro accipit) peccet, curandum ut aliis mediis sibi victum procuret, suamque honestatem atque Dei timorem rebus omnibus praeponat et quovis pacto servet. In quolibet casu, videndum an occasionem evitare possit.

Si occasio sit *in esse* (nempe in eadem domo), videndum an poenitens possit aut illam eiicere, aut curare ut eiiciatur, aut semet ab eadem domo elongare. Si hoc fieri non valeat, aut non statim, tunc curandum erit imprimis ut mulier viro tentanti ostendat se nolle amplius consentire. Ut plurimum oportebit ut apertis verbis firmissimam ei ostendat voluntatem a turpi commercio cessandi (dicendo, v. g., quod iam dicteria fiunt, quod mariti vel parentum reprehensiones reformidantur etc.); sed interdum (v. g., ne misera famula statim, et non adhuc invento novo servitio, eiiciatur) expedire poterit si media indirecta eligantur, v. g., fingendo infirmitatem, et dicendo sibi copulam evasisse dolorosam eamque amplius sufferre non posse. Dein curandum ut mulier tempore nocturno sit prorsus in tuto. Ianuam cubiculi sui interius bene claudat, aut sub aliquo praetextu curet ut aliqua alia foemina secum dormiat. Diurno tempore melancholiam demonstret, serietatem ostendat; et, si nihilominus vir novos aggressus attentet, aliquem vocet, vel clamet, vel saltem clamare minitetur, aut serio dicat se uxorem illius, aut matrem sive propriam sive illius fore admonituram; et, in casu extremo, admonitionem faciat revera. Si autem separatio sit possibilis, in praxi ut plurimum oportet ut verum motivum aliquo praetextu tegatur; et, si res sit de famula, optime deservire solet si aliqua vixa studiose provocetur. Si occasio non sit *in esse*, si nempe vir in diversa domo habitet; tunc suggerendum est ut mulier curet non esse sola; et, si sola esse cogatur, ianuam claudat illamque viro advenienti non aperiat. In casu extremo (si fieri possit) domicilium mutet.

162. *Expeditne ut Confessarius non solum consiliis, sed etiam factis, mulierem adiuvet ut a peccandi occasionibus se liberet?* Si ageretur de collocanda muliere in aliquo monasterio vel religioso recessu, operam suam praestare posset: intellige si mulier id vere desideret, et caute (maxime si poenitens esset volubilis, aut si de illius sinceritate non esset plene fidendum et pecunia huc illuc inquiri deberet). Excepto hoc casu, Confessarius extra confessionale vix quidquam facere poterit; pericula enim gravissima exurgerent undequaque. Poteritne saltem eleemosynis poenitentes adiuvare? Si eleemosynas istas per tertiam personam ita facere posset ut appareret quod non ipse sed dicta tertia persona (interveniente commendatione Confessarii ipsius) illas elargiretur; tunc nihil in contrarium adesset. Si autem personaliter dumtaxat illas facere posset; tunc res esset plena periculi. Certe Confessarius eleemosynas in confessionali petitas facere non debet ex systemate. Pro aliquo autem casu extraordinario illas quidem facere poterit; sed valde caute. *Praxis* 1122.

163. *Quid si ageretur de concubinatu?* Videndum 1. An obtineri possit separatio; 2. Si separationis obtinendae spes non adsit, tunc videndum an sit possibilis celebratio matrimonii (*De Occas. n.* 117 - 138); 3. Si nec separatio nec matrimonii celebratio hic et nunc obtineri valeat, tunc nonnulla remedia iam supra (n. 161 in fin.) exposita pro interim deservire poterunt.

164 *Quid de coniugibus onanistis?* Supponendo quod delictum vere subsistat (interdum enim uxores credunt se esse reas quamvis viri delicto non cooperentur et ipsae dumtaxat debitum reddant), audienda erunt motiva; eorumque vis (loquendo de providentia Dei, et de infortuniis, quae, iram divinam provocando, ingruere poterunt) meliori modo possibili imminuenda erit. In aliquibus casibus raris obtinetur ut separatim dormiant. In casu extremo admoneri poterunt, ut si forte animadverterint aliquas esse epochas in quibus foecundatio facilius accidat, in illis ab opere coniugali abstineant prorsus; aliis vero temporibus opus ipsum legitime peragant (Epochas praedictas. nempe circa tempus menstruationis, in foeminis non paucis adesse de facto, idque foeminis ipsis non raro esse notum, negari non potest). *De Occas.* (261) *et S. Poenit.* 16 *Iun.* 1880.

165. *Quid de cauponae et ebrietatis vitium habentibus?* Unicum remedium est ut cauponam adire cessent. Ad hoc autem obtinendum oporteret omnino ut socios desererent et pecuniam nunquam secum deferrent.

166. *Quid de legentibus pravos libros?* Curandum ut, illis reiectis, libris, qui boni vel saltem tolèrabiles sint, provideantur.

167. *Quid de sectariis?* Ut plurimum diversarum sectarum asseclae quamdam taxam quolibet mense solvere debent. Hinc bonum remedium esse solet ut taxam istam solvere cessent, simulque consuetas congregationes amplius non adeant.

168. *Quid de periculis in scholis et collegiis?* Remedium prae caeteris magis efficax, imo non raro solum efficax, est ut seductionis auctores Superioribus denuntientur; idque interdum (maxime si seductor alios quoque, insciis Superioribus, ad malum inducat) sub obligatione cadere potest. *De Occasionar.* (*n.* 273).

169. *Circa remediorum assignationem quaenam advertentiae haberi debent?* 1. Principiis obsta; et proinde pueris et iuvenibus, dum primis vicibus peccatum aliquod mortale commiserunt, aut socium perversum adiverunt, aut librum pravum legerunt etc., magnum horrorem contra vitia huiusmodi incutiendum. 2. Curandum ut remedia sint viribus poenitentis proportionata, ab eoque lubenti animo acceptentur. Hinc unum vel alterum remedium dumtaxat (contra mala graviora) assignandum est; nec facile a filiis familias ut a parentibus veniam petant exigi debet. 3. Supposito relapsu, poenitenti remedii applicatio vividius inculcanda, et identidem an illud adhibuerit prudenter interrogandus erit. 4. Denique magna patientia adhibenda est, neque desperandum si cura sit multa et fructus parvus. *Praxis* 1123-1127.

170. *An dilatio absolutionis sit bonum remedium?* Remedium istud habet effectus bonos et effectus malos. Ex una parte potest valde excutere peccatorem, magnamque vim coactivam habere. Ex alia reticentiam peccatorum in sequentibus confessionibus, imo et magnam a Sacramentis alienationem sine ullo fructu producere potest. Usus itaque huius remedii magnam parsimoniam et prudentiam exigit. Sed de hoc sermo redibit infra.

§ III.

De officio doctoris.

171. *Quid significat officium Doctoris?* Quod Confessarius, si forte animadvertat poenitentem momentosa aliqua circa fidem aut mores ignorantia laborare, cum instruere debet.

172. *Haec instructio qualis esse debet?* Recta et prudens.

173. *Quid significat quod instructio debet esse recta?* Quod Confessarius cavere debet ne in suis decisionibus erret, dicendo, v. g., esse licitum vel illicitum quod tale non est; aut poenitentem talem vel talem obligationem habere, dum revera illam non habet etc.

174. *Quid exigitur ut Confessarius in praxi ab huiusmodi erroribus cavere possit?* 1. Debet habere scientiam sufficientem, quatenus circa casus obvios iuxta conditionem poenitentium qui accedere solent (v. g., de sexto, de blasphemia, de odio et detractionibus contra proximum, de compensatione, de restitutione, de obligationibus genitorum aliorumque praecipuorum statuum particularium, de sanctificatione diei festi, de occasione proxima, de usu matrimonii, de cooperatione ad malum, de ieiunio etc.) rectam decisionem statim dare possit. (*Praxis n.* 10). 2. Occurrente casu practico, cavere debet ne poenitentem perperam intellexerit, ne scilicet quid pro quo accipiat, aut necessarias distinctiones negligat. Item considerare debet circumstantias; saepe enim aliqua circumstantia sufficit ut talis vel talis doctrina amplius applicari nequeat. 3. Si casus sit difficilis, remittere debet poenitentem ad aliud tempus, atque interim studendo vel consulendo viros prudentes rem dirimere. Si tamen poenitens decisioni futurae stare sit paratus, ordinarie absolvi poterit. 4. Diligentia ad non errandum debet esse maior vel minor secundum quod casus maioris vel minoris momenti est. 5. Confessarius ad non errandum diligentiam quidem et circumspectionem; sed non usque ad scrupulum et anxietatem adhibere tenetur. *Praxis* 1108.

175. *Quid si poenitens afferat casum circa quem apud Theologos diversae adsint opiniones?* Quaelibet opinio teneri potest, dummodo sit solide probabilis.

176. *An opinio solide probabilis teneri possit in praxi tribunalis poenitentiae non solum si sit benigna (nempe in favorem libertatis), sed etiam si sit rigida (nempe in favorem legis)?* Hodie communiter negant; sed Auctores gravissimi affirmant; et reapse affirmandum est; secus enim probabilorismum tenere (et multo magis docere) nefas esset. Item sententias probabiles legi faventes in libris et in scholis tradere absque indicatione sententiae contrariae illicitum foret. Insuper illae omnes S. Ligorii opiniones quae stant pro lege (si contrariae sint probabiles) in praxi tribunalis Poenitentiae sequi nequirent; imo ne ipsum quidem systema huius S. Doctoris

(nempe aequiprobabilismus) practice teneri posset. Sed consequentiae istae nonne sunt contra sensum Ecclesiae, et speciatim contra celeberrimum responsum quod in favorem S. Ligorii a S. Poenitentiaria datum fuit? *Praxis* 1111.

177. *Utrum responsum istud intelligi debeat, quasi S. Poenitentiaria declarasset nullum errorem in operibus S. Ligorii unquam reperiri posse; aut non esse inquietandum illum, qui errore quoque cognito, aliquam eius sententiam doceret vel in praxi tribunalis poenitentiae teneret?* Negative. Sensus est quod omnes et singulae S. Ligorii opiniones teneri et doceri possunt, dummodo neque de errore satis constet, neque in applicatione practica aliquid grave propter circumstantias (v. g. temporis et loci) in contrarium adsit.

178. *Utrum, ad reputandum solide probabilem aliquam doctrinam, sufficiat si a proprio magistro, aut alio viro docto, aut ab Auctore aliquo cuius opus prae manibus habeatur, tamquam certa vel probabilis tradatur?* Affirmative, dummodo ex una parte Auctor aut vir doctus, attenta existimatione qua gaudet, vere fiduciam mereatur; et ex alia illius sententia tamquam falsa recognita non fuerit. *Praxis* 1111. *E.*

179. *Quid si Theologus neotericus teneret sententiam contra communem?* Eius sententia adhuc sequi potest sub tribus conditionibus; nempe 1. si magna existimatione vere gaudeat; 2. Si appareat quod consulto et re mature perpensa a communi sententia recesserit; 3. Si non constet quod eo in puncto manifeste erraverit.

180. *An Auctor aut vir consultus fiduciam amplius non mereatur si interdum erraverit?* Negative. Sufficit quod non soleat errare frequenter.

181. *Quid significat quod instructio debet esse prudens?* Quod Confessarius debet se gerere prudenter 1. Circa delectum opinionum; 2. Si poenitens ex conscientia erronea sit in bona vel in mala fide.

182. *Quomodo adhiberi debet prudentia circa delectum opinionum?* Eligendo in actu practico illas, quae pro tali vel tali casu meliores videntur. Ordinarie expedit ut opiniones benigniores teneantur, ne homines ad peccandum iam heu nimis proclives in iis quoque casibus peccent, in quibus, si a Confessariis benigna sententia adhibita fuisset, formaliter non peccassent; idque speciatim si agatur de rebus quae in praxi valde difficiliter obtineri solent (v. g., de restitutione, aut si poenitens sententiae Confessarii acquiescere nolit); maxime vero si

poenitens ipse in periculo proximae mortis versaretur. Interdum expedit e contra ut non benignior sed rigidior opinio teneatur; idque accidit speciatim quando ex una parte agitur de rebus quae suapte natura solent esse occasio ut homines in maiores excessus proruant, et ex alia poenitens sit satis timoratus et non adhuc habituatus. Hinc quaedam opiniones benigniores in materia sexti, v. g., circa oscula et amplexus; item in materia compensationis, melius esse solet ut non teneantur. Idem dic si bonum proximi in quibusdam casibus id exigere videatur. Exemplum habes in quibusdam opinionibus benignis circa praeceptum eleemosynae, circa blasphemias, circa iuvenes qui sub ficta promissione matrimonii puellam deflorarunt, circa quorundam enormissimorum damnorum (de quibus inspiciatur *Praxis* 1111, *in fin.*) reparationem etc.

183. *Quomodo prudentia adhiberi debeat si poenitens ex conscientia erronea sit in mala fide?* Si poenitens credat esse illicitum aut mortale quod tale non est, ordinarie expedit ut de huiusmodi errore admoneatur; sed interdum prudentia suadere potest ut in suo errore relinquatur; si nempe dicta credulitas frenum salubre pro eo esse videatur; prout in personis non adhuc habituatis, et in rebus quae excessuum periculum secum ferunt contingere potest. *Praxis* 1112.

184. *Quid est bona fides?* Est ignorantia, vel oblivio, vel inadvertentia circa legem aliquid iubentem vel prohibentem.

185. *Quotuplex est bona fides?* Totalis et partialis; certa et incerta; duratura et non duratura; innoxia et noxia. *Totalis* quando quis nullum omnino dubium habet, et existimat talem vel talem rem esse prorsus licitam. *Partialis* quando quis, dum talis vel talis res de facto est graviter illicita, existimat esse leviter illicitam; aut ita dubitat, ut, agendo cum dubio, se graviter peccare non apprehendat. *Certa*, quando Confessarius est moraliter certus quod poenitens reapse in bona fide versatur; secus *incerta* erit. *Duratura* si difficile sit quod poenitens unquam apprehendat rem illam esse illicitam; secus *non duratura* existimatur. *Innoxia* quando ex illa praeter fractionem materialem legis, nullum detrimentum spirituale nec poenitenti nec aliis obvenit (ut puta, si circa nullitatem matrimonii iam contracti versetur); secus *noxia* erit. Pro praxi notandum quod bona fides noxia existimatur si sit 1° circa peccata contra sextum; 2° circa occasionem proximam; 3° circa rem afferentem scandalum; 4° circa nullitatem matrimonii adhuc

contrahendi; 5° in Superioribus muneri proprio cum spirituali subditorum detrimento non satisfacientibus.

186. *Quibus in rebus bona fides dari possit?* Loquendo de sola possibilitate, bona fides (maxime solum partialis) dari potest etiam in rebus, de quibus id videretur impossibile. Loquendo autem de frequentia, bona fides datur frequenter 1° Propter ignorantiam facti, v. g., dum quis ignorat rem quam possidet esse alienam, vel non advertit hac die esse abstinendum a carnibus, vel nescit proprium matrimonium invalide contractum fuisse etc. 2° Propter ignorantiam alicuius legis positivae non vulgo notae; v. g., circa obligationem denuntiandi intra mensem Confessarium, qui plus vel minus confessione vel confessionali abusus fuerit; 3° Propter ignorantiam ipsius legis naturalis in rebus non per se evidentibus (v. g., circa obligationem restituendi *in solidum*), maxime quando notabilis rationum complicatio intervenit, ut puta, si quis existimaret non esse grave mentiri in iudicio ad salvandum hominem a morte. Bona fides datur speciatim in pueris et rudibus, maxime vero si dici audierint talem vel talem rem esse licitam vel non graviter illicitam.

187. *An bona fides dari possit non difficiliter etiam in rebus contra sextum praeceptum?* Theologi passim negant; sed ex praxi patet quod circa pollutiones, circa motus carnales (etiam directe procuratos), circa peccata solis tactibus commissa, et multo magis circa cogitationes et desideria, bona fides non difficiliter datur. Attamen bona fides in rebus contra sextum neque certa, neque totalis, neque duratura, neque innoxia (ut supra dicebam) censetur. Datur etiam bona fides valde facile in pluribus inordinationibus circa usum matrimonii. *Praxis* 1113.

188. *Utrum bona fides circa occasiones proximas facile dari possit?* Quoad occasiones, quarum malitia oculos (ut ita dicam) valde non percellit, aut quibusdam excusationibus non insulsis locum relinquunt, saepe bona fides dari solet, quatenus multi cognoscunt quidem se non debere peccare, sed non advertunt se etiam teneri ad illas deserendas. Huiusmodi generis facile sunt conversationes periculosae, choreae, amores (intuitu matrimonii), ludus, cauponae etc. Si vero agatur de occasionibus, quarum malitia unicuique statim patet, ut puta, si quis solo concubinae titulo foeminam retineat, tunc certe bona fides, saltem quoad substantiam, dari nequit. Dico *quoad substantiam;* interdum enim quoad circumstantias particulares, v.

g., quoad tempus et modum separationem exequendi, ignorantia et bona fides dari potest. *De Occasionariis n.* 31.

189. *Utrum circa obligationem restituendi, reparandi magnum scandalum, reconciliationem cum inimico faciendi, et uno verbo circa obligationes communiter notas bona fides dari possit?* Quoad substantiam et seclusa qualibet excusatione, negative. Quoad circumstantias particulares autem temporis et modi, aut si aliquae excusationes non prorsus insulsae adsint; affirmative.

190. *Quomodo cognoscitur quod poenitens circa aliquid sit in bona fide?* 1° Ex eius silentio; 2° Ex communiter contingentibus, attenta conditione poenitentis ipsius; 3° Ex particularibus circumstantiis, et speciatim si poenitens sit timoratae conscientiae, aut si excusationes non prorsus insulsas in medium adducat.

191. *Quomodo se gerere debet Confessarius si poenitens circa rem vel obligationem aliquam in bona fide versari videatur?* Distinguendum imprimis an res illa cum peccatis a poenitente ipso accusatis connexionem habeat vel non habeat.

192. *Quid itaque si agatur de obligatione quae cum confessione facta connexionem habeat?* Videndum an haec obligatio sit communiter ignota, an vero sit communiter nota.

193. *Quid si sit communiter ignota?* Supponendo quod poenitens circa rem illam dubia non ostendat et quod proinde eius ignorantia sit invincibilis, expedit ut Confessarius dissimulet, nisi non solum speret fructum, sed etiam sit moraliter certus quod fructum obtinebit, et quod ex admonitione malae consequentiae suboriturae non sint. Tacebit itaque 1° Si adsit periculum admonendi poenitentem sine fructu et sic coniiciendi illum a peccato materiali in peccatum formale. Exemplum habes in obligatione restituendi *in solidum*; quo casu, imposita obligatione restituendi, facile dissimulandum erit quod summa totalis (aliis non restituentibus) restitui debeat. Tacebit 2° Si poenitens quidem obtemperaturus esset, sed malae consequentiae reformidanda essent ex parte alterius. Exemplum habes in matrimonio, inscio poenitente, invalido; quamvis enim, v. g., mulier separationi consensura esset, reluctantia a parte mariti reformidanda foret.

194. *Quomodo Confessarius erit certus vel incertus de fructu a parte poenitentis?* Considerando 1° Rem in se, utrum nempe sit facilis, an vero ardua; 2° Vires poenitentis ipsius, nempe an sit virtuosus et valde timoratus; an vero secus; 3° Influxum exhortationis, utrum scilicet tempus et modus suppe-

tat exhortationem adeo efficacem faciendi, ut poenitens flecti possit; an vero secus.

195. *Quid si obligatio, circa quam poenitens forte in bona fide versatur, sit communiter nota?* Tunc Confessarius (nihil aliud respiciendo) admonitionem facere debet. Poenitens, v. g., de furto, de damnificatione, de calumnia, de inimicitia, de concubinatu etc. se accusavit. Equidem de restitutione, de reparatione, de retractatione, de reconciliatione, de separatione etc. admoneri debet; tunc enim ex una parte bona fides erit ad minus valde incerta et non duratura; et ex alia, si Confessarii in huiusmodi casibus tacerent, dogmata falsa (quasi nempe obligationes istae non subsisterent) efformarentur. Idem dic a fortiori, si ipsum Confessarii silentium, magnum scandalum praeberet; ut puta, si Sacerdos haereticus vel schismaticus, retractationis obligatione non imposita, absolveretur.

196. *Quid si poenitens, de restitutione, vel reconciliatione, vel separatione ab occasione admonitus, excusationes in medium adduceret?* Si excusationes sint adeo insulsae ut vere bonae fidei locum dare nequeant, tunc insistendum est. Si autem sint tales ut, quamvis forte non sint sufficientes, tamen bona fides vere adesse praesumi debeat; videndum an haec bona fides sit spiritualiter innoxia, an vero noxia. Si sit innoxia simulque adsit periculum coniiciendi poenitentem a peccato materiali in formale (prout facile erit in casu restitutionis), expedit ut Confessarius dissimulet. Caveat tamen ne sive expresse sive tacite reprobanda approbet; sed solum a subtilioribus inquisitionibus (ex quibus forte obligatio poenitentis detegeretur) abstineat, et dicat in genere, v. g.: *Si non potes restituere, pro nunc excusaris: habeas tamen propositum restituendi quando poteris.* Si vero bona fides sive poenitenti sive aliis sit spiritualiter noxia, tunc de regula ordinaria excusationes fortiter reiiciendae sunt et pro obligatione instandum est. Id contingit in duobus casibus, nempe si de occasione proxima aut de scandalo, seu quomodolibet de spirituali damno aliorum (ut puta, si Pater familias, vel Episcopus, vel Parochus, vel Princeps muneribus suis non satisfacerent) agatur; in primo casu enim poenitenti, et in secundo proximo bona fides noxia erit; adde quod ut plurimum ad minus valde incerta et non duratura erit. Aliunde, quamvis reformidandum esset quod hic et nunc fructus non obtineatur et poenitens pro interim in peiorem statum coniiciatur: adhuc sperari deberet quod in posterum fructus obtinebitur; et notandum quod, si agatur de damno publico, spes

etiam exigua illud e medio auferendi plurimum aestimari et facile periculo etiam magno damnum inferendi poenitenti praeferri debet. Dixi *de regula ordinaria;* si enim res sint ita dispositae ut ex una parte bona fides vere subsistere possit, et ex alia, si Confessarius insisteret, id unum expectari debeat ut nullus fructus neque hic et nunc neque in posterum obtineatur, et poenitens dimissus inabsolutus Sacramenta relinquat vel quomodolibet in peius ruat; tunc quoque melius erit si Confessarius poenitentem adhortetur dumtaxat, et strictam gravemque obligationem ei non denuntiet. Casus huiusmodi practice accidere possunt speciatim quoad conversationes, amores aliasque occasiones, quas (n. 188) indicavi. Vide *De Occasionariis n.* 29-41.

197. *Quid si agatur de obligatione quae cum confessione a poenitente facta nullam connexionem habeat? Timet, v. g., Confessarius ne poenitens sit avarus, iniustus etc.; vel ne turpia committat, aut pravam consuetudinem cum foemina habeat, aut muneribus proprii status* (*forte cum damno publico*) *non satisfaciat; poenitens autem nihil dicit. Quomodo se gerere debet Confessarius?* Distinguendum est inter casum et casum. Si non solum adesse possit bona fides, sed etiam haec ipsa bona fides spiritualiter innoxia videatur et Confessarius existimet esse melius quod poenitens in ipsa relinquatur; tunc interrogationes speciales circa rem de qua suspectus habentur fieri non debent. Admoneatur itaque solum poenitens ut sincere omnia pandat, et interrogetur in genere num aliquid aliud eius conscientiam remordeat.

Si vero bona fides (si forte adsit) noxia esse videatur (vide dicta n. 185); tunc Confessarius ad ulteriores interrogationes ordinarie sed caute procedere debebit; et, si poenitens sic interrogatus peccatum suum fateatur, dicendo fortasse quod hucusque rei illius malitiam ignorabat vel credebat esse levem, Confessarius de culpae gravitate illum edocebit. Dixi *ordinarie sed caute;* curandum est nempe ut interrogatio illa, quae necessaria esse creditur, cum aliis immisceatur, et cavendum ne poenitens offendatur (quod enim offendit non convertit); idque maxime si Confessarius de poenitentis male facto non sit certus. Aliud enim est si de male facto isto Confessarius sit certus, simulque pro certo habeat quod poenitens nullam legitimam excusationem habere possit; aliud vero si de his sit incertus. In primo casu (qui caeteroquin non facile accidit) Confessarius semper aut fere semper notabiliter instare debebit; in secundo

autem non item ; secus enim Sacramentum istud tam poenitentibus quam Confessariis nimis molestum et invisum redderetur.

198. *Quid si poenitens interroget?* Responsio iuxta veritatem ei dari debebit; tunc enim ex una parte ignorantia est vincibilis et conscientia poenitentis non est tranquilla, et ex alia Confessario contra legem Dei mentiri nefas est. Interdum tamen interrogatio potest esse ad modum admirationis vel exigui timoris aut scrupuli, ita ut bona fides (saltem excusans a mortali) adhuc subsistat. In hac hypothesi, si non videatur expediens quod veritas poenitenti aperiatur, Confessarius non quidem poterit declarare licitum quod illicitum est, bene vero poterit dissimulare, fingendo se non audivisse, vel non attendisse, vel respondere oblitum fuisse.

199. *An Confessarius mysteria fidei necessaria necessitate medii poenitentes edocere debeat?* Ordinarie negative. Dixi *ordinarie;* excipiendus enim est casus, in quo positive deprehenderet, aliquem poenitentem illa ignorare quoad substantiam. *Praxis* 1114.

§ IV.

De officio iudicis.

200. *Quid significat officium iudicis?* Quod Confessarius debet 1° poenitentem interrogare (quatenus opus sit); 2° recte se gerere quoad absolutionem dandam, vel differendam, vel denegandam; 3° congruam poenitentiam imponere.

PUNCT. I.

De interrogationibus.

201. *Adestne obligatio interrogationes faciendi?* Affirmative, si sint necessariae et nihil obstet.

202. *Quandonam sunt necessariae?* 1° Si poenitens numerum peccatorum mortalium aut circumstantias explicatu necessarias non exprimat, aut in re quae momentosa esse possit ambigue loquatur. 2° Si Confessarius sciat, aut graviter et non temere suspicari debeat, quod poenitens, quem ad suos pedes habet, sive ex verecundia, sive ex defectu examinis, sive ex oblivione et ignorantia (prout in iis rudibus qui a longo tempore non sunt confessi et nihilominus fere nihil accusant facile contingit), aliqua mortalia reticeat. 3° Si oporteat poenitentem

interrogare ad cognoscendum quaenam obligationes aut quaenam remedia ei iniungi debeant; v. g., an teneatur ad restitutionem, an versetur in occasione proxima, an sit habituatus etc. 4° Si aliquae interrogationes essent necessariae ad cognoscendum an poenitens verum dolorem et propositum habeat. Denique 5° Si poenitens esset interrogandus ad cognoscendum an vere deliquerit; v. g., an cogitationibus pravis (quas habuisse dicit) vere consenserit. *Praxis* 1085 1089 - 1106.

203. *Cur dixisti interrogationes istas esse faciendas si nihil obstet?* Quia a faciendis interrogationibus, quamvis ad praedictos fines plus vel minus necessariae forent, interdum excusant difficultates, incommoda et pericula, quae sive poenitenti sive Confessario obventura essent. Casus contingere posset, v. g., si Confessarius propter poenitentis stupiditatem vel surditatem, facta una vel altera interrogatione, nihil percipere potuisset. Item si adesset periculum coniiciendi in malitiam, vel offendendi, vel nimio taedio afficiendi poenitentem. Item si Confessarius ipse in aliquo casu speciali propter interrogationes nimiis tentationibus exponeretur; aut si ageretur de tempore pestis, atque adesset periculum pestem contrahendi nimis immorando etc.

204. *An verum sit quod poenitentes qui ex verecundia peccata sacrilege reticent sint multi; et an vera adsit obligatio adhibendi industrias erga quemlibet poenitentem ut omnia confiteatur?* Poenitentes qui ex verecundia peccata reticent alicubi sunt multi, et alicubi sunt pauci vel paucissimi *. Ubi autem sunt multi, haec multitudo intelligenda est non quasi inter duos vel tres poenitentes certe adsit unus qui peccata reticeat, sed eo sensu, quo dicimus, fures, adulteros, sodomitas etc. esse multos; nec tamen de quolibet poenitente prudenter et graviter

* De hoc sum certissimus ex mea propria experientia. Pluribus annis pro systemate habui vehementer adhortari populum mane et vespere toto Missionis tempore, enarrando semper exempla terrifica, ut unusquisque in Missione ipsa accusaret peccata eousque ex verecundia reticita. Alicubi reperii reapse quod non pauci confessiones sacrilegas propter hanc verecundiam fecerunt. Alicubi e contra nihil aut fere nihil reperii. In bonis paroeciis in quibus Parochi sunt zelantes, et Parochiani non coguntur confiteri apud Parochum vel Capellanum, sed migrare possunt quo volunt; confessiones sacrilegae propter verecundiam non solent esse multae. Imo interdum idem obtinet etiam in Paroeciis, in quibus Parochi non sunt zelantes, forte quia in quibusdam locis peccata carnalia (de quibus maior verecundia haberi solet) multo minus abundant; aut quia incolae ex indole propria sinceri et aperti esse, vel maiori ponderatione in rebus suis procedere solent.

suspicari possemus eum esse furem, adulterum, sodomitam etc. Quamvis enim vera istarum hominum multitudo subsistat, tamen suspectus quod poenitens quilibet talis sit (nisi alia specialia indicia praeseferat) quam maxime temerarius esset. Confessarius autem tenebitur quidem inquirere quando graviter, prudenter et probabiliter, non vero etiam quando leviter, temere et nullo probabili indicio positivo suspicatur, poenitentem talia vel talia peccata commisisse, eaque insuper sacrilege reticere. Obligatio inquirendi etiam in hoc casu, et quidem sub gravi, et quidem non unam vel alteram simplicem interrogationem sed subtiles industrias et astutias adhibendo, ponitur a quodam scriptore moderno. Sed doctrina ista non solum prorsus erronea sed longe magis perniciosa quam utilis est. Huius enim Sacramenti administrationem ex una parte Sacerdotibus nimis onerosam, difficilem, periculosam et omnino invisam ; et ex alia poenitentibus quoque periculosam et taediosam redderet. Scripsit Croix (VI. I. II9). « Certum est Christum ita instituisse Sacramenta, ut noluerit, eorum administrationem aut susceptionem esse moraliter impossibilem et odiosam fidelibus ministraturis (aut suscepturis) ». Vide etiam Suarez Cap. XXXII. Sect. II. 3. Caeterum laudanda et enixe commendanda est praxis illorum bonorum Confessariorum, qui ad praecavendum periculum etiam remotum confessionis sacrilegae, pueros et quosdam alios poenitentes speciali modo (imo etiam interdum interrogationibus suggestivis utendo) adiuvant ut sincere omnia pandant. Isti profecto laudandi sunt magnopere, dummodo caute, moderate, et non sine discretione inter personam et personam, semper se gerant.

205. *Subsistente vera obligatione interrogandi , qualiter peccat Confessarius, si non interroget?* In theoria responsio vix dari potest. In praxi consideranda est interrogationum necessitas, utilitas et facilitas. Certe si ageretur dumtaxat de omissione alicuius interrogationis, quae solam integritatem materialem respiceret ; ita ut Confessarius in substantia fere eodem modo statum poenitentis cognosceret ; tunc culpam mortalem non admitterem. Recolendum quod obligatio procurandi integritatem confessionis est maior in poenitente quam in Confessario. *Praxis* 1087.

206. *Quales sint regulae principales circa interrogationes?* Debent esse necessariae aut saltem utiles; discretae ; prudentes ; modestae, et tempestivae.

207. *Explica has qualitates.*

Necessariae aut saltem utiles — Fiant itaque solum quatenus ad integritatem Sacramenti vel bonum poenitentis deservire possint; et Confessarius ab interrogationibus inutilibus et mere curiosis prorsus abstineat.

Discretae — Fiant nempe circa peccata obvia, quae (attenta conditione poenitentis, eiusque moribus et instructione, nec non diuturnitate vel brevitate temporis) facile ab eo committi simulque reticeri potuerint; non vero (seclusis indiciis positivis, aut nisi forte de confessione generali ageretur) circa casus raros et non verisimiles.

Prudentes — Abstinendum est scilicet ab interrogationibus, quamvis caeteroquin necessariae vel utiles viderentur, si periculum alicuius mali praeponderantis includerent. Cavendum est speciatim a periculo coniiciendi in malitiam pueros vel puellas, aut poenitentem offendendi, aut ei ingerendi malam opinionem de personis ecclesiasticis etc. Tunc verba generalia dumtaxat adhibenda sunt; aut valde a longe incipiendum est.

Modestae — Abstinendum est nempe ab expressionibus, quae sacerdotali modestiae et decori non congruunt, aut nimis vivide peccata carnalia imaginationi repraesentant. Expressiones decentes non desunt; sed si istae Confessario menti non occurrerent, taceat potius et sinat Confessionem non esse integram. Dixi: *expressiones decentes non desunt;* sic, v. g., si poenitens se accusaverit de tactibus, et Confessarius suspicetur quod etiam fornicatio vel sodomia adfuerit, dicere poterit: Non solum tactus fecisti, sed peius; nonne est ita?

Tempestivae — Distinguendum est nempe inter interrogationes quae parum, et illas quae multum confessionem interrumpunt. Primae fieri possunt statim post peccatum accusatum et non satis explicatum. Secundae ad finem confessionis reservari debent. *Praxis* 1088.

208. *Pro praxi quid speciatim notandum circa circumstantias speciem mutantes?*

I. Quando poenitens accusat peccatum, in quo non difficile adfuit circumstantia speciem mutans, semper bene erit si de circumstantia ipsa interrogetur; v. g., an blasphemia fuerit haereticalis, an foemina cum qua poenitens peccavit fuerit coniugata, an peccatum cum aliorum scandalo commissum fuerit etc. Sed, loquendo de rigorosa obligatione, notandum quod rudes multas circumstantias speciem mutantes parum vel nihil considerant aut solum tamquam aggravantes habent; et sic earum malitiam, quatenus materiam necessariam confessionis

efformat, non contrahunt. Credendum est autem quod, si de tali vel tali malitia speciem mutante cognitionem gravemque remorsum haberent, iam (secluso casu verecundiae) illam sponte confiterentur. Stricta itaque obligatio interrogandi poenitentes circa circumstantias speciem mutantes reducitur ad casus, in quibus timendum est ne ex verecundia illas reticeant. Casus huiusmodi contingere potest speciatim in incestibus, in percussione parentum, et in peccato carnali cum persona sacra. *Praxis* 1104. *V.*

II. Quando poenitens accusat peccatum, in quo circumstantiae aggravantes dumtaxat adesse solent, regulariter nulla interrogatio necessaria erit. Sed notandum quod aliquae circumstantiae, quamvis sint solum aggravantes, communiter a Christifidelibus rerum theologicarum ignaris habentur ut omnino accusandae. Exemplum habes in furto ingenti. Confessarius itaque non tantum a doctrinis Theologorum, quantum a conscientia poenitentium regulam pro interrogationibus faciendis sumere debebit *. *Praxis* 1105. *IX.*

209. *Quid notandum in praxi circa species infimas?* Aliquae sunt communiter notae; unde omnes norunt quod aliud est pollutio, aliud vero fornicatio, et aliud sodomia. Aliae autem communiter distingui non solent; unde plurimi inter gaudium, desiderium et delectationem morosam (et multo magis inter diversa obiecta carnalia, v. g., an solos tactus an vero concubitum desideraverint) nullam distinctionem faciunt, et credunt satis esse si dicant: *Habui cogitationes inhonestas.* Si itaque agatur de speciebus infimis quae distingui non solent, non oportet ut Confessarius, speciatim cum poenitentibus rudibus, maxime vero si de confessionibus prolixis res sit, interrogationes circa illas faciat; et pariter non oportet ut poenitentes, qui in antecessum illas non distinxerunt, ad confessiones repetendas adigat. *Praxis* 1105. *VI.*

* Quaestio fit an *irrumatio* (seu pollutio in ore), et osculum, linguâ introducta, a consuetis tactibus et osculis adeo differant, ut hae circumstantiae sint omnino accusandae? Quidquid sit de theoria, certe poenitentes ex una parte non solent esse tranquilli nisi illas explicent; et ex alia de rebus huiusmodi accusandis valde verecundantur. Unusquisque tamen videt quod Confessarius magna prudentia uti debet; solumque si poenitens valde irrefraenatus videatur vel agatur de Confessione generali, dicere poterit, v. g.: hi tactus, vel haec oscula accideruntne modo consueto, an vero interdum alio modo magis malitioso? Si poenitens dicat: *Alio modo:* Confessarius reponat: *Intellexi; satis confessus es.*

210. *Quid de poenitentibus qui, accusatis fornicationibus vel adulteriis, de actibus incompletis cum iisdem personis separatis vicibus commissis (v. g. tactibus, osculis, amplexibus etc.) nihil dicunt?* Interrogari debent utrum, quando actum completum facere non potuerunt aut noluerunt, ad alias confidentias diverterint. Habita responsione affirmativa, id satis est; nec oportet (ordinarie) minutiores interrogationes facere, aut petere an tactus usque ad pollutionem producti fuerint. Huiusmodi enim interrogationes periculum in Confessariis, et admirationem in poenitentibus producere solent. *Praxis* 1105. *X.*

211. *Quid de interrogationibus circa peccatorum numerum?* Interrogetur poenitens an sit vel non sit habituatus. Si non sit habituatus, interrogetur quot vicibus peccatum perpetraverit. Si vero sit habituatus, tunc sequentes regulae observari possent.

Quoad concubinarios matrimoniali modo conviventes, et quoad meretrices publici lupanaris, sufficit si interrogentur de tempore huius malae vitae. Si tamen praeter peccata consueta, accusassent quoque, v. g., abortus, vel sodomias, vel incestus, vel sacrilegia, vel scandalum puerorum, vel onanismum etc.; tunc circa numerum horum peccatorum interrogatio specialis fieri deberet.

Quoad alios poenitentes habituatos, Confessarius interrogabit an frequenter, an vero raro peccatum commiserint.

Si poenitens respondeat peccasse raro, tunc circa numerum exactum aut verisimilem illum interroget.

Si e contra respondeat peccasse frequenter; tunc, si Confessarius coniiciat quod numerum verisimilem exprimere possit, de illo interroget; secus non oportet ut ullam interrogationem superaddat. Agitur, v. g., de habituato in pravis cogitationibus, aut blasphemiis? Non oportet ut de numero vel de modo frequentiae interrogetur; sed sufficit si de frequentia constet. Agitur de habituato in pollutionibus solitariis? Si confessio sit brevis temporis, interrogetur de numero; si vero a longo tempore non fuerit confessus, sufficit si frequentiam expresserit. Agitur de poenitente qui fornicationes vel tactus turpes cum variis foeminis ex consuetudine commiserit? Debebit quidem interrogari de numero circa fornicationes (maxime si confessionem temporis non adeo diuturni faciat); sed circa tactus, cognita frequentia, ordinarie satis erit. *Praxis* 1105. *XII.*

212. *Qui dicit se una nocte dormiisse cum foemina, debetne interrogari num unica vice, an vero pluribus vicibus copulam hubuerit, aut an praeter copulam alii tactus semel vel*

pluries perpetrati fuerint? Huiusmodi interrogationes, quae periculum in Confessario et admirationem in poenitente facile suscitant, omitti possunt.

213. *Quid de interrogationibus circa poenitentis complicem?* Fieri possunt illae interrogationes quae sunt necessariae ad cognoscendam speciem peccati, vel ad providendum de remediis; interrogando, v. g., an complex (et idem dic de obiecto peccati) sit persona consanguinea, coniugata, sacra etc.; an habitet in eadem domo etc.

Si vero Confessarius ex mera curiositate, vel etiam ex intentione corrigendi complicem ipsum cum licentia poenitentis, devenire in eiusdem cognitionem procuraret, male se gereret. Si autem non solum interrogaret, sed etiam poenitenti renuenti et stricte non obligato absolutionem denegaret; tunc mortaliter peccaret; et S. Officio (non tamen a poenitente in causa propria) intra mensem denuntiandus esset.

Dixi *stricte non obligato*; non enim agitur de casu (caeteroquin rarissimo et vix practico) in quo Confessario ipsi (intellige extra confessionem) poenitens complicem evidenter ex lege naturali vel positiva denuntiare teneretur. *Praxis* 1106.

PUNCT. II.

De absolutione danda, vel differenda, vel deneganda.

214. *Circa absolutionem dandam, vel differendam, vel denegandam quales sint regulae principales?* Tres; nempe 1° Poenitenti certe indisposito absolutio est deneganda; 2° Certe disposito est danda; 3° Dubie disposito est interdum differenda et interdum *sub conditione* danda.

215. *Quandonam poenitens iudicandus erit certe indispositus?* Casus practici sunt sequentes. 1° Quando peccata sua deserere vel manifestis suis obligationibus (v. g., restituendi vel relinquendi occasiones proximas voluntarias etc.) satisfacere apertis verbis recuset. 2° Quando de sacrilega reticentia alicuius peccati mortalis Confessarius sit certus.

216. *Quid si de hac sacrilega reticentia esset quidem certus, sed ex scientia subiecta sigillo, prout in confessione*

novorum sponsorum facile accidere potest? S. Ligorius dicit quod Confessarius in tali casu absolutionem fingere debet. Alii censent, absolutam certitudinem sacrilegae reticentiae dari non posse, et poenitentem sub conditione esse absolvendum. *Praxis* 962.

217. *Quandonam poenitens iudicandus erit certe dispositus?* Quando ex una parte consueta doloris signa ostendit, et ex alia nullum solidum fundamentum graviter dubitandi adest. Certitudo absoluta non exigitur, sed sufficit certitudo moralis.

218. *An regula de absolutione danda poenitentibus dispositis ullam exceptionem patiatur.* Affirmative. Excipitur nempe casus, in quo bonum poenitentis aut bonum publicum exigat ut absolutio differatur. Id autem facile contingere poterit 1° Si poenitens teneretur ad dimissionem occasionis, vel ad aliquam restitutionem, reconciliationem, denuntiationem, vel uno verbo ad aliquid arduum quod hic et nunc et unico actu perfici valeat. 2° Si magna et extraordinaria incutiendi terrorem in poenitente necessitas urgeret. 3° Si ageretur de scandalo magno, et multo magis si ipsa absolutionis concessio (scandalo de facto prius non reparato) admirationem et scandalum Christifidelibus allatura foret.

219. *Quandonam poenitens iudicandus sit dubie dispositus?* 1° Quando ex eius ipso modo loquendi de bona dispositione gravis suspectus oritur; 2° quando consueta quidem dat signa doloris, sed Confessarius cum fundamento et graviter timet ne eius poenitentia non sit vera.

220. *Dixisti quod poenitentibus dubie dispositis absolutio interdum est differenda et interdum sub conditione danda. Explica quando differri et quando dari debeat?* Videndum an subsistat causa sufficiens, quae suadeat absolutionem, non obstante dubio, esse concedendam; si nempe bonum poenitentis aut bonum publicum exigat vel exigere videatur ut poenitens absolvatur (Intellige tamen semper quod Confessarius, quatenus potuerit, exhortationem praemiserit).

221. *Enumera casus magis practicos, in quibus poenitentes, etsi dubie dispositi, regulariter absolvendi sunt.* 1° Casus moribundi; 2° Si poenitens non possit redire nisi post longum tempus, vel cogeretur repetere confessionem apud alium Confessarium cum gravi difficultate. 3° Necessitas communicandi, vel eo ipso mane matrimonium contrahendi. 4° Periculum speciale, ne poenitens, propter dilationem absolutiouis, in desperationem se coniiciat, vel Confessarium stabilem eique valde

utilem deserat, vel in posterum peccata reticeat, vel alienetur a Sacramentis, et multo magis si adesset periculum ne per multos annos et forsan per totam vitam praecepto paschali non amplius satisfacturus, aut etiam Religioni prorsus valedicturus esset. 5° Casus semifatui, pueri, stupidi, surdi, muti, mussitantis, et uno verbo si tales adsint circumstantiae habituales et indeclinabiles, ut Confessarius poenitentem circa dispositionem examinare nequeat. 6° Casus urgentes, in quibus poenitens ex una parte non possit immorari in confessionali ut plene disponatur vel examinetur, et ex alia indigeat ut ea vice absolvatur. 7° Casus poenitentis dubie dispositi in fine Missionis vel Iubilaei. 8° Casus poenitentis cui aliis vicibus dilata fuerit absolutio, sed inutiliter; quatenus eodem modo dubie dispositus semper redierit. 9° Si Confessarius absque extraordinario populi taedio, murmure et admiratione, poenitentem, ea vice absolutione indigentem et adhuc dubie dispositum, amplius detinere nequiret, prout die Paschatis, aut audiendo confessionem infirmi cui Eucharistia iam est delata, contingere posset. 10° Si Confessarius benignius agendo cum tali vel tali poenitente, speraret quod ille contentus multos alios ad Confessionem adduceret, dum, si inabsolutus dimitteretur, alios a confessione alienaret; prout speciatim in Missionibus interdum contingere potest. *De Recidivis n.* 157 - 180. 189.

222. *Dixisti absolutionem poenitentibus dubie dispositis interdum dari quidem posse, sed sub conditione. Quid significat conditio ista: et debetne esse verbis expressa?* Significat quod absolutio datur non absolute, sed sub conditione: *Si capax es* vel *si es dispositus*. Quod autem haec conditio verbis exprimatur, non oportet. Imo probabiliter ne oportet quidem ut in mente concipiatur explicite; quatenus absolutio iam suapte natura semper conditionalis est, et conditio semper subintelligitur. *De Recidivis* 118. 124.

223. *Quaenam est doctrina communis circa habituatos-recidivos?* Quod post tres vel quatuor confessiones debet eis (tamquam dubie dispositis) differri absolutio, nisi afferant aliquod signum extraordinarium. Excipe nisi causa gravis suadeat ut nihilominus sub conditione absolvantur.

224. *Qualia sunt haec signa extraordinaria?* Multa adducuntur; sed reduci possunt ad duo. Primum est studium emendationis post anteactas confessiones; ut puta, si poenitens numerum peccatorum diminuerit, aut aliquandiu post confessionem a consuetis peccatis abstinuerit, aut media praescripta adhibue-

rit. aut solum post notabilem resistentiam relapsus fuerit. Secundum est maior ostensio bonae dispositionis in praesenti confessione; ut puta, si poenitens sponte aut post exhortationem Confessarii verbis insolitis et cordialibus se esse vere contritum significaret et a fortiori si lacrymas effunderet. Idem dic si, ut hac vice ad confessionem accederet, longum iter suscepisset, vel quodvis aliud magnum incommodum sustinuisset, aut si aliquo extraordinario motivo (v. g., missionis vel concionis auditae) ductus fuisset; aut si iam aliquo tempore ante praesentem confessionem a peccatis abstinuisset, vel obligationibus suis (v. g., restitutionis, reconciliationis etc.) satisfecisset; aut si nunc peccatum in anteactis confessionibus prae verecundia reticitum accusasset etc.

225. *An Confessarii, toties quoties audiunt confessionem alicuius habituati, veram habeant obligationem investigandi an sit recidivus, et an aliquod ex recensitis signis extraordinariis praeseferat?* Negative. In praxi enim iudicium de dispositione vel indispositione poenitentis, et de absolutione danda vel non danda, independenter ab investigatione ista ut plurimum commodissime efformari potest. Reapse si neque de occasione proxima, neque de restitutione, neque de magno odio, neque (uno verbo) de peccatis, quibus homines tenaciter adhaerere solent, agatur; praesumendum est quod poenitens sit dispositus aut saltem quod pauca verba ad illum disponendum sufficiant. Hoc autem verificari solet in casibus frequentissimis blasphemiarum, pollutionum etc. (*De Recid.* 54). Si autem poenitens habeat peccatum cui tenaciter adhaereat et reapse non sit dispositus, valde difficile est, quod (si Confessarius, prouti debet, obligationes quas habet ei denuntiet, illumque de proposito interroget) indispositionem suam non manifestet, vel saltem de illa indicia non praebeat. Stantibus huiusmodi indiciis, quae (uti patet) iam per se (ut ita dicam) oculos percellunt; utique Confessarius speciales cautelas adhibere debebit. Si tamen (et hoc pariter saepissime contingit) aliqua ex causis supra (n. 221) recensitis urgeret et sic oporteret vel expediret ut poenitens absolvatur; tunc quoque non erit necessarium ut Confessarius investiget an vere (propter absentiam signorum extraordinariorum) tamquam dubie dispositus poenitens habendus sit; sed potius regulariter oportebit ut exhortationem adaugeat, illumque sive satis dispositum sive adhuc dubie dispositum (dummodo non esset certe indispositus) absolvat. Sic itaque in praxi non oportet ut Confessarius circa signa extraordinaria in angustias

se coniiciat; et circa dispositionem poenitentis valde facile sibi satisfacere potest *.

226. *Quid est occasio peccati?* Est persona vel res extrinseca propter quam homo in peccandi periculo versatur.

227. *Quomodo distinguitur occasio peccati?* Proxima (si periculum est grave); remota (si est leve) ; voluntaria (si facile evitari possit); necessaria (si nullo modo aut solum cum gravissimo sacrificio evitari valeat); *in esse* (si sit in eadem domo); *non in esse* (si sit extra domum); occulta (si lapsus non sint notorii); publica (si cum publico scandalo coniungatur).

228. *An adsit obligatio evitandi occasionem peccati?* Affirmative si sit proxima et voluntaria.

229. *Quomodo cognoscitur an periculum sit grave, et proinde an occasio sit proxima?* 1. ex lapsibus iam secutis; 2. ex communiter contingentibus; 3. ex speciali propensione aut fragilitate poenitentis.

230. *An occasio ex proxima possit evadere remota?* Affirmative; sed quod revera talis evaserit, in praxi non facile est credendum.

231. *Quomodo arguitur quod occasio ex proxima evaserit remota?* 1. Ex facto; si nempe iam a longo tempore lapsus et tentationes cessaverint; 2. Ex mutatione circumstantiarum; si nempe tales circumstantiae supervenerint aut cessaverint, ut

* Ita profecto sensit etiam Suarez, qui (Disp. XXXII. II) scripsit: « Priusquam (Confessarius) absolvat, necesse est ut prudenter et probabiliter « iudicet poenitentem dispositum..... In quo observandum, hanc dispositionem « poenitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia praeteritorum, et « proposito in futurum: et quidem quoad displicentiam attinet, *facile potest « sibi satisfacere Confessor*, quia si poenitens in ipso modo confessionis et « accusationis suae praebet signa doloris, VEL certe si est homo non valde « rudis et apparet moratus, *nullam diligentiam in hoc tenetur Confessor « adhibere;* bene tamen semper faciet proponendo et consulendo detestatio- « nem peccati. Et quando non habet sufficientia signa doloris, potest et debet « interrogare poenitentem, an ex animo detestetur peccatum, *cui affirmanti « credere tenetur.* Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando « ex confessione non oritur specialis obligatio restituendi, vel relinquendi ali- « quam occasionem proximam peccandi, sed solum communis et generalis « obligatio non peccandi de caetero..... *Tota ergo difficultas, ad hoc revo- « catur quando ex confessione resultat specialis obligatio restituendi etc.* »

In Rituali Romano quoque regula est valde simplex: dicit enim dumtaxat quod beneficio absolutionis sunt incapaces « qui *nulla* dant signa doloris; qui « odia et inimicitias deponere, aut aliena (si possunt) restituere, aut proxi- « mam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et « vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, « nisi publice satisfaciant et scandalum tollant ».

lapsus vere non sint amplius probabiles. Sed, repeto, cavendum ab hallucinatione. *De Occasionariis* 15-18.

232. *An propositum adhibendi media particularia emendationis sufficiat ut occasio ex proxima evadat remota; atque adeo ut poenitens in occasione non necessaria cum dicto proposito permanere possit?* De regula ordinaria negative. Dico *de regula ordinaria;* ut plurimum enim agitur de occasionibus in materia turpi, et quidem diuturnis, atque interveniente amore aut fragilitate magna; et tunc certe in aliis mediis, seclusa separatione, nulla fiducia reponi potest. Idem dic si agatur de occasionibus alterius quidem generis sed magna vi ad peccata pertrahentibus. Exemplum habes in vitio ebrietatis propter cauponam. Caeterum quod dentur aliqui casus exceptionales, in quibus propositum adhibendi media particularia sufficere possit, plures Theologi admittunt. Id accidere potest speciatim si sequentes circumstantiae concurrant 1. quod occasio non sit aut cessaverit esse valde alliciens; 2. quod aliqua causa illam non prorsus obtruncandi subsistat, quamvis haec causa in rigore strictam necessitatem non constituat; 3. quod propositum adhibendi media et cautelas sit serium et extraordinario modo elicitum; 4. Quod occasio sit non diuturna, sed brevi tempore duratura. *De Occasionariis* 19-27.

233. *An quando Confessarius dignoscit, poenitentem in occasione proxima voluntaria versari, de obligatione gravi illam deserendi statim eum admonere debeat?* Affirmative de regula ordinaria; ut plurimum enim in re huiusmodi bona fides vel non adest, vel ita noxia est, ut non possit expedire ut poenitens in ea relinquatur. Agitur, v. g., de viro qui solo concubinae titulo foeminam detinet, vel de iuvene qui libros impios legere aut socios sectarios frequentare incipit, vel de occasione quae cum magno scandalo publico coniungatur? In his casibus certe nec bona fides supponi, nec praetermissio admonitionis (saltem quoad substantiam) practice expedire potest. Quod tamen dentur casus exceptionales, in quibus ex una parte (propter credulitatem non relabendi vel propter excusationes non insulsas) bona fides (quoad tempus et modum occasionem dimittendi, et aliquando etiam quoad substantiam) contingere possit; et ex alia prudentia exigat ut Confessarius ad exhortationes dumtaxat se limitet, aut meliorem opportunitatem expectet; ne, gravem obligationem statim indicendo, poenitentem reluctantem inveniat, et, denegando ei absolutionem, in peiorem statum illum coniiciat; quod, inquam, huiusmodi casus exce-

ptionales dentur, concedi debet. Hoc accidere potest speciatim (ut supra n. 188 dicebam) quoad visitationes adamantium, conversationes, pravos socios, choreas etc.; maxime vero si vel Confessarius iam multum laborasset, ut promissionem dimittendi aliam maioris momenti occasionem obtineret; vel si specialissimum esset periculum ne poenitens sine absolutione dimissus religioni valedicturus aut alio modo in peius ruiturus esset. *De Occasionariis* 29-41.

234. *Si occasio sit in esse et poenitens separationem promittat, potestne Confessarius illum absolvere: an vero absolutionem ei differre debet, ut prius de facto separationem exequatur?* Doctrina communissima est quod occasionarii isti duabus vicibus (supponendo quod scandalum publicum non adsit) ad summum absolvi possunt. Dixi *ad summum;* plures enim docent quod ne prima quidem vice absolutio eis concedenda sit. *De Occasionariis* 42.

235. *Haec regula patiturne exceptiones?* Affirmative; Confessariorum enim prudentiae relinqui debent sequentes casus:

I. Si occasio hic et nunc expelli nequeat, sed solum post longum tempus (intellige semper si de re occulta agatur). Exemplum habes si occasio esset cum famulo conducto ad annum, vel cum inquilina, vel etiam cum famula, quae, priusquam aliud servitium invenerit, expelli nequeat.

2. Si occasio posset quidem eiici intra breve tempus, sed urgere videretur necessitas adhuc prius, aut praecise hic et nunc, poenitentem absolvendi. Exemplum habes in moribundis; tempore Missionis; si poenitens haberet occasionem in patria et longe a patria confessionem faceret; si haberet necessitatem hic et nunc communicandi; si ad eundem Confessarium redire nequiret et valde periculosum esset relinquere ei obligationem repetendi confessionem apud alium; et denique si poenitens esset de illis qui vix tenui (ut ita dicam) filo adhuc Religioni uniuntur et vix aliquando in Paschate ad confessionem accedunt; unde Confessarius qui iam multum laboravit ut ille occasionem dimittere promitteret, si insuper exigeret ut rediret, non solum nullam haberet spem id obtinendi, sed etiam quam maxime reformidare deberet, ne indignatus Sacramentis et Religioni prorsus valediceret. *De Occasionariis* 53.

236. *Si occasio non sit in esse et poenitens illam deserere promittat, potestne Confessarius illum absolvere; an vero experimentum prius exigere debet?* Doctrina communis est, huiusmodi poenitentes absolvi posse duabus vel ad summum tribus

vicibus; sed postea non, nisi totalem, aut saltem (prout plures dicunt) aliquam emendationem ostenderint. Alii autem dicunt, rem istam prudentiae Confessariorum esse relinquendam.

Meo sensu, imprimis non expedit ordinarie ut absolutio differatur pro casibus nimis frequentibus, v. g., quoad illos qui de turpibus sermonibus habitis cum sociis se accusant. Loquendo autem de casibus rarius occurrentibus, v. g. de turpi consuetudine viri cum foemina, magna distinctio fieri debet inter casum in quo visitationes sint frequentes et casum in quo rarae. Si sint frequentes, ita ut intra unam vel alteram hebdomadam, vel certe intra mensem, experimentum momentosum fieri possit, tunc regulariter differri debet absolutio; speciatim si poenitens sit recidivus; maxime vero si circumstantiae sint tales, ut totalis et stabilis obtruncatio occasionis sic obtineri valeat. Exemplum habes in muliere, quae, virum una vel altera vice firmiter repellendo, efficere possit ut non amplius redeat. Dixi *regulariter*; excipiendi enim sunt casus mox supra (n. 235. 2) expositi, in quibus circumstantiae clamant ut absolutio potius concedatur. Si autem visitationes sint rarae, aut si experimentum non videatur momentosum; tunc non erit facile quod Confessarius dilationem absolutionis adhibere teneatur, unde res tota eiusdem prudentiae relinqui debet. *De Occasionariis* 55-59.

237 *Quaenam causae efficiunt, ut occasio tamquam vere necessaria iudicari debeat?* Impotentia physica et impotentia moralis.

238. *Quandonam intervenit impotentia physica?* Quando poenitens nullo prorsus modo occasionem deserere potest; ut puta, si cum ipsa in eodem carcere vel in eadem navi in medio maris versaretur; aut si ex una parte nullo modo illam eiicere, et ex alia propter morbum viribus destitutus nullo modo ipse abire posset.

239. *Quandonam intervenit impotentia moralis?* Quando occasio, etsi non stricte propter physicum, tamen propter aliud impedimentum deseri nequit.

240. *Explica quaenam sint huiusmodi impedimenta.*

1. Periculum aequale vel maius; ut puta, si famula exire nequeat nisi aliud servitium aeque vel magis periculosum ineat. Ordinarie tamen huiusmodi necessitas erit temporanea dumtaxat, et in quovis casu cavendum erit ab hallucinatione. Dixi *ordinarie*; interdum enim potest esse diuturna; ut puta, si quis in exercitio propriae artis occasionem proximam passim

inveniret; dum sine arte propter otium vel egestatem maioribus periculis exponeretur. *De Occasionariis* 62.

2. Iniustitia aut aliud peccatum. Exemplum habes in hero, qui, tempore locationis non adhuc expleto, inquilinam eiicere nequit sine iniustitia; et in Moniali quae a monasterio sine violatione clausurae fugere non potest. *De Occas.* 63.

3. Scandalum. Si nempe occasio deseri vel eiici nequeat absque scandalo. Haec quoque necessitas saepe erit temporanea dumtaxat. Oportet etiam ut scandalum sit verum, grave et ineluctabile. *De Occasion.* 64 — 67. Idem dic si occasio absque damno spirituali proximi deseri nequiret; dummodo tamen hoc ipsum damnum esset grave et aliis viis non facile impediri posset. *De Occas.* 68.

4. Grave incommodnm temporale; si nempe occasio absque gravi nocumento in bonis sive fortunae, sive famae, sive vitae, et uno verbo sine magno gravamine deseri non possit.

Notandum 1. quod poenitentes saepe adducunt huiusmodi excusationes, sed reapse nihil subsistit. Dicunt v. g., suborituram esse infamiam, dum revera vel poenitens iam est infamis, vel infamia nulla suboritura est, eo quod, v. g., agatur de famula, et nemo miretur, si quis famulam dimittat. Notandum 2. quod in praxi saepe saepius opportunis mediis damnum praecaveri valet. Famula, v. g., nescit quid respondere debeat inquirentibus cur discesserit. Confessarius ei suggerat, ut cum hero controversias litesque provocet easque pro causa discessus adducat. *De Occas.* 69.

241. *Ut quis a deserenda occasione proxima excusetur, sufficitne quodcumque incommodum aut damnum, quod aliqua ratione grave dici possit?* Negative: sic incommoda quae essent sat gravia ut homo excusetur ab auditione Missae; et damna quae sufficerent ad constituendam materiam gravem in furto, non aeque sufficiunt ut quis in occasione proxima remanere possit. *De Occas.* 71.

242. *Quomodo itaque incommodi seu damni gravitas hac in re taxari debebit?* Certe excusant illa incommoda gravissima, quae vires humanas superare videntur; v. g., fuga a propria domo, magna infamia, ruina familiae, lapsus a proprio statu, ut puta, si vir nobilis cogeretur famulari, aut vir honestae conditionis mendicare. Quoad incommoda autem non ita gravissima, decisio pendet a circumstantiis. In praxi magna distinctio fieri debet inter concubinatum, et occasiones minoris momenti. Ut quis possit retinere tempore indeterminato et diuturno foemi-

nam quae hucusque fuit concubina, si ambo sint iuvenes aut si lapsus hucusque frequentes fuerint, ratio vere gravissima exigitur; nec certe sufficiunt rationes quae saepe adducuntur, quod nempe foemina illa rei familiari valde utilis et necessaria sit, vel quod alia similis inveniri nequeat etc. Id valet a fortiori si casus sit publicus. Ut autem quis possit retinere foeminam ipsam ad breve tempus, aut si non adeo frequenter cum eadem lapsus fuerit, aut si versetur in occasionibus alterius generis minorisque momenti; tunc causae non adeo graves ad excusandum sufficere poterunt; idque speciatim si poenitens alacri animo cautelas et subsidia spiritualia interim adhibiturus sit, maxime vero si haec de facto periculum imminuant. In aestimanda autem gravitate damni et incommodi oportet etiam ut conditionis poenitentis aliarumque circumstantiarum ratio habeatur. Imo consideranda est quoque eius indoles, nempe impressio quam tale vel tale damnum aut incommodum (non obstantibus Confessarii ad persuadendum conatibus) in eius animo facit. Decisio itaque an incommodum sit tale ut sufficientem excusationem constituat, nec ne, discretioni Confessariorum relinqui debet; qui etiam interdum (quamvis excusatio stricte sufficiens non adesset) bonae fidei poenitentis rationem habere possunt, ut supra (n. 233) dicebam. *De Occas.* 77 - 78.

243. *An visitationes, quas adamantes conclusioni matrimonii praemittere solent, iudicandae sint ita necessariae, ut, si etiam peccata interveniant, iuvenes nihilominus se invisere possint?* Affirmative si sint discretae et iuxta morem patriae, ita ut sine ipsis nullo modo vel difficile matrimonium contrahi valeat. Si tamen peccata evasissent notoria, tunc omnino vel fere omnino a visitationibus cessandum esset. Vide alias explicationes datas *De Occas. n.* 239 — 246.

244. *Quid de poenitentibus adeo fragilibus ut occasiones proximas in rebus fere omnibus inveniant?* Huiusmodi occasiones necessariae evaderent, secus enim ex hoc mundo exire tenerentur. *De Occas.* 78. V.

245. *Poenitens, qui iusta de causa occasionem proximam deserere non teneatur, ad quid obligari debet?* Ad curandum ut occasio ipsa ex proxima reddatur remota, roborando seipsum subsidiis spiritualibus, et adhibendo speciales cautelas, inter quas praecipua est, ut, quantum fieri possit, solus cum sola non remaneat.

246. *Quid si, non obstante assignatione remediorum, poenitens in peccata reincidat?* Imprimis contingere potest quod

Confessarius sub spe emendationis ex causa non adeo gravi abstinuerit ab imponenda obligatione deserendi occasionem ; et quod relapsibus subsecutis eadem causa non amplius sufficiens iudicetur. Tunc profecto occasionis ipsius derelictio exigi debebit.

Si autem causa hanc derelictionem impediens sit gravissima (ut puta, si uxor virum atque familiam, vel iuvenis domum paternam etiam cum magna infamia deserere cogeretur); tunc sententia communis dicit quod nihilominus poenitens adigi debet ad fugam, saltem pro casu in quo propter lapsus iam a longo tempore sine ulla emendatione repetitos, nulla sit spes emendationis. Alii autem dicunt quod Confessarius debebit quidem enixius procurare ut poenitens remedia adhibeat, sed veram obligationem deserendi occasionem cum tali ac tanto incommodo ut viribus poenitentis proportionatum nullo modo sit, imo vires humanas suapte natura superare videatur, ei imponere non debet. *De Occas.* 85 — 103.

247. *Quomodo se gerere debet Confessarius quoad absolutionem poenitenti in occasione necessaria constituto dandam vel denegandam vel differendam?* Si poenitens in occasione non solum permanere (quod ei ex hypothesi interdici nequit), sed etiam peccare velit ; tunc absolutio deneganda est, ut per se patet. Casum habes in illis foeminis quae dicunt : Si ab hac mala vita cessaverimus, fame peribimus. Supposito autem proposito abstinendi a peccatis, S. Ligorius censet expedire ut prima quoque vice absolutio differatur; eamque omnino esse differendam si poenitens secunda vice cum iisdem peccatis redeat et media praescripta neglexerit, nisi extraordinariam compunctionem praeseferat ; imo, supposita etiam compunctione extraordinaria, expedire ordinarie ut absolutio differatur si commode differri possit. Alii autem valde communius censent, huiusmodi poenitentes in occasione necessaria degentes simplicibus habituatis et recidivis esse aequiparandos; atque adeo absolvi posse et ordinarie expedire ut absolvantur, si tamquam dispositi iudicari debeant. Ego censeo, rem istam prudentiae Confessariorum esse relinquendam ; ipsi enim iudicare debent ex circumstantiis quando in casu particulari melius sit ut absolutio concedatur, et quando sit melius ut differatur, quandoquidem in tanta locorum, temporum, et casuum differentia regula generalis statui nequit. Agitur v. g., de casu horrendo, ut puta, si pater peccaret cum propria filia; aut senex cum infantula copulam attentaret; aut vir puellam honestam cum magno periculo praegnationis et scandali stupraret etc. ; et tunc expediet

ut (etiam prima vice) absolutio differatur. Idem dic si totalis obtruncatio occasionis dependeat a virili resistentia, quae semel vel iterum opponatur: ut potest contingere dum res sunt adhuc in initiis, et etiam in foemina, quae sive verbis sive factis ita possit domesticum tentatorem a se repellere, ut non sit supponendum quod amplius tentationes renovaturus sit. Agitur e contra de casibus consuetis, v. g., de uxoribus cum propriis maritis, de fratribus cum propriis fratribus, de sororibus cum propriis sororibus etc. occasionem proximam habentibus; et tunc ordinarie (saltem apud nos) melius erit ut (supposita dispositione) absolutio concedatur.

248. *Quid de casibus extraordinariis, v. g., moribundi confessionem praemittere non valentis, aut imminente praelio vel naufragio?* In casibus huiusmodi sola petitio confessionis sufficit, ut ait Rituale. Addunt Theologi posse absolvi moribundos sensibus destitutos vel prorsus delirantes, quamvis nemo fidem faciat quod sacerdotem petiverint, imo quamvis actu peccati mortalis sensibus destituti remanserint. Et haec hodie est (saltem apud nos) Ecclesiae praxis et disciplina. Excipe nisi ageretur de impoenitentibus manifestis, nempe de iis, qui, non ex voluntate procrastinandi, sed ex odio contra Religionem et ex *firmo* proposito moriendi sine Sacramentis, Confessionem usque ad extremum recusaverint. *Praxis* 792. N. O. et 779. Adhuc tamen crederem hos sub conditione absolvi posse, si circumstantiae speciales id suaderent, ut puta, si impoenitentia ignota esset familiae et Extremam Unctionem conferre (ad occultandam eandem impoenitentiam) necessarium videretur; aut si moribundus longo tempore sensibus destitutus ante mortem remaneret.

PUNCT. III.

De iniunctione et commutatione poenitentiae sacramentalis.

249. *Sub qua culpa tenetur Confessarius poenitentiam iniungere?* Sub levi pro venialibus; sub gravi pro mortalibus alias non absolutis. *Praxis* 1130. B.

250. *Quid de poenitentia imposita sub conditione relapsus (v. g. quotiescumque blasphemaveris talem poenitentiam facies)?* In tali casu imponi debet etiam alia poenitentia absolute peragenda. Expedit autem ut poenitentia sub conditione relapsus

imponatur solum sub levi; atque ad tempus determinatum et breve; sitque de re nec valde facili nec valde ardua (l. c. 0).

251. *Quid si poenitens, absolutione et poenitentia iam recepta, aliud peccatum accuset?* Si prior poenitentia sit adhuc proportionata, non oportet ut augeatur vel ut alia superaddatur, admonendo poenitentem quod illa sufficit Secus, si secus. (l. c. 5).

252. *Quid praecipue observare debet Confessarius circa poenitentiam?* Quantitatem et qualitatem.

253. *Quid observandum circa quantitatem?* Quod (regulariter) assignetur poenitentia gravis, aut paullo gravior, aut valde gravior (quadam adhibita proportione) pro mortalibus; et levis pro venialibus.

254. *Quaenam sunt poenitentiae leves?* Sunt, v. g., tres *Ave*; quinque *Pater*; litaniae lauretanae; psalmus *Miserere*; recitatio actuum fidei, spei, et charitatis; osculum terrae vel sacrae imaginis; exigua eleemosyna (si poenitens non sit pauper).

255. *Quaenam sunt poenitentiae simpliciter graves?* Sunt, v. g., quinque decades Rosarii; litaniae Sanctorum; duodecim *Pater*, *Ave* et *Gloria*, genibus flexis.

256. *Quaenam sunt poenitentiae paullo graviores?* Sunt, v. g., auditio Missae; quindecim decades Rosarii; psalmi poenitentiales; *Via Crucis*; auditio concionis vel catechismi; pia meditatio vel lectio spiritualis per horae quadrantem; privatio ientaculi vel alicuius recreationis aut deambulationis consuetae pro una vice; totalis aut fere totalis abstinentia a vino pro una die; eleemosyna notabilis; visitatio Ecclesiae; orare pro offensore dum interius notabilis haberetur repugnantia; tres *Ave* singulis diebus praeter consuetum per hebdomadam recitandae.

257. *Quales sunt poenitentiae valde graviores?* Sunt, v. g., ieiunium; peregrinatio ad aliquod vicinum sanctuarium; visitatio septem Ecclesiarum; officium B. M. V.; quinque *Pater* manu posita subter genua flexa; psalmus *Miserere* genuis in terra flexis et brachiis extensis; octo vel decem cruces cum lingua in terra; disciplina; petere veniam (si persona non sit ad hoc assueta); aggregare se alicui piae confraternitati; preces novendiales; sanctificatio mensis Mariani; dies spiritualis recollectionis; exercitia spiritualia; receptio Sacramentorum in Dominicis s. Iosephi vel s. Aloysii, vel in Dominicis quae proponi solent ad servandum fructum Missionis; magna eleemosyna.

258. *An poenitentia gravis pro gravibus imponi possit sub levi?* Negative. Excipe nisi id fiat, ex fundato timore ne futu-

rum sit ut poenitens illam omittat et sic novo peccato mortali se commaculet. Tunc in praxi detur poenitentia simpliciter gravis statim sub gravi exequenda; alia autem gravior (de cuius executione timetur) sub levi dumtaxat imponatur.

259. *Quibus in casibus poenitentia valde imminui, aut etiam poenitentia omnino levis (dum gravis deberetur) imponi possit?* 1. Si, eo quod poenitens ante confessionem magnam poenitentiam sponte sua fecerit, aut hic et nunc extraordinariam compunctionem praeseferat, aut statim post confessionem magnam indulgentiam sit lucraturus, satisfaciendi necessitas valde minor esse videatur; 2. Si poenitens poenitentiam adaequatam exequi nequeat, ut puta, si esset magna infirmitate oppressus (quo casu tamen alia peragenda si convaluerit ei imponi deberet). 3. Si esset surdus et solum elata voce (audientibus aliis) poenitentia ei imponi posset. 4. Si iure formidari deberet ne poenitens satisfactionem adaequatam omissurus esset; quo in casu speciatim bene erit si poenitentia, cui aliqua indulgentia sit adnexa, ei iniungatur.

260. *Da exempla piorum operum, quibus adnexae sint indulgentiae.* Recitatio actuum fidei, spei, et charitatis; visitatio SS.mi Sacramenti, recitando 5 *Pater, Ave* et *Gloria* et unum *Pater, Ave,* et *Gloria* iuxta intentionem S. Pontificis; visitatio Imaginis SS.mi Cordis Iesu in Ecclesiis expositae; *Via Crucis* meditando passionem D. N. I. C.; rosarium cum corona benedicta; litaniae lauretanae; Officium B. M. V.; auditio explicationis Evangelii; Recitare *Angelus Domini* aut *Regina Coeli* cum propriis versiculis et *Oremus*, dum consueta signa audiuntur, et flexis genibus (quoad *Angelus Domini*); et, si haec praestari nequeant propter legitimum impedimentum, recitare attente ac devote quinque *Ave*, etiam stando, sive non praecise dum signa audiuntur; prout S. C. Indulg. novissime concessit die 3 Apr. 1884.

261. *Quomodo cognoscitur an poenitens poenitentiam adaequatam adimpleturus sit, necne?* Ut plurimum ex eius ipsa confessione. In dubio, interrogetur.

262. *Quid observari debet circa qualitatem poenitentiae?* Nitendum ut sit medicinalis, apta scilicet ad praeservandum a relapsibus; unde, si fieri posset, ieiunia libidinosis, et eleemosynae avaris iniungi deberent. Dixi, *si fieri posset;* hodie enim raro (ne dicam rarissime) inveniuntur qui huiusmodi poenitentias ita acceptent, ut praesumendum sit eas esse adimpleturos. *Praxis* 1130. *E. F.*

263. *Quinam sunt defectus magis notabiles in impositione poenitentiae omnino evitandi?* Cavendum 1° ne Confessarius iniungat eleemosynas sibi aut suae Ecclesiae tradendas; 2° ne iniungantur poenitentiae conditioni aut viribus (sive corporalibus sive spiritualibus) poenitentis non aptae vel non proportionatae (quid enim si foeminae gravidae vel lactanti ieiunia, aut viro, qui vix in Paschate ad confessionem accedit, cilicia et disciplinae iniungerentur?) Cavendum 3° ne poenitentiae sint diuturnae; 4° ne sint ita implicatae ut difficile in memoria retineantur; 5° ne sint ridiculae (quid enim si coniugi debitum non reddenti copula matrimonialis pro poenitentia imponeretur?); 6° ne poenitentem ipsum aliorum irrisionibus, aut infamiae vel suspectibus exponant (quid enim si orationes coram populo brachiis extensis recitandae, aut adolescentulo ieiunia, advertentibus familiaribus, iniungerentur?) *Praxis l. c. G. H. I. K. N.*

264. *An opus mere internum, aut opus applicandum in suffragium defunctorum, aut etiam abstinentia ab aliquo opere bono (v. g. a Communione quotidiana, vel a tali vel tali maceratione corporali), si talis abstinentia videatur expedire, iniungi possit?* Affirmative. *Praxis t. c. T. U. V.*

265. *An opus ex alio capite debitum (v. g. auditio Missae die festo, aut recitatio breviarii quoad Sacerdotem) pro poenitentia iniungi valeat?* Sententia communis affirmat; sed hoc intelligendum solum pro casu, in quo opera ista iustis de causis assignentur tamquam supplementum poenitentiae minoris; aut si aliquid speciale superaddatur, ut puta, quod audiendo Missam recitentur orationes, aut quod breviarium recitetur flexis genibus etc. *Praxis l. c.*

266. *An pro poenitentia assignari possit opus, quod ex devotione a poenitente ipso semper praestari solet, v. g., Communionis perceptio post Confessionem?* In rigore affirmandum; sed regulariter non expedit. *Praxis l. c.*

267. *Quandonam imponenda est poenitentia?* Ante absolutionem. Si tamen Confessarius oblitus fuisset, illam postea iniungere deberet.

268. *Quid de poenitentiae commutatione?* Non solum inspectis iustis motivis, sed etiam inspecta fragilitate poenitentis, commutatio concedi potest. Repetitio confessionis in hunc finem necessaria non est. Commutatio fieri potest etiam extra confessionem si poenitens eundem Confessarium adeat; secus nova confessio exigitur, ut iam supra (n. 80) dixi. Commutatio

autem probabiliter fieri valet a quolibet Confessario, quamvis poenitentia a Superiore pro reservatis data fuisset; idque speciatim si novus ad Superiorem accessus difficilis esset. *Praxis* 1051. *VIII.*

ARTICULUS VII.

DE FORMA ET RITU SACRAMENTI POENITENTIAE.

269. *Quaenam est forma huius Sacramenti?* « Ego te absol-
« vo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus San-
« cti ». Attamen, stricte loquendo, sola verba *te absolvo* essentialia videntur. Quidquid sit de hoc, Ecclesia praescribit non solum ut omnia praedicta proferantur, sed etiam ut alia praemittantur et adiungantur; ita ut integra formula de ritu sit sequens: « Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. *Deinde* Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini Nostri Iesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen ».

270. *Quid notandum circa hanc formulam?* 1° Verba *Indulgentiam* etc, usque ad verba *a peccatis tuis in nomine Patris* proferenda sunt manu dextera elevata versus poenitentem; et, dicendo *in nomine Patris* etc., fieri debet eadem manu signum Crucis. 2° Si poenitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis*. 3° Vox *deinde* proferri non debet; est enim rubrica (Del Vecchio 670. not. 3). 4° Si non adsit tempus proferendi formulam integram eo quod poenitens iam iam sit moriturus, tunc dicatur solum: « Ego te absolvo ab omnibus censuris et
« peccatis in Nomine ✠ Patris et Filii et Spiritus Sancti.
« Amen ». 5° In confessionibus frequentioribus et brevioribus satis erit incipere a verbo *Dominus noster Iesus Christus* prosequendo caetera. Rituale. Probati Auctores existimant, hoc intelligi posse etiam pro casu in quo poenitentes sit multi (S. Lig. VI. 425). 6° Theologi non pauci (apud S. Lig. VI. 430)

dicunt quod praeter verba : *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (intelligendo absolvere etiam a censuris si forte latentes adessent), omnia alia omitti possunt sine culpa ulla et in quovis casu ; sed haec opinio laxa mihi videtur ; rubricae enim (nisi constet quod consuetudine legitima obsoleverint) maxime quoad Sacramentorum administrationem, tamquam praeceptivae haberi debent. Vide etiam Decr. 4590. S. R. C. (17 Sept. 1822). 7° Si adesset necessitas absolvendi poenitentem dubie dispositum, vel solum materiam dubiam afferentem, adhiberi posset forma conditionata, dicendo *si capax es*, ut pluries notavi.

271. *Quid notandum circa alios ritus, qui ad hoc Sacramentum referuntur?* Nihil dico de stola et superpelliceo iuxta locorum consuetudines. Notandum potius 1. quod confessionalia debent esse in Ecclesia loco patenti, *conspicuo* et *apto* (*Praxis* 761 *ex Rit.*). 2. quod mulieres, seclusa necessitate, in Ecclesia dumtaxat audiri possunt. Si propter infirmitatem aut surditatem aliqua mulier alibi audiri debeat, tunc Confessarius (ut dicit Rit.) studeat id decenti ac *patenti* loco praestare. *Praxis* 629. *X.* In Ecclesia ipsa solum horis diurnis mulierum confessiones audiri valent. S. C. Epp. 21 Ian. 1620 dixit : « Confessarii sine neccessitate audire non debent mulierum con» fessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram ». Data autem necessitate pro casibus extraordinariis, lumina apponantur et Ecclesia omnibus pateat aut saltem aliquae personae adsint.

ARTICULUS VIII.

DE CONFESSIONE GENERALI, QUASI GENERALI, AUT ANNUALI.

272. *Quid est confessio generalis, quasi generalis et annualis?* Confessio generalis est si totius vitae, quasi generalis si longi temporis, annualis si ultimi anni peccata in aliis confessionibus accusata iterum accusentur.

273. *Huiusmodi confessiones suntne exigendae vel suadendae?* Confessio annualis animabus piis expedire solet. Confessio generalis aut quasi generalis interdum cadit sub obligatione. Seclusa autem obligatione, cadere potest sub consilio sed solum in casibus raris.

274. *Quandonam confessio generalis sub obligatione cadit?* Quando omnes confessiones praecedentes fuerunt sacrilegae, aut invalidae.

275. *Quid si praeteritarum confessionum defectus fuerit solum circa integritatem materialem?* Tunc sufficit si, accusando peccata bona fide omissa aut non satis declarata, defectus reparetur. Interdum tamen omissiones possunt esse tales ac tantae, ut non nisi ope confessionis generalis defectus reparari valeat.

276. *Quid de iis qui non recordantur an quaedam peccata antiqua bene aut ullo modo confessi fuerint?* Nisi de omissione indicia positiva et gravia adsint, sola oblivio non sufficit ut peccata illa iterum accusari debeant.

277. *Quid si confessiones anteactae fuissent dubie validae?* Si dubium versetur solum circa dolorem et propositum, non sunt repetendae, ageretur enim de casu nimis frequenti. Secus si circa Confessarii iurisdictionem dubium versaretur. *Praxis* 1131. *C.*

278. *Quid de poenitentibus qui aliquo tempore confessiones sacrilegas fecerunt; et postea, quamvis pristinum defectum nunquam reparaverint, bona fide valide confessi fuerunt?* Hi tenentur dumtaxat repetere confessiones quae sacrilegae fuerunt. Idem dic de iis, qui postremas dumtaxat confessiones sacrilege peregerunt, dum prius semper bene confessi fuerunt.

279. *Quibus in casibus confessio generalis, aut plurium confessionum repetitio, cadat sub consilio?* Confessio stricte generalis permitti vel suaderi potest, si ex una parte nunquam aut non bene peracta fuerit; et ex alia poenitens illam facere exoptet, aut versetur in quibusdam circumstantiis extraordinariis, v. g., spiritualium exercitiorum, primae Communionis, electionis status, periculi mortis, aut si vitiis suis finem de facto imposuerit et vitam vere christianam et devotam serio incoeperit. Si autem poenitens Confessionem generalem iam alia vice bene et cum animi sui satisfactione peregerit, tunc regulariter permitti quidem potest ut confiteatur peccata, post confessionem generalem commissa, in praedictis circumstantiis extraordinariis, et de anno in annum in confessionibus annualibus; sed non amplius. Dixi *regulariter;* si enim ageretur de personis scrupulosis, proclivibus ad desperationem, vel mentis nimis confusae, vel quibus memoria peccatorum carnalium malos effectus producere soleat, confessionum repetitiones, seclusa stricta necessitate, eis permitti non debent, aut saltem cum magna parsimonia et cautela cum ipsis in re huiusmodi procedendum est. *Praxis* 1131. F.

280. *An expediat ut Moniales vel aliae personae spirituales.*

toties quoties Confessarium mutant, apud novum Confessarium, ratione directionis, confessionem generalem faciant? Negative. Ad summum expedire poterit, ut vitae anteactae genericam notitiam praebeant novo Confessario, qui huius notitiae exhibitionem quidem permittere, sed nonnisi valde prudenter et opportune expostulare poterit. Ballerini (II. 518. *b*).

281. *Expeditne ut Missionarii omnibus et singulis poenitentibus occasione Missionis accedentibus confessionem stricte generalem suadeant vel permittant?* Negative; si enim poenitens alia vice et cum animi sui satisfactione illam peregerit, non expedit ut peccata in illa confessione accusata iterum accuset. Si vero poenitens rationes adducat cur satisfactus non remansit, aut etiam si magnum ostendat desiderium omnia vitae suae peccata accusandi, Missionarius (nisi deprehendat quod propter scrupulos vel stultam curiositatem id desideret) annuere poterit; idque speciatim si prior confessio generalis extra occasionem Missionis peracta fuerit. Volentibus autem accusare peccata ab ultima confessione generali commissa, ordinarie annuendum est.

282. *Antequam Confessarius confessionem generalem suadeat vel permittat, oportetne ut prius examinaverit poenitentem, utrum in antecessum peccata ex verecundia reticuerit, ut scilicet cognoscat an dicta confessio sit stricte necessaria?* Negative; imo interdum (propter periculum ne poenitens mendaciter statim dicat se nihil reticuisse) expedit, ut Confessarius confessionem generalem suadeat vel permittat, eo solo motivo ductus quod talis confessio saltem sit de consilio.

283. *Quid praestare debeat Confessarius ut confessio generalis rite peragatur?* Distinguendum est inter ea quae *ante* confessionem et *actu* confessionis et *post* confessionem praestanda sunt.

284. *Quaenam praestanda sunt ante confessionem?* 1° Confessio generalis regulariter remitti debet ad aliam diem et horam designandam. Dixi *regulariter;* excipi enim debet ordinarie occasio Missionis, et si urgeat necessitas ut eadem confessio hic et nunc meliori modo possibili excipiatur, de quo casu vide *Praxim* (*n.* 1131. *I*). 2° Interim poenitens oret, se examinet, magnam contritionem concipiat, proposita determinet et aliquam poenitentiam faciat. Res principales etiam in scriptis (ad memoriae adiumentum) notari poterunt, sed breviter. 3° Confessarius poenitenti animum addat, et auxilium se esse illi laturum promittat, dummodo sine poenitentis offensione sic dicere possit (*l. c. K*).

285. *Quaenam praestanda sunt actu confessionis?* 1° Exigatur prius confessio peccatorum, quae ab ultima confessione commissa fuerunt, nisi forte constet quod confessio generalis ex stricta obligatione peragi debeat. 2° Quoad peccata vitae praeteritae, expedire solet in primis ut poenitens invitetur ad illa enarranda, promittendo ei (si sit rudis) auxilium, postquam per se ipsum ea quae potuerit dixerit. 3° Si poenitens sit instructus et bene praeparatus, facile contingere potest quod sufficiat illum audire, faciendo ei ad summum aliquas interrogationes, si necessariae viderentur. 4° Si Confessarius e contra perspiciat quod confessio valde defectuosa evadat; tunc, in toto, vel saltem magna ex parte, eadem confessione (quamvis ita confusa) audita, dicere poterit: *Ex his quae tu dixisti aliquam vitae tuae ideam concepi. Nunc, ut haec confessio generalis sit integra et exacta, te interrogabo circa omnia, solumque tibi reliquum erit ut affirmative vel negative respondeas.* 5° Si Confessarius ex verbis poenitentis eius aetatem, statum, artem seu officium, et praecipuas vitae illius phases (v. g., qua aetate admissus fuit ad primam Communionem, matrimonium contraxit, viduus remansit, novas nuptias inivit, aut votum castitatis emisit) non intellexerit; de his illum interrogabit. Attamen foeminae provectiores circa aetatem interrogentur indirecte, quaerendo, v. g., quandonam et a quot annis nupserint. 6° Si Confessarius deprehenderit quod poenitens aliquam obligationem momentosam et arduam (v. g., reconciliationis, restitutionis, separationis ab occasione) habeat, illum interroget an obligationi suae satisfacere velit, ne confessionis generalis interrogatorium inutiliter fiat. 7° Interrogatorium instituatur non iuxta diversas aetates (dicendo, v. g., quid mali fecisti in pueritia, quid in iuventute, quid in virilitate, quid in senectute?); bene vero iuxta diversa peccata; nempe circa unumquodque praeceptum Dei et Ecclesiae et circa munera proprii status. 8° Ordinarie expedit ut Confessarius non a primo sed a sexto praecepto examen incipiat; caute tamen et a longe si nesciret an poenitens sit in malitia. 9. Si Confessarius sit certus quod Confessio generalis sine ulla obligatione fiat, tunc expedit ut poenitentem admoneat, quod, si etiam voluntarie aliquid reticeat, nullum omnino peccatum committit. Ipse autem tunc multas interrogationes omittere et levius procedere poterit. Si vero sciat aut dubitet quod eadem Confessio ad reparandas confessiones praeteritas, sive sacrilegas sive materiali integritate destitutas, necessaria sit; tunc poenitentem interrogabit accurate; ita

tamen ut neque confessio nimis intricata, difficilis et taediosa, neque interrogationes imprudentes vel scandalum aut admirationem inducentes fiant (*Praxis* 1131. *M T*). 10° Recolendum quod confessio generalis fit ad poenitentem quietandum et quidem non solum hic et nunc, sed etiam in posterum. Hinc regula pro interrogationibus (ut alibi notabam) non solum a doctrinis theologicis circa distinctionem specificam vel numericam, nec non circa gravitatem vel levitatem peccatorum, sed etiam (imo praecipue) a conscientia poenitentium sumi debet, qui saepe saepius non essent tranquilli si hoc vel illud reticerent, vel non explicarent (et quidem eo modo quo solent), quamvis in rigore theologico necessarium non esset. Sed in praxi difficultas non exigua hac ipsa in re invenitur. Remorsus maiores non raro versantur circa quasdam circumstantias malitiae extraordinariae in quibusdam peccatis, quas prae verecundia poenitentes semper reticuerunt, et in confessione generali illas, auxilium praebente Confessario, tandem aliquando fateri sperant; qua confessione non facta, in malo statu se remanere (sive iure sive ex errore) existimant. Aliunde praedictae circumstantiae solent esse tales, ut Confessarius, salva prudentia et pudore, de illis explicite interrogare non possit *. Et hoc opus, hic labor est. Duo consilia dantur. Primum ut examen ita instituatur, ut suo loco cadat interrogatio, generica quidem et modesta, sed talis ut poenitens (si sit reus) statim intelligat, atque ita cognoscat quod confessionis suae debito (sive vero sive apprehenso) ea quoque in re satisfecit. Id praestatur, dicendo, v. g.: *Fecistine aliquid peius?*... Vel: *Fecistine sic non solum modo ordinario sed peiori?*... Vel: *Adfuitne hac in re aliqua malitia extraordinaria?*... Secundum consilium est ut, finita confessione, Confessarius admoneat poenitentem, examen fuisse ita accuratum ut nihil adhuc accusandum vel melius declarandum remanere possit; idque quamvis forte crederet, aliquid non dictum vel non satis explicatum fuisse. Utrumque consilium bonum mihi videtur, et utrumque in sequenti interrogatorio adhibeo. Attamen secundum

* Casus huiusmodi sunt speciatim sequentes. 1. Pollutio in ore; 2. Pollutio, aliquo instrumento aut speculo adhibito (in foeminis); 3. Osculum in partibus insolitis, aut lingua introducta; 4. Mnemosyna (*pegni, ricordi, souvenir*) turpissima (nempe ex verendis) dare vel accipere; 5. Praebere turpissima (nempe sanguinem menstruationis) ad modum maleficii venerei; 6. Interdum puellae (quae ut plurimum criterii sunt valde inopes) credunt in confessione esse explicandum distincte et explicite, si, v. g., ubera praebuerint puero, aut ore sive proprio sive alieno (maxime viri) quid simile fecerint.

consilium melius est, si circumstantiae non declaratae oculos (ut ita dicam) valde non percellant, nec speciem mutare nec peccatum ex veniali mortale reddere videatur; idque maxime si non de vitio praesenti sed de rebus antiquis res sit. 11° Denique facienda est differentia inter poenitentes conscientiae satis meticulosae (quales ordinarie solent esse foeminae), maxime si finem vitiis serio imposuerint; et poenitentes qui grossiori modo res spirituales considerant. Quoad primos enim magis accurate procedendum est; et quoad secundos plures interrogationes omitti possunt; ipsi enim facilius taedio efficiuntur; multa pro nihilo habent; de interrogationibus ipsis admirarentur; neque timendum est fore ut postea scrupulis subiiciantur.

286. *Da itaque exemplar interrogatorii confessionis generalis.* Supponendo quod agatur de masculo adulto et iam in malitia constituto, interrogatorium (intellige mutatis mutandis iuxta circumstantias et maxime iuxta prudentiam) poterit esse sequens. Notabo tamen suis locis interrogationes speciales quae foeminis interdum fieri poterunt. En itaque:

287 Circa sextum praeceptum. (*Tactus et aspectus proprii corporis*). Incipiamus a vitio committendi turpitudines a te ipso. Hoc peccatum commisisti innumeris vicibus; nonne est ita?..... *Si dicat: paucis; interrogetur:* quot vicibus circiter sive in tota vita sive singulis annis, et an semper cognoverit haec esse vera peccata?... *Si dicat: multis; sic interrogetur:* Qua aetate incoepisti?.... Faciebasne sic cum magna frequentia in pueritia?.... Cognoscebasne tunc hoc esse peccatum?.... Sin minus, qua aetate id cognovisti et magnum remorsum habere incoepisti?... Faciebasne sic cum magna frequentia etiam in iuventute?... In virilitate?... *Si fuerit coniugatus, aut viduus, aut voto ligatus, addatur*: Durante matrimonio?... In viduitate?... Post votum castitatis?... Perdurastine usque ad tempus praesens?... Dum peccatum istud committebas, habebasne in mente aliquid?... Quid?... Semper aut fere semper?... Qua aetate circiter hanc specialem malitiam habere incoepisti?... *

* *Quoad foeminas, addatur:* Moneo non esse necessarium ut explices sive manibus, sive motibus, sive aliquid aliud adhibendo, praedictas turpitudines procuraveris. Dic potius: Commisistine erga te ipsam aspectus turpes?... Fecistine hos aspectus etiam non modo ordinario sed peiore?... Commisistine erga teipsam alios aspectus non proprie turpes, sed parum decentes cum malitia?..... Fecistine etiam tactus non proprie turpes, sed parum decentes cum malitia?... Habebasne tunc in mente aliquid?.... Attende: Quibuscumque modis hos tactus peregeris, satis confessa es, et non oportet ut aliud explices. (*Vide mox supra n. 285. in not.*).

288. (*Tactus et aspectus cum personis eiusdem sexus*). Fecistine tactus turpes cum aliis masculis?... (*Expedit etiam ut rudibus in memoriam revocentur circumstantiae verisimiles loci, temporis et personarum, ut facilius recordentur de peccatis, addendo, v. g.;* In pueritia cum aliis pueris in agro, in stabulo etc., vel dum simul dormiebatis in eodem lecto; vel in collegio, in carcere etc. ?... *Ut autem malitia et numerus intelligatur, fiant interrogationes, ut supra n.* 287).... Commisistine peccata ista etiam cum fratribus tuis?.... vel cum aliis consanguineis tuis?.... *Si esset persona sacra, addatur:* Peccastine sic post votum?..... Cum aliis personis sacris?..... Hae turpitudines ut plurimum factae fuerunt non solum manibus sed etiam modo peiori. Nonne est ita?.... *

289. (*Bestialitas*) Fecistine turpitudines cum animalibus?... *Interrogationes circa malitiam et numerum fiant pariter ut supra n.* 287. *Si poenitens esset politioris conditionis, aut foemina, vel utcumque talis de quo dubitaretur an esset in hac malitia, vel de interrogatione ipsa offendi posset, tunc interrogetur a longe, dicendo, v. g.:* Aspexistine animalia cum malitia?.... Amastine nimium aliquam bestiolam?.... Commisistine indecentias cum aliquo animali?...

290. (*Adulterium, incestus, fornicatio, sacrilegium carnale, stuprum*). Peccastine cum puellis vel mulieribus?... Non solum tactibus sed etiam modo completo (*copula consummata*), aut quasi completo (*copula inchoata vel onanistica*) ?... Loquendo prius de peccatis modo completo aut quasi completo perpetratis, peccastine sic innumeris vicibus?... *Si dicat: paucis; interrogetur*: Peccastine sic cum coniugatis?... Quot vicibus ante matrimonium (aut votum)?... Quot vicibus durante matrimonio (aut voto)?... Peccastine sic cum foeminis tibi propinquis, v. g., cum sororibus, cum consobrinis (in pueritia vel iuventute), cum neptibus, cum fratria, cum nuru, cum noverca, cum privigna?... Quot vicibus (*ut supra*) ?... Peccastine sic cum puellis extraneis (in pueritia vel in adulta aetate), aut cum viduis?... Quot vicibus *(ut supra)?...*

Si vero dicat se peccasse opere completo aut quasi completo innumeris vicibus, tunc sic interrogetur : Habuistine consue-

* *Quoad foeminas (intellige semper si res ita ferat et prudentia id sinat) addatur:* In pueritia vel iuventute commisistine aspectus turpes cum puellis?.... Etiam aspectus et tactus non proprie turpes sed indecentes cum puellis?.... Attende: Quibuscumque modis hos quoque tactus peregeris, satis confessa es; nec oportet ut quidquam aliud explices. (*Vide supra n. 285. not.*).

tudines stabiles (it. pratiche fisse) ?.... Cum coniugatis ?..... Quot ?... *Si dicat*: *cum duabus*, *interrogetur :* Cum prima qua aetate incoepisti et quod annis perdurasti ?... Tunc erasne liber, aut coniugatus, aut voto ligatus ?. . Perdurastine usque ad tempus praesens ?... Cum ipsa peccabasne frequenter ?... Cum secunda, qua aetate etc. quot annis etc. (*ut supra*) ?... Consuetudines stabiles adfueruntne etiam cum foeminis propinquitate tibi coniunctis ?... Explica gradum huius propinquitatis, an scilicet fuerint consobrinae, an vero sorores etc. ?... *Si dicat : una erat mea soror, alia fratris uxor etc., interrogetur de unaquaque ut supra ; nempe :* Cum sorore qua aetate etc. quot annis etc. ?.... Denique hae consuetudines stabiles adfueruntne etiam cum foeminis extraneis sive innuptis, sive viduis ?.. Quot fuerunt etc. (ut supra) ?..... Habuistine vitium adeundi meretrices ?... Qua aetate incoepisti ?... Quot annis sic perdurasti ante matrimonium ?... Durante matrimonio ?... In viduitate ?.... Nunquid usque ad tempus praesens ?..... Qua frequentia ?..... Praeter meretrices et mulieres cum quibus consuetudines stabiles hubuisti, peccastine modo completo aut quasi completo cum aliqua alia muliere coniugata ?... Propinqua ?... Extranea et libera ?... (*Addendo semper*: Quot vicibus et in quo statu ?...)

Sive autem dixerit paucis sive innumeris vicibus se peccasse, interrogetur : Habuistine rem cum aliqua muliere invita, aut dolosis deceptionibus a te seducta, aut ignorante qua de re ageretur (v. g., impuberi, amente, dormiente) ?... Quot vicibus ?... Habuistine rem cum aliqua foemina post sponsalia sive ab ea ipsa (cum alio) sive a te (cum alia) celebrata ?... Aut cum consanguinea uxoris tuae ante matrimonium ?... (*Hae interrogationes deservire poterunt ad cognoscendum an impedimentum publicae honestatis vel affinitatis interfuerit*). Peccata cum foeminis innuptis aut viduis fueruntne commissa cum speciali malitia ?... *Non desunt patres* (*speciatim vidui aut uxorem infirmam habentes*) *qui peccant cum propriis filiabus, et de tanto crimine accusando quam maxime verecundantur. Si itaque viduus dicat se peccasse cum adolescentula, sic interrogetur :* Haec adolescentula estne famula tua ?... Estne de familia tua ?... Habitatne tecum ?... Habesne filiam ?... *Habitis indiciis gravibus, dicat*: Intellexi ; tu peccas cum filia tua; et hanc circumstantiam nunquam accusasti etc. *Denique, si esset voto ligatus, addi posset:* Nunquid cum foeminis pariter voto ligatis peccasti ?... *

* Hoc interrogatorium facili negotio aptatur etiam mulieribus. Notandum dumtaxat quod sacrilegium carnale cum persona diversi sexus voto ligata

291. (*Tactus impudici aut minus pudici*) Quando non potuisti aut noluisti peccare modo completo aut quasi completo, certe sive cum iisdem sive cum aliis foeminis fecisti tactus turpes. Nonne est ita?... Quos etiam circa te permisisti vel exegisti?... Nunquid in hoc processisti ad excessus seu modos extraordinarios?... (*Vide n.* 285. *not. et n.* 208. *II. not.*). Tactus turpes fueruntne multi in pueritia?... In iuventute ante matrimonium (aut votum)?... Durante matrimonio (aut voto)?.... Praeter tactus omnino turpes certe cum mulieribus perpetrasti etiam alios tactus indecentes; nonne est ita?... Nunquid adfuit in istis aliqua malitia extraordinaria? (*Vide n.* 285. *not.*)..... *Si poenitens nihil vel parum opere completo deliquerit, tunc de circumstantiis speciem mutantibus et forte etiam circa numerum actuum imperfectorum magis exacte interrogari debebit; secus (ne confessio taediosa et confusa reddatur) praedictae interrogationes sufficiunt. Idem dic circa sequentia.*

292. (*Oscula, amplexus, et aspectus*) Dedistine oscula mulieribus?... Nunquid interdum adfuit in istis aliquis excessus extraordinarius?... (*Vide n.* 285. *in not.*)... Adfueruntne amplexus?.... Malitiosae manuum constrictiones?.... Adfueruntne erga illas aspectus turpes?.... Vel indecentes?....

293. Dedistine vel recepistine aliquod mnemosynon seu pignus amoris?... Etiam indecens? (*Vide n.* 285. *in not.*)...

294. In choreis habuistine malitiam?... Vel dum incessisti personatus?.... Interfuistine comoediis turpibus?.... Aut aliis spectaculis scandalosis?... Aspexistine picturas vel photographias indecentes?... Legistine libros obscoenos?...

295. (*Sermones et cogitationes?*) Peccasti insuper sermonibus obscoenis; idque innumeris vicibus; nonne est ita?... Quid de cogitationibus et desideriis?...

296. Circa usum matrimonii. *Si poenitens esset vel fuisset coniugatus, sic interrogetur:* Commisistine peccata cum uxore tua in matrimonio?.. Explica paullulum quid mali feceris...... *Si fateatur se peccasse, sed nolit dicere quid fecerit, sic*

facilius invenitur quoad foeminas, quam quoad viros. Prudentissime tamen interrogari debent foeminae de re ista: et, solum si iam dixerint quod cum viris peccaverint, interrogari poterunt a longe, dicendo, v. g.: *Habuistine desideria etiam erga personas religiosas?.... Colloquia cum iisdem etc.?...* Si deprehendatur quod poenitens peccaverit cum Religioso, interrogetur an unquam apud illum confessa fuerit; et in casu affirmativo, an etiam in confessionali malos sermones ab illo audierit? Porro tunc casus sollicitationis locum habuisset.

(*circiter iuxta circumstantias*) *interrogetur:* Interfuitne aliqua gravis malitia ad impediendam familiam?..... Quo anno matrimonii tui sic facere incoepisti?... Fecistine sic semper?... Usque ad tempus praesens?... Adfuitne aliquid aliud contra naturam?... Saepe?... Adfueruntne tactus turpes sine intentione perficiendi actum matrimonialem?... Saepe?... Adfuitne aliquis alius excessus?... (*n.* 208. *not.*) Saepe?... Habuistine amorem erga aliam mulierem?.... *Si affirmet, dicatur:* Habebasne illam in mente in usu matrimonii?.... Semper?.... *

297. Circa primum praeceptum. Audistine sermones sive privatim sive publice factos contra Religionem?... Legistine libros impios?... Diaria impia?... Interfuistine comoediis irreligiosis?... Frequentastine conferentias aut scholas Protestantium?...... Defecistine in corde tuo contra fidem?... Esne locutus contra Religionem, Summum Pontificem, aut Sacerdotes?... Dixistine haereses?... Dedistine nomen sectis impiis?... Fecistine confessiones sacrilegas reticendo peccata?... Omisistine poenitentiam sacramentalem?... Fecistine Communiones sacrilegas?... Recepistine Sacramentum Matrimonii (vel Ordinem Sacrum) sacrilege?... Tempore bacchanalium induistine vestes in irrisionem et contemptum Religionis?... Commisistine superstitiones, v. g., ad recuperandam valetudinem, ad sciendas res occultas, vel ad amorem in aliis accendendum?... In hunc finem recurristine ad magos?... Adhibuistine res sacras?... Invocastine Daemonem?...** Adiistine magnetizatores?... Astitistine experientiis spiritismi?...

298. N. B. Interrogationes circa numerum peccatorum heic et deinceps omitto, non quia prorsus omittendae sint; sed ne taedio afficiam lectores. In praxi itaque fiant; sed solum quando ex una parte credi debeat quod poenitens reminisci et apte respondere possit, et ex alia nimium taedium non afferant.

299. Circa secundum praeceptum. Blasphemastine Deum?.... B. Virginem?... SS.mum Sacramentum?... Sanctos?... Papam?... Etiam haereticaliter?... Iecistine imprecationes aut maledictiones contra Deum?... Fecistine unquam aliquod votum, quod postea non adimpleveris?...

300. Circa tertium praeceptum. Laborastine die festo?..... Induxistine famulos aliosque tibi subiectos ad laborandum?...

* *Uxores interrogentur imprimis:* An fuerint inobedientes viris suis in usu matrimonii?..... Et an saepe?....

** Quoad foeminas addi poterit: In his superstitionibus nunquid adhibuisti res turpes? (*Vide n. 285. in not.*).... Fecistine iocum chartarum?....

Omisistine auditionem Missae ?... Interfuistine Missae confabulando et absque attentione ?...

301. Circa quartum praeceptum. Certe fuisti inobediens contra genitores; sed non raro etiam in rebus magni momenti, v. g., commorando extra domum tempore nocturno, vel frequentando domos vel socios contra seriam eorum prohibitionem ?... Quamvis graviter irascerentur, fuistine obstinatus, aut dixisti: nolo facere ?... Praebuistine illis aliquam gravissimam afflictionem, ita ut forsan propter te lacrymas effunderent ?.... Affecistine illos gravibus contumeliis ?... Desiderastine illis mortem ?..... Neglexistine opem ferre illis; permittendo ut famem paterentur, medicina carerent etc. ?... Minitatusne fuisti illos percutere, aut eosne percussisti revera ?... Commisistine inobedientias vel irreverentias graves contra alios superiores ?...

302. Circa quintum praeceptum. Habuistine odia gravia ?.... Fecistine rixas ?... Processistine ad percussiones aut vulnera ?... Cogitastine de morte alicui inferenda ?... Iecistine imprecationes ex corde ?... Offendistine proximum tuum gravibus contumeliis ?... Aut exprobrando illi facta dehonorantia ?... Etiam coram aliis ?.,.. Habuistine odia gravia etiam contra personas tibi proxime coniunctas ?... Aut contra aliquem Sacerdotem ?..... *Interdum addi poterit:* Procurastine abortum ?...

303. Circa septimum et nonum praeceptum. Commisistine furta gravia?... Furta minuta cum frequentia?... Furta domestica ?... Emistine res furtivas?... Attulistine damna gravia proximo tuo?... Ususne es fraudibus in pondere et mensura ?... Vel in ludo?... Vel decipiendo personas simplices in contractibus ?... Omisistine satisfacere debitis tuis. v. g., non solvendo mercedem operariis, vel pretium pro rebus emptis?... Exercuistine usuras?... Fecistine lites iniustas?... Omisistine satisfactionem legatorum ?... Recordarisne te commisisse aliquam aliam iniustitiam ?... Habuistine cogitationes de furtis committendis, vel de aliis damnis inferendis ?...

304. Circa octavum praeceptum. Iurastine falsum in iudicio ?... Habuistine vitium iurandi sive verum, sive falsum ?... Dixistine mendacia damnosa?... Affecistine calumniis proximum tuum ?... Fecistine murmurationes graves revelando res occultas?... Etiam contra propinquos ?... Etiam contra Sacerdotes ?.... Fecistine iudicia temeraria ?....

305 Circa praecepta ecclesiae. Manducastine carnem die veneris et sabbati ?... Omisistine ieiunia quadragesimae et vigiliarum ?... Omisistine satisfacere praecepto paschali ?... Legistine

libros prohibitos?... Interfuistine choreis aliisve spectaculis in Quadragesima?... *Interdum addi poterit;* Violastine aliquam excommunicationem (vel suspensionem) qua forte innodatus remanseris?..... Omisistine aliquam denunciationem, ad quam ex lege Ecclesiae tenereris?..... Habuistine colloquia cum Monialibus, aut ingressusne es monasterium aliquod extra casus permissos?...

306. Circa vitia capitalia. *Sufficit si fiat interrogatio circa gulam, nempe ebrietatem aliasque intemperantias. Nihilominus addi poterunt interrogationes de imprecationibus contra res adversas vel contra animalia; de invidia; de accedia in orationibus; et (quoad foeminas) de superbia et luxu excessivo in vestibus etc.*

307. Circa scandalum. Coniecistine in malitiam pueros aut alias personas innocentes?... Impulistine alios ad perpetranda peccata, suadendo, v. g, vindictam, furtum, aditionem lupanaris, prostitutionem, concubinatum, vel inobservantiam legum Ecclesiae?... Tulistine opem aliis ad perpetranda peccata, sive lenocinio, sive aliis modis?.... Dedistine scandalum nuditatibus?... Dedistine aliquod scandalum publicum?...

308. Circa munera proprii status. (*Pater vel mater familias*) Neglexistine mittere filios ad Missam vel Doctrinam Christianam?... Reliquistine illos in magnis periculis, v. g., filias solas cum adamantibus vel cum famulis periculosis, aut filios iam grandiusculos cum filiabus in eodem lecto?... Vigilastine quoad filios, ne scilicet impiis sectis nomen darent, et ne propter libros, ephemerides, socios etc. fidei aut bonorum morum iacturam facerent?... Correxistine illos quoad blasphemias et turpes sermones etc?... Dissipastine patrimonium aut fructum laboris tui in vitiis, loco providendi familiae?...

309. (*Maritus*) Vixistine in discordia cum uxore tua?.... Affecistine illam magnis afflictionibus?... Percussistine illam?...

310. (*Dives*) Fecistine eleemosynas pauperibus?...

311. (*Habens famulos*): Dedistine famulis tuis salarium et victum debitum?... Affecistine illos nimiis laboribus?... Vigilastine ut leges divinas et ecclesiasticas observarent?..... Correxistine illos delinquentes?.,. Si forte familiae tuae scandalo fuissent, expulistine illos?...

312. (*Famulus*): Praebuistine heris tuis servitium debitum?... Reverentiam debitam?... Fidelitatem debitam?...

313. (*Medicus*): Neglexistine curam aegrotorum?... Multiplicastine visitationes inutiles, aut gessistine te cum aliqua ma-

litia ut morbus ipse protraheretur ad maiorem mercedem habendam?... Praescripsistine pharmaca superflua vel nimii pretii ad favendum pharmacopolis amicis?.... Quomodo te gessisti si aegroti alios medicos consulere voluerint, aut si tu ipse pro consulto advocatus fueris?... Exegistine honorarium non debitum vel excessivum?... Fregistine secretum?... Fecistine fidem infirmitatis non existentis ut quis pensionem vel exemptionem obtineret?... Consultus circa dispensationem a ieiunio, vel similibus, processistine conscientiose?...... Admonuistine de Sacramentis, adventante periculo mortis?.... Dedistine pharmaca abortiva?... Occasione vel praetextu tui officii, fuistine parum honestus cum foeminis?...

314. (*Advocatus*): Corrupistine iudices?... Adduxistine testes falsos?... Defendistine causas civiles certe iniustas?... Protraxistine in longum causas ad maiorem mercedem habendam?... Fuistine negligens?.... Aut etiam infidelis erga clientes?..... Exegistine mercedem excessivam?...

315. (*Scholaris*): Fuistine negligens in studio?..... Inobediens vel irreverens contra Magistros?...

316. (*Clericus*): Incessistine in habitu saeculari vel sine tonsura?..... Fuistine inobediens vel irreverens contra Episcopum et alios Superiores tuos?... Defecistine quoad res Clericis prohibitas, nempe quoad cohabitationem cum mulieribus de quibus suspicio haberi possit; vel quoad negotiationem; ludum alearum; choreas; spectacula; tabernas; comessationes, et quaelibet alia quae Clericum dedeceant?...

317. (*Clericus in Sacris*): Omisistine unquam officium Divinum?... Recitastine illud valde defectuose?...

318. (*Sacerdos*) Celebrastine Missam in peccato mortali?... Aut valde irreverenter et nimis perfunctorie?.... Administrastine Sacramenta in peccato mortali?... Recepistine stipendia aut onera Missarum quin postea debito tuo satisfeceris?... Distulistine celebrationem Missarum adventitiarum ultra mensem?.... Aut commisistine celebrationem aliis diminuto stipendio?....

319, (*Confessarius*) Esne reus alicuius magni delicti propter confessionem (nempe sollicitationis, aut absolutionis complicis)?..... Commisistine graves imprudentias circa sigillum?..... Petistine pecuniam a poenitentibus?.... Processistine nimis perfunctorie, non interrogando, non admonendo, et statim absolvendo omnes?.... Protraxistine nimis in longum confessiones mulierum ex genio vel etiam ex malitia?.... Fuistine graviter imprudens quoad interrogationes?... Processistine temere absque

scientia sufficienti?..,. Vel absque ponderatione in casibus difficilibus et momentosis?....

320. (*Regularis*) *N. B. Circa castitatem et obedientiam, examen comprehenditur in supra dictis. Superest itaque ut dicatur:* Defecistine contra votum paupertatis, nempe sine licentia Praelati de monasterio aliquid accipiendo, consumendo, abscondendo, aut aliis (maxime extraneis) tradendo?.... Vel disponendo de rebus aliunde tibi obventis?.... Defecistine contra clausuram, egrediendo sine licentia, maxime horis nocturnis?... Vel introducendo mulieres intra clausuram?... Defecistine contra regulas praeceptivas et constitutiones, maxime in rebus momentosis, v. g., quoad retentionem habitus, recitationem Divini Officii aut coronae post professionem etc.?

321. (*Rector Ecclesiae*) Defecistine quoad satisfactionem Legatorum, aut tempestivam celebrationem Missarum adventitiarum?.... Quoad nitorem Ecclesiae et decentiam sacrae suppellectilis?... Quoad renovationem et custodiam SS.mi Sacramenti?... Quoad lampadem ante ipsum?... Quoad vinum pro Missis?... Quoad Sacerdotes extraneos non praebentes litteras testimoniales?.... Quoad Sacros Ritus, maxime in rebus momentosis?.... Quoad silentium in choro?.... Quoad vigilantiam circa clericos et aedituos?..... Quoad concordiam cum piis sodalitiis (si adsint)?...., Quoad distributionem horarum circa Missas aliasque sacras functiones, habitu respectu ad alias Ecclesias et maxime ad Parochialem?.....

322. (*Superior vel quisquis bono publico providere debeat*). Intulistine damnum bono publico ex negligentia?.... Ex amore proprio?.... Ex respectu humano?...

323. (*Administrator*) Defecistine quoad inventarium conficiendum vel cognoscendum?... Quoad custodiam rerum tibi concreditarum?... Quoad defensionem earundem?... Quoad manutentionem?... Quoad fructificationem?... Quoad oeconomiam et proportionem in expensis?... Quoad registra et archivium?...

324. (*Beneficiatus*) Defecistine quoad satisfactionem onerum beneficio tuo adnexis?.... Vel quoad redditus beneficii tui, qui (dempta tua congrua sustentatione) in usus pios et non aliter erogari debent?....

325. *Habens onus residentiae interrogetur an defecerit quoad obligationem istam?....*

326. (*Episcopus*) Defecistine quoad praedicationem?... Quoad sacram Visitationem?... Quoad administrationem Confirmationis?..... Quoad sacras ordinationes (v. g., promovendo indi-

gnos) ?.... Quoad audientiam ?..... Quoad curam Seminarii ?.... Quoad curam Monasteriorum ?... Quoad electionem Parochorum, Magistrorum, Deputatorum etc. ?.... Quoad vigilantiam et remedia apponenda speciatim circa Clerum et res magis momentosas ?... Quoad custodiam patrimonii Ecclesiae ?... Quoad scientiam habitualiter habendam pro casibus obviis ?... Quoad studium, consilium et ponderationem pro casibus difficilibus ?..... Quoad Missam pro populo ?... (*Quum Episcopus sit etiam Beneficiatus, Sacerdos, Superior, et habeat onus residentiae, recolendae sunt interrogationes n.* 322. 323. 324. 325. *expositae.*

327. (*Canonicus et Mansionarius*) Defecistine choro ?... Acceptastine distributiones indebitas ?... Defecistine in tuis officiis specialibus, v. g., convisitatoris, punctatoris, praepositi, theologi, poenitentiarii, oeconomi, sacristae etc. ?... Defecistine sive in consiliis Episcopo dandis, sive in aliis suffragiis pro rebus capitularibus ?

328. (*Parochus*) Defecistine quoad sermonem ad populum ?... Quoad pueros catechizandos ?... Quoad assistentiam moribundorum ?.... Quoad administrationem Sacramentorum ?.... Quoad correctiones et scandala meliori modo possibili e medio tollenda ?... Quoad bonum exemplum in te et familia tua ?... Quoad pacem cum Parochis conterminis ?..... Quoad Missam pro populo ?... Quoad Vice-Parochum ?... Quoad regesta et archivium ?... (*Quum Parochus sit etiam confessarius, beneficiatus, rector Ecclesiae, administrator et habeat onus residentiae etc., recolendae sunt interrogationes n.* 319. 321. 323. 324. 325. *expositae*).

329. *Supradicto examine persoluto, quid praestandum a Confessario ?* 1° Interroget poenitentem num aliquid aliud accusandum habeat. 2° Consideret quales sint actuales maioresque poenitentis obligationes seu necessitates, et exhortationibus remediisque provideat. 3° Excitet poenitentem ad dolorem et propositum. 4° Poenitentiam Sacramentalem paullo graviorem assignet. 6° Absolutione data, utiliter dicere poterit : Lauda Deum et bono animo esto. Peccata tua cuncta rite accusasti. Circa universa, quae substantialia sunt, te interrogavi; et ea, quae non inquisivi, necessaria non sunt. De confessione facta tutissimus ergo esse poteris et in vita et in morte. Anima tua nunc est alba sicut nix, pulchra sicut Angelus. Obsecro te, fili mi, ut illam amplius non commacules, gratiam Dei semper custodias, et sic revera te salves.

330. *Expeditne ut confessio generalis una die incipiatur et*

alia finiatur; an vero ut unica vice perficiatur? Si nihil obstet, melius est ut unica vice perficiatur; sic enim contritio maior esse solet. Obstare autem potest non solum defectus temporis; sed etiam bonum poenitentis, quatenus melius sit ut restitutionem, reconciliationem, occasionis dimissionem, denunciationem, scandali reparationem etc. ante absolutionem exequatur.

331. *Quid de poenitentia sacramentali pro confessione generali?* Si confessio facta fuerit ex obligatione, poenitentia Sacramentalis debet esse (propter peccatorum multitudinem) maior consueta. S. Leonardus suggerit ut dentur tres vel quatuor poenitentiae ad plures menses vel ad annum; sed hodie in praxi ordinarie non videntur expedire. Ut plurimum sufficit si viris iniungantur quindecim decades Rosarii, adiecta (si sint divites) aliqua eleemosyna. Ad summum in Missionibus receptio Sacramentorum in Dominicis (quae de more ad servandum fructum Missionis proponuntur) foeminis et quibusdam viris iniungi poterit. Foeminis exercitium *Viae Crucis*, et (si essent instructae) aliqua pia lectio vel meditatio cum actu contritionis et osculo Crucifixi (v. g., per mensem et sub levi) superaddi posset. Omnibus autem (nempe sive viris sive foeminis) ordinarie posset iniungi ut alicui piae confraternitati (si quae in loco adsit) nomen dent.

ARTICULUS IX.

DE ADVERTENTIIS SPECIALITER ADHIBENDIS QUOAD VARIA POENITENTIUM GENERA.

§ I.

Quoad viros.

332. *Quaenam advertenda sunt quoad viros?* 1° Curandum ne expectare cogantur. 2° Excipiendi sunt libenter. 3° Monita, quae personarum valde piarum propria essent, ordinarie non sunt eis danda. 4° Opinionibus benignioribus ordinarie cum illis procedendum est. 5° Ordinarie non sunt obiurgandi, sed potius paterne obsecrandi. 6° Uno verbo curandum ut contenti remaneant, atque ad redeundum alliciantur; maxime si sint magni peccatores, vel rarissime ad Sacramenta accedere soleant.

§ II.

Quoad foeminas.

333. *Quaenam est advertentia principalis quoad foeminas?* Adverti debet principaliter quod ipsae magnus scopulus (et quidem non sine publicis dicteriis) evadere possunt. Ad hunc scopulum evitandum, Confessarius (utique vigilantiam et virtutem adhibendo) servet 1° *Indifferentiam*, neque hanc potius quam illam, aut in genere foeminas potius quam viros libentius audiat; 2° *Gravitatem*, et speciatim verba, quae teneritudinem vel nimiam familiaritatem praeseferunt, sedulo evitet; 3° *Modestiam*, cavendo saltem ne studiose illas advenientes aut redeuntes inspiciat: 4° *Brevitatem*, de qua infra.

334. *Quaenam aliae advertentiae haberi debent circa foeminas?* Haec prae oculis habeantur: 1° Foeminae solent esse valde inopes criterii; quid pro quo facile accipiunt; phantasia res exaggerant; et ordinarie nullam prudentiam et reflexionem habent. 2° Sunt loquaces admodum; unde ea quae hodie dicuntur in confessionali, cras sciri poterunt in conversationibus, imo et in platea. 3° Valde verecundantur, et non raro patientia et auxilio (utique prudentissimo) Confessarii indigent, ut peccata sua integre accusent. Quoad verecundiam istam notari potest etiam, quod ordinarie pro maxima et intolerabili impudentia haberent, si Confessarius menstrua (etiam absque malitia ulla) nominaret. 4° Si sint nubiles, ornamenta et alia quae iuxta morem patriae ad matrimonii conclusionem discrete deserviunt, non sunt (dummodo modestiam servent) eis interdicenda; secus enim a Sacramentis absque ullo fructu alienarentur. 5° Foeminae quasdam optimas qualitates habere solent; nempe sunt valde inclinatae ad Religionem et pietatem; sunt timidae; facile credunt; denique sunt dociles. Quoad hanc docilitatem notari debet, quod foeminae non tàm per viam intellectus quam per viam cordis ad obediendum inducuntur. Ipsae insuper naturaliter amant dirigi et esse subiectae. Obedientias, etiam de rebus paullo difficilioribus, facile acceptant et reapse exequuntur; et quo magis Confessarius fortitudinem ostenderit, firmusque in aliquid absolute exigendo persistiterit, eo magis illis placebit: imo et fortes correctiones (attamen non sine discretione), quae facile viros offenderent et a Sacramentis alienarent, effectum prorsus oppositum in foeminis habere solent.

§ III.

Quoad personas pias.

335. *Quid notandum circa personas pias?* 1° Cavendum a quibusdam specialibus periculis et inordinationibus; 2° Bona directio est eis danda.

336. *Quaenam pericula specialia quoad personas pias adesse possunt?* Quum istae ut plurimum sint foeminae, pericula maiora sunt sequentia:

I. De facili genialem affectum concipiunt erga Confessarium ipsum; et, sive propter istum affectum sive propter quamdam vanam gloriolam, facile cupiunt nimis frequenter ad confessionem redire nimiumque in confessionali commorari. Valde sollicitae esse solent ut Confessarius illas existimet et quodammodo diligat; quo fit ut interdum non sint sincerae, imo etiam fictionibus utantur; nec audeant (cum periculo ne Confessarius id advertat) Extraordinarium adire. Praedilectionem facile ita ambiunt, ut contra alias zelotypiam et invidiam concipiant. De praedilectione autem facile se iactant, aut quod Confessarius tales vel tales alias praediligat querimonias movent. Hinc dicteria et scandalum. Caveat itaque Confessarius a quolibet signo praedilectionis. Non permittat ut pluries in hebdomada ad confessionem redeant. Exigat ut identidem Extraordinarium adeant. In ipsa confessione brevitatem (ut supra innuebam) cum omnibus (habito tamen respectu ad veras uniuscuiusque necessitates) servare procuret. Munera et mnemosyna nec det nec acceptet. Visitationes privatas pariter nec faciat nec permittat. Epistolas non scribat. A laudibus abstineat.

II. Quaedam magno hysterismo, speciatim quibusdam diebus, laborant; et tunc tristitiae, melancholiae, taciturnitati, fletui, iracundiae, desperationi aut aliis passionibus adeo subiici possunt, ut quasi delirare videantur. In tali statu valde dissimulandum est, ne magnus aliquis excessus accidat.

337. *Quaenam sunt inordinationes speciales, quae in confessionibus animarum piarum contingere possunt?* Prima est si interim virorum magnorumque peccatorum confessiones, aut alia munera maioris momenti, negligantur; vel si personae ipsae nimis commorentur apud confessionalia et muneribus proprii status deficiant. Hinc practice expedit ut personae piae audiantur dumtaxat diebus et horis opportunioribus, curando etiam ut unaquaeque propriam diem et (circiter) horam habeat. Se-

cunda inordinatio est si Confessarius de rebus ad spiritualem poenitentis directionem non stricte pertinentibus sermones immisceret; maxime vero si cum una de aliis loqueretur, et confessionale in locum inquisitionum, delationum, et murmurationum verteret.

338. *Quaenam sunt regulae principales bonae directionis?*

I. Director exigat imprimis ut personae directae plena sinceritate omnia pandant, nihilque sine licentia faciant, et perfectissimam obedientiam praestent.

II. Illas admoneat quod vera sanctitas consistit in fuga peccati et exercitio virtutis ad placendum Deo; non vero in quodam fervore sensibili; imo nec etiam in multis orationibus et poenitentiis; quae tamen bona erunt si sint discreta, atque ad virtutes acquirendas dirigantur.

III. Magnum huius verae sanctitatis desiderium in eis accendere satagat.

IV. Curet ut paratae sint placere Deo non obstante quacumque difficultate, et cum pleno amoris proprii sacrificio.

V. Amor Dei et Domini Nostri I. C., humilitas, obedientia, castitas, modestia, mansuetudo, patientia, diligentia, denique charitas erga proximum, sunt virtutes principales, de quibus Confessarius sollicitus esse debet.

VI. Si persona directa versetur in periculo incidendi in peccatum mortale, specialissimo modo contra illud esset praemunienda. Vide dicta n. 154-161.

VII. In quovis casu valde instandum est ut serio adhibeantur media perfectionis; quae sunt 1° *Oratio* fervens speciatim mane et vespere, maxime vero adveniente tentatione. Ad orationem reducuntur devotio erga B. V., Angelum Custodem, et Sanctos Protectores; preces novendiales; auditio Missae, et visitatio SS.mi Sacramenti. 2° *Meditatio* peragenda sin minus methodice, saltem eo modo quo fieri potest, cogitando de morte, de iudicio, de inferno, de passione D. N. I. C., de praesentia Dei etc.; eliciendo proposita, affectus devotos, et preces. Ad meditationem referuntur bonae reflexiones sumpta occasione ex intuitu Crucifixi aliisve circumstantiis; item orationes iaculatoriae, dies recollectionis spiritualis quovis mense, et speciatim exercitia spiritualia quovis anno. 3° *Lectiones spirituales*, speciatim circa vitas Sanctorum. 4° *Proposita particularia* quovis mane renovanda circa defectus in quibus poenitens frequentius labitur. 5° *Animo non deiici propter lapsus*, sed humiliari, poenitere, orare, rursus proponere, et bono compensare malum.

6° *Examen* quovis vespere cum actu contritionis. 7° *Amicitiae spirituales* nempe cum personis vere devotis et virtuosis. 8° *Piae uniones*, nempe dare nomen, v. g., tertio Ordini S. Francisci, aut aliis piis confraternitatibus, si quae in loco floreant, interveniendo congregationibus etc. 9° *Confessio* apud confessarium stabilem quolibet octavo die cum vero poenitentiae spiritu. 10° *Communio* etiam infra hebdomadam si Confessarius id permittat; qui tamen Communionem quotidianam vel quasi quotidianam concedere non debet, nisi persona spectabili virtute vere praefulgeat, aut propter magnas tentationes illa indigeat (*Praxis n.* 770). 11° *Communio spiritualis*. 12° *Mortificatio*, seu iuge studium mortificandi linguam, oculos, gulam, curiositates, et amorem proprium.

339. *Quid de methodo vitae?* Est valde utilis, et servandus nisi aliquid impraevisum aliter exigat. Statui debet solum circa res principales et habito respectu ad circumstantias particulares status, familiae etc. Exemplar ordinarie esset sequens: *Singulis diebus*. Mane orationes cum proposito; auditio Missae cum Communione reali vel spirituali; meditatio. Infra diem, piae reflexiones, orationes iaculatoriae; mortificationes iuxta circumstantias; praesentia Dei et oratio in periculis peccandi. Vespere visitatio SS.mi Sacramenti; preces novendiales (si occurrant); rosarium; examen; actus contritionis et orationes consuetae. *Singulis hebdomadis* dies confessionis; Via Crucis; ieiunium in Sabbato; et diebus festis auditio concionis necnon lectio spiritualis. *Singulis mensibus* dies spiritualis recollectionis. *Singulis annis* confessio annualis, et (si possibile sit) exercitia spiritualia.

340. *Quid de macerationibus corporalibus?* Quaedam macerationes sanitati nimis noxiae nunquam sunt permittendae. Tales sunt, v. g., 1. Flagellationes in partibus mollioribus (nempe in ventre, in lumbis, in genitalibus, et in uberibus), aut super vulnera non adhuc sanata, aut utendo flagello aculeato; 2. Cilicia ex filo ferreo ita tenui ut acumina in carnibus infigantur, aut nimis constricta, aut perpetuo adhibita; 3. Privatio somni, ita ut poenitens septem horis somni habitualiter careat. Loquendo autem de macerationibus (considerando etiam statum poenitentis eiusque circumstantias omnes) omnino moderatis, distinguendum est inter casum in quo poenitens illas petat, et casum in quo nihil petat. In secundo casu, Confessarius poterit quidem suadere aliquod ieiunium, vel aliquas exiguas poenitentias; non vero cilicia et flagellationes, nisi forte necessitas omnino extraordinaria occurreret. In primo casu autem expectet ut

poenitens suas petitiones et quidem enixe renovet; quod si accidat, concedat sub duabus conditionibus. Prima ut poenitens sit in humilitate et vera virtute valde fundatus. Secunda ut sub initio parum et solum identidem concedatur.

341. *Quid de votis?* Aliquod votum de re unica vice perficienda (v. g., de oblatione, vel etiam de peregrinatione ad aliquod Sanctuarium) pro circumstantia extraordinaria facile permitti poterit. Si vero de votis perpetuis ageretur, valde caute procedendum esset; possunt enim esse (propter inobservantiam) occasio peccatorum. Idem dic de votis temporaneis quidem, sed nimis multiplicatis. Generatim loquendo, consideranda est virtus et indoles poenitentis, et in dubio de futura observantia considerandum est etiam an agatur de re quae in magnam Dei gloriam redundet, necne. Facilius concedi possunt vota elicita sub conditione quod Confessarius quilibet ab iisdem dispensare possit. Votum non mutandi Confessarium eique perpetuo obediendi inconsultissimum et periculosissimum est; et qui illud suadent facile malitiosissime procedunt; seclusa autem malitia, saltem se esse criterii satis superque inopes palam faciunt. De voto castitatis in quaestione sequenti.

342. *Quid de electione status?* Loquendo non de illis qui ex necessitate vel ex obligatione stricta (quae raro aderit) ad talem vel talem statum adiguntur; sed de simplici consilio pro poenitente qui ex una parte sit liber in electione, et ex alia sincere illum statum eligere velit, in quo verisimiliter Deo melius servire possit; bonae regulae erunt sequentes.

I. Si poenitens ex una parte erga statum perfectiorem aliquam inclinationem demonstret, et ex alia habeat vel acquirere possit qualitates eidem statui congruas, Confessarius eiusdem status excellentiam tempestive atque iteratis vicibus ei patefaciat.

II. Dictae qualitates congruae, in genere loquendo, sunt 1. Inclinatio constans; 2. vita satis casta. — Pro statu religioso exiguntur insuper virtutes obedientiae et mansuetudinis. Nihil dico de sanitate, de dote, de consensu parentum etc. Et notandum quod pro statu religioso sine clausura, et speciatim si ageretur de piis foeminarum institutis quibus hospitalium infirmorum cura incumbit, maior virtus aut potius quaedam naturalis frigiditas et indifferentia erga viros exigitur. — Pro statu coelibatus in saeculo, speciatim quoad puellas, regulariter animadvertendum 1. An adsit copia auxiliorum spiritualium (v. g., si in loco praesto sint Confessarii zelantes vel floreat pia Congregatio Virginum Deo devotarum) idque maxime si poeni-

tens in magnis et extraordinariis tentationibus aut periculis versaretur; 2. An aliquo modo adsint etiam media sustentationis. — Pro statu Presbyteri saecularis, videndum an ex una parte pro salute aeterna subiecti videatur esse melior vita sacerdotalis quam saecularis, et ex alia an praesumi debeat, quod ille in substantia Ecclesiae utilis (non vero magis noxius quam utilis) futurus sit.

III. Quoad votum castitatis permittendum vel non permittendum puellis, sic dicerem: Si Confessarius magis inclinet ad credendum quod puella ad statum virginitatis non vocetur, tunc curet quidem ut bona et virtuosa sit, sed nullum votum (ne temporaneum quidem) ei suadeat, neque vestes et ornamenta, quae a puellis maritum ambientibus adhiberi solent, ei dissuadeat. Si autem magis inclinet ad credendum quod ad statum virginalem vocetur, tunc votum temporaneum (nempe renovandum de solemnitate in solemnitatem) ei permittere vel consulere, simulque aliquam modicitatem circa ornamenta suadere poterit. Si denique iam sit moraliter certus de vocatione ad statum virginalem, tunc de electione huius status decise facienda, et de abstinendo prorsus (quantum propriae conditionis decentia permittit) tum a mundano vestiendi modo, tum a saecularibus dissipationibus et conversationibus; nec non de praestandis reliquis, quae a vera Christi sponsa praestari debent, consilium dabit. Si puella in omnibus lubenti animo obediens et constans reperiatur, tunc credo expedire quam maxime ut votum perpetuum ei permittatur; hoc enim magnam firmitatem et promptitudinem in repellendis tentationibus superaddere solet. Suppono tamen quod puella ad minus vigesimum annum habeat. Adderem, bonam esse cautelam, quod in dicto voto emittendo adiiciatur conditio quod votum erit perpetuum, nisi futurum sit quod Confessarius in posterum aliter iudicet. *Praxis* 1136. *XVII.*

343. *Quid observandum circa tentationes?* Observandum 1. an adfuerit consensus; qui certe etiam in persona pia et habitualiter valde abhorrente a peccato intervenire potest; non tamen de facili. Quo in puncto notari debet quod rudes solum peccatum materiale considerare solent, et facile credunt se esse reos, quamvis requisita ad peccatum formale constituendum non adfuerint. Hinc prae oculis haberi debent principia, quae actionum imputabilitatem respiciunt; quod nempe 1. Dantur actus (interdum etiam externi) *primo-primi.* 2. Ad vere et formaliter peccandum non sufficit cognoscere id quod fit, sed o-

portet etiam reflectere (saltem in confuso) rem illam esse malam. Dicit autem S. Lig. (De Pecc. n. 3): « Potest intel- « lectus ita rapi a delectatione obiecti oblati, ut nihil malitiae « moralis in illo advertat ». 3. Malum perpetratum in somno non potest esse peccatum (nisi prius aut postea culpa adfuerit). In statu autem semivigiliae (*it. tra la veglia e il sonno*) culpa gravis adesse nequit. Sicut semisopitus et semifatuus cognoscere potest aliquo modo non solum actionem, sed etiam malitiam actionis, et nihilominus non esse reus peccati mortalis, quia arbitrium tunc remanet ligatum et non est plene liberum; ita dantur etiam interdum (maxime in hystericis) verae dementiae vel semidementiae transitoriae a passionibus provocatae; unde persona in modo loquendi et agendi abnormissime procedit, satisque palam facit se tunc non sanae mentis esse. In praxi tamen, quando dementia vel semidementia non est habitualis, non facile pro certa absentia culpae mortalis (si de ré gravi agatur) iudicandum est.

Observandum II., quod interdum personae piae conscientia laxa laborant, et, dictaminibus erroneis (non sine animi turbatione) sibi ipsis illudere conantur; vellent enim passionibus suis satisfacere et delectationes sibi procurare absque peccato. Exempla. 1. Desiderare (quod certe non licet) ut delectationes carnales accidant sine culpa (v. g. in somno), et, postquam acciderint, gaudere. 2. Excedere limites in satisfaciendo ordinariis necessitatibus corporalibus, vel fingere sibi necessitates ubi non adsunt. 3. Procurare sibi lenimentum alicuius fastidii ope pollutionis. Aliud est quaerere lenimentum ex tactu, quatenus tactus excitat pollutionem, et haec est vera causa quae fastidium lenit (prout accidit quoad foeminas in quibusdam uteri et stomachi aegrotationibus); idque, quamvis contra delectationem abominatio haberetur, nunquam licet; aliud vero quaerere lenimentum ex tactu, quatenus tactus per se ipsum fastidium lenit (prout accidit in pruritu, qui ex immunditia vel herpete oritur). Practice id distinguitur ex eo quod quibusdam vicibus etiam sine ulla carnali commotione fastidium leniatur; et tunc tactus licere potest, quamvis (praeter intentionem et sine consensu) pollutio accideret. Praeterea si fastidium cessat in instanti, tactus est libidinosus; secus si cesset paullatim. 4. Illusionem sibi facere praetextu rectae intentionis; dum revera, si libido abesset, certo certius persona aliter se gereret. In praxi inspiciendum erit, quid, seclusis passionibus, fieret vel fieri ex-

pediret. In dubio, si actio sit in se honesta, commendanda esset rectitudo intentionis et scrupuli iniici non deberent.

344. *Quid de scrupulis?*

1. Scrupulus est timor inanis, dum scilicet quis timet peccatum ubi non adest. Qui saepe huiusmodi scrupulis laborat semperque timet, v. g., se consensisse pravis cogitationibus, aut non bene fuisse confessum, aut non bene fecisse poenitentiam sacramentalem, non bene recitasse breviarium, aut prava intentione se in omnibus procedere etc. (maxime si difficile dicto Confessarii acquiescat) dicitur scrupulosus.

2. Confessarius curet ut bene intelligat an de veris scrupulis agatur; interdum enim mulieres ad significandas res turpissimas quibusdam utuntur expressionibus, quae res innocentissimas indicare viderentur (v. g., sto supina; crura aperio; crura obstringo; speculo me inspicio; paullulum solatii capio cum catello, cum socia, a me ipsa; iocos facio; baculum inequito; scrutis utor; super herbam sedeo; sum humana cum personis etc.). Confessarius interroget num cum malitia haec facta fuerint?

3. Si de veris scrupulis agatur, Confessarius firmissimis verbis tutum reddat poenitentem quod eius timores sunt inanes et prorsus despiciendi. Iubeat ut contra illos agat; dicendo quod, secluso casu in quo iuramentum de peccato vel obligatione emittere possit, libere agat, officium non repetat, communicet, celebret, de vita praeterita nihil accuset etc. Et si poenitens iam dicere inciperet se posse iurare de consensu, Confessarius (durantibus scrupulis) id non credat nisi fateatur se opere externo quoque deliquisse. Pro regula datur etiam ut vitae non solum praeteritae (prout modo dicebam) sed etiam praesentis confessio de rebus scrupulosis non permittatur; sed haec regula prudentiae Confessarii relinquitur; non raro enim (speciatim quoad personas ad scrupulos accusandos iamdiu assuetas, maxime in quibusdam materiis, quae periculum consensus valde involvunt) expedit potius ut confessio audiatur et patientia adhibeatur.

4. A scrupulosis exigi quidem debet obedientia, nec rationes sunt eis adducendae; sed notandum quod si scrupuli ex morbo physico procedant, in quadam impossibilitate obediendi versari possunt; voluntas enim phantasiam saepe saepius cohibere nequit.

5. Otium, conversatio cum aliis personis scrupulosis, auditio concionum terrificarum, meditationes de rebus terrificis, exa-

mina conscientiae, et confessiones generales scrupulos adaugere solent. Haec itaque prohibeantur. Curandum ut scrupulosus distrahatur, nec de suis scrupulis loquatur; et in ipsa confessione ordinaria bono modo ad alia sermo diverti debet.

6. Scrupulosi benignissime tractandi sunt. Afflictio afflictis addi non debet. Praesertim si de desperatione tententur, fiducia in Deo quam maxime insinuari et Paradisus promitti debet. *Praxis* 1136. *XXI.*

345. *Quid si poenitens res supernaturales, nempe extases, apparitiones, locutiones, revelationes etc. enarraret?* Si extasis deliquium esse potuerit, et si apparitiones, locutiones etc. phantasiae adscribi valeant; tunc de iis non est curandum. Si vero res narratae nullo modo naturales esse possint, tunc cavendum ne sint malitiosae poenitentis ipsius fictiones, aut Diaboli illusiones. Signa sunt incohaerentiae; facilitas ea enarrandi (multo magis si poenitens non solum Confessario sed aliis quoque ea enarraret); denique turbatio et reluctantia, si Confessarius (prout sub initio facere debet) incuriam ostendat et dicat ea esse spernenda. Si autem nulla contradictio notetur, et poenitens simpliciter quidem sed cum quadam verecundia res illas soli Confessario patefaciat, et constanter humilis, obediens et tranquillus reperiatur; tunc de bono spiritu (quamvis forte poenitens in aliquos defectus adhuc incideret) iam non erit prudenter (saltem valde) dubitandum. Excipe nisi locutiones et revelationes imprudentias suaderent.

346. *Quid de infestationibus Diabolicis?*

I. Hae consistunt in tentationibus non iam ordinariis et interpolatis, sed continuis et horribilibus, quae nec solis passionibus (si in complexu considerentur), nec phantasiae, nec malitiosae poenitentis ipsius fictioni adscribi valeant.

II. In his infestationibus Daemon totus in eo est, ut anima orationem, et omnia opera bona prorsus deserat, et peccata mortalia committat. Modo tyrannico id exigit et horribiles machinationes adhibet. Sub initio iniicere solet magnam abominationem contra orationem, Sacras Imagines, maxime vero contra Deum ipsum. Postea satagit ut anima fidem amittat, blasphemias proferat, sacras imagines conculcet vel conspurcet, signis contumeliosissimis Eucharistiam spernat, Confessionem et Communionem deserat etc.; et non raro per vim ad haec cogit. In forma visibili (nempe foeminis sub specie viri) apparet; praedicta petit; obiecta devotionis aufert; pecuniam dat; fortunam promittit etc.; et, nisi obedientiam obtineat, violen-

tiam physicam facit; per vim (et forte utendo rebus sacris) personam polluit, vel etiam ad copulam cogit et stuprum perpetrat. Dein immittit persuasionem quod peccata horribilia iam commissa fuerint, imo quod graviditas cum infamia inevitabili iam evenerit. Sic in desperationem personam miserrimam coniicere procurat, et de suicidio illam tentat. Ea autem adhuc reluctante, ad percussiones, adustiones, vulnera, et uno verbo ad cruciatus vix credibiles recurrit. Status huiusmodi longo tempore multisque annis ordinarie durat.

III. Confessarius quam maxime sollicitus erit de tribus; nempe 1° De fortitudine et constantia; 2° de profectu in virtutibus; 3° De liberatione.

Quoad fortitudinem et constantiam, a periculo damnationis, a praemio extraordinario in Paradiso, a Purgatorio quod persona evitabit, a Deo pro quo dimicat et a quo semper adiuvabitur etc. argumenta sumat. Summam necessitatem directionis et obedientiae ostendat. Bonis modis utatur, et horroris signa non det. Corrigat autem si aliquo modo et a longe cedere inciperet. Non facile credat quod vere deliquerit; et, quamvis de hoc dubitaret, caveat ne miserae animae iam de desperatione heu nimis tentatae dubium suum ostendat; sed potius exhortationes adaugeat et orationem atque fortitudinem magis magisque commendet. Dixi *non facile credat quod vere deliquerit;* ut plurimum enim Deus in animabus piis id non permittit; et valde facile est quod, propter defectum cognitionis et libertatis, ea, quae perpetrata fuerunt, vera peccata formalia non fuerint. Recolendum quod Diabolus potest 1° violare personam per vim sicut faceret homo; 2° cogere eam physice ut ipsa suis manibus (non obstante voluntatis repugnantia absoluta) se polluat, aut sua lingua blasphemias proferat; 3° inducere illam in statum similem semiebrio, aut eius passiones adeo repente et vivide commovere et intellectum ita obfuscare, ut sine sufficienti advertentia ad malitiam agat.

Quoad profectum in virtutibus curabit ut poenitens se profundissime humiliet, Dei dispositionibus se resignet etc.

Denique quoad liberationem, media praecipua sunt 1° Oratio fervens (interponendo etiam patrocinium SS. Iulii et Gaudentii); 2° Ieiunium; 3° Actus profundissimae humilitatis; 4° Exorcismi (qui fieri possunt etiam privatim, atque non stando formae Ritualis, imo ab ipsa persona infestata; et tunc licentia Episcopi non exigitur); 5° Signum crucis; 6° Usus aquae benedictae; 7° Retentio Reliquiarum et aliquorum verborum Evangelii.

IV. Denique Confessarius (maxime si agatur de mulieribus) caveat ne compassione ductus aliquas imprudentias committat; et reminiscatur quod Daemon non solum poenitentis, sed etiam Confessarii ruinam, et scandalum publicum, machinari potest. *Praxis* 1136. *XX.*

§ IV.

Quoad Moniales.

347. *Quid speciatim curandum a Confessario Monialium?* 1° Ut scientiam sufficientem habeat; 2° ut existimationem et quamdam venerationem sibi procuret; 3° ut Moniales plena confidentia propriam conscientiam ei pandant; 4. ut ipsae verum profectum faciant; 5° ut erga illum nec genialitatem concipiant; 6° nec aversionem; 7° ut procuret pacem Communitatis.

348. *Quomodo scientiam sufficientem habebit?* Praeter Theologiam moralem, et normas supra enuntiatas pro directione animarum piarum, scire debet 1° Regulas et constitutiones monasterii proprias; 2° motiva et instructiones circa virtutes, quae, apud Rodriguez, Scaramelli aliosque Asceticos inveniuntur.

349. *Quomodo existimationem et quamdam venerationem sibi procurabit?* Ad hoc doctrina non sufficit, sed virtutes in Confessario ipso exiguntur; et speciatim devotio, recollectio, mortificatio, patientia, diligentia, maxime vero prudentia et gravitas.

350. *Quomodo obtinebit ut Moniales plena confidentia propriam conscientiam ei aperiant?* Taedium, impatientiam, et festinationem non ostendat; a praebendis signis cuiusdam specialis existimationis caveat; admirationem de peccatis accusatis (quamvis gravissima essent) non demonstret, et verecundia praepeditas valde adiuvet (ipsae enim ad alios Confessarios non facile divertere possunt, et vae si sacrilegiis se assuefacerent!) Denique ne suspectum, imo ne umbram quidem praebeat quod confessionibus ad aliquid exterius agendum vel dicendum aliquo modo utatur.

351. *Quomodo praebere posset suspectum de usu confessionum?* Si Moniales rescirent quod de monasterio aut de aliqua Moniali cum famulis conventus aut cum aliis extraneis loquatur; si longa et frequentia colloquia haberet cum Abbatissa vel aliqua Moniali extra confessionem; si in ipso confessionali cum una sermonem iniiceret de alia, maxime vero si circa hanc vel

illam inquisitiones faceret, aut si cum Educandis de Monialibus loqueretur; si, intelligendo in confessione peccata commissa cum complicibus vel quod talis vel talis inordinatio in Monasterio acciderit, de cognoscendis personis se curiosum ostenderet; si confessione unius uteretur ad magis interrogandam vel ad corrigendam aliam; si ex confessione unius audiens defectum de alia, quovis modo ostenderet talem defectum iam esse sibi notum; si faceret correctiones de rebus exterius quidem notis, sed ita ut Moniales correctae suspicari possent quod in confessionali notitiam habuerit; si has vel illas laudaret, et de aliis taceret; si in electione Abbatissae aut Discretarum aut in distributione officiorum se ingereret, vel quomodolibet satis indicaret se potius pro una quam pro alia propensum esse, si Confessariis Extraordinariis vel Concionatoribus monita aliqua suspectuum et futurarum querimoniarum periculosa daret; si ipse sponte sua conciones Communitati facere vellet: aut si in concionibus, quae forte sint de more, magnam cautelam non adhiberet. Periculum adesset quoque si extra confessionale pacem componendi munus susciperet.

352. *Quomodo procurabit ut quaelibet Monialis verum profectum faciat?* Instando pro exercitio virtutum, et observantia regularum et constitutionum.

353. *Quaenam sunt virtutes Monialibus magis necessariae?* 1° Amor Dei, factis et sacrificiis ostendendus; 2° Obedientia quae sit coeca, prompta, exacta, et libenti animo in rebus quoque amori proprio repugnantibus exercenda; 3° Charitas erga Sorores; unde Monialis caveat ne aliquam offendat, contristet, vel nimis oneret; item procuret ut alias, quantum potest, adiuvet et consoletur; denique sit patiens, et mansueta, atque veniam pro amore Dei ex corde concedendam semper parata. 4° Castitas.

354. *Quid de observantia Regularum et Constitutionum?*

I. Regulae et Constitutiones sunt media, quibus Moniales ad vota observanda et virtutes exercendas uti debent. Aliquid aliud superaddere ut plurimum nocet et vix unquam expedit. Particularitates (quamvis forte in se optimae) plus vel minus Communitatem turbant. Procurandum potius ut illa omnia quae a regulis praescribuntur (v. g. Confessiones, Communiones, exercitia spiritualia, meditationes, lectiones spirituales, orationes iaculatoriae, psalmodiae, disciplinae, ieiunia etc.) non iam defectuose vel ex quadam sterili consuetudine, sed exacte cum internis dispositionibus et ex vero spiritu peragantur.

II. Caveat Confessarius ne sub suo regimine abusus vel relaxationes introducantur. Si autem abusus (speciatim circa clausuram et collocutionem cum exteris) iam adsint, Episcopum consulat.

III. Monialibus dispensationes, mutationes, particularitates et licentias quaerentibus suadeat ut nihil petant: nisi motiva vere urgentia afferant; quo casu eas ad Superiorissam remittat. Ipse autem nec intercessoris partes in se assumat, nec auctoritate propria (quam, seclusa consuetudine, non habet) dispensare audeat.

IV. Curandum ut Moniales quae aliquid momentosum omittere cogantur, alia hora vel alio modo (si possint) suppleant.

V. Regula, quae forte magis aliis cordi debet esse Confessario, est silentium. Ex collocutionibus cum exteris (quamvis essent Religiosi) ; ex nimis frequentibus collocutionibus cum ipsis consanguineis; ex notitiis mundanis; ex colloquiis inter ipsas Moniales (extra horam recreationis), et uno verbo ex lingua iuxta religiosum silentium accurate non custodita; non solum dissipationes, sed etiam maiores monasteriorum inordinationes oriri solent.

355. *Quomodo cavebit Confessarius ne ulla ex Monialibus genialitatem erga illum concipiat?* Privilegiatas, seu (ut vulgo dicitur) beniaminas non habeat. Si quae maiori assistentia vel patientia indigeat, se quidem praestabit, sed moderate; imo identidem citius aliis illam dimittat. Frequentiorem ad confessionem accessum ex consuetudine nemini permittat; et, data necessitate, quo citius fieri poterit se expediat. Collocutiones ad rotas vel crates (speciatim in longum protractas, maxime vero tempore nocturno) prorsus evitet. Quando Monialibus sacristiae addictis aliquid dicere debet, brevissimus sit. Si animadverteret quod aliqua (v. g., ex nimia facilitate loquendi de ipso) ad genialitatem de facto inclinaret, cautissime cum illa procedat. Si, distribuendo Monialibus SS.mam Eucharistiam, notasset, aliquam ad Communionem non accessisse, de hoc illi nihil dicat. Adde plura alia iam dicta n. 336.

356. *Quomodo procurabit ne aversiones contra seipsum excitet?* Quilibet defectus plus vel minus aversiones excitant; sed speciatim prae oculis habebit sequentia:

I. Caveat ne aliquas, v. g., vetulas, rudes, Conversas, infirmas etc. negligat, vel negligere videatur; maxime si neglectae magnis spiritus tribulationibus subiicerentur et maiori assistentia indigerent. (Dum tamen maiorem istam assistentiam

praebet, ne idipsum alias criterii inopes vel ad zelotypiam inclinatas offendat, identidem has quoque magis aliis detineat). Se ope Monialis Sacristiae addictae modo haec modo illa petat in confessione audiri extra proprium diem, et si contingere possit quod interdum annuere nequeat, tunc iubeat ut eadem Monialis nomen petentis nunquam significet.

II. Confessionale in locum inquisitionum et delationum (ut supra dicebam) non convertat; nec inquirat an haec vel illa dicat aliquid de seipso, vel diu commorata fuerit in confessionali apud Extraordinarium etc.

III. Bonis modis procedat, et, si sit indole iracundus, circa se ipsum valde vigilet. Corrigat quidem, sed ad paullo acriorem correctionem non procedat, nisi forte sciat quod Monialis in bonam partem sit illam exceptura. Cum quibusdam meliorem opportunitatem expectare, vel etiam omnino dissimulare oportet, ne peius accidat. Si petitionibus annuere nequeat, displicentiam ostendat. Nimio imperio non procedat; neque in exigendis rebus, quae vix aut ne vix quidem obtineri possunt, obstinatus persistat.

IV. Novitates, quamvis optimae viderentur, non introducat; nisi forte Communitas illas desideraret nihilque turbarent. Quoad ipsos abusus evellendos valde caute et prudenter procedat; et vide supra (n. 354. II).

V. In iis, quae ad Syndicos vel Superiorissam spectant se ingerere non sibi arroget. Tempore Extraordinarii ad Monasterium non accedat, neque ad Monialem aliquam scribat.

VI. Monialibus Superiorissae contrariis non faveat, sed potius illas corrigat. Quoad novas electiones aut officiorum distributiones, caveat (ut supra dicebam) ne huic vel illi (maxime si partes invicem contrariae ferveant) se opponat.

VII. Si aliqua Monialis extra tempus Extraordinarium petere vellet, non se opponat. Si tamen id ex defectu proprio (v. g., ex nimia severitate vel impatientia) provenisset, tunc Monialem id minitantem quietam reddere satagat, et se ipsum emendet. Res huiusmodi enim Communitatem valde turbare solet.

VIII. Servitium suum diligenter et exacte praestet; a Monasterio munera, servitia, pecuniam mutuam etc. non petat; et si apud monasterium ipsum habitationem et victum habeat, de omnibus contentum se ostendat, alios ad mensam non invitet, nocturno tempore foris non maneat; uno verbo gravamen nullum et turbationem nullam communitati afferat.

IX. Finito triennio, pro confirmatione obtinenda nihil dicat et nihil agat.

357. *Quomodo Confessarius pacem Communitatis procurabit?* Ea quae hucusque dicta sunt valent etiam ad pacem Communitatis obtinendam ; si enim ex una parte Moniales sint obedientes, patientes, charitatis vinculo unitae, recollectae, observantes, a particularitatibus alienae etc. ; et ex alia Confessarius adhibeat cautelas omnes supra indicatas, iam pax Communitatis vix turbari poterit. Nihilominus duo notari possunt. 1° Quod amicitiae particulares (quamvis in virtute fundarentur et in saeculo optimae essent) in Communitatibus noxiae sunt et pacem turbant; 2° Quod electio Superiorissae non raro solet esse occasio turbationum. Confessarius (ut dixi) non debet quidem se ingerere quoad personam Monialis eligendae, sed niti debet ut singulae 1° Orent; 2° Considerent quaenam maiori prudentia, dexteritate, charitate et regularis observantiae zelo pollere videatur. 3° Taceant.

358. *Quomodo se gerere debet Confessarius quoad directionem Superiorissae?* Curabit ut muneri suo satisfaciat; nempe 1. Moniales suas omnes, tamquam filias dilectissimas, nulla distinctione facta, amet; quamlibet libenter auscultet: nec ullo modo consideret, quod hae vel illae in electione contrariae sibi fuerint; 2. Delationibus fidem coecam non praestet, quamvis a suis confidentibus factae fuissent; sed cautas informationes capiat; et, si corrigere debeat, id (saltem prima vice et ordinarie) faciat privatim; 3. Regularem observantiam procuret, et ipsa suo exemplo omnibus praeeat; 4. Abusus, si qui sint, prudenter avellere satagat; 5. Sollicitudinem adhibeat ut infirmae non solum curentur, sed etiam ab aliis Consororibus identidem visitentur; 6. Quoad expensas tam ab avaritia quam a luxu et superfluitate abstineat; 7. Tam in admittendis novitiis, quam in illis eiiciendis cum magna consideratione procedat; 8. In circumstantiis extraordinariis Episcopum tempestive consulat.

359. *Quid de Confessario Extraordinario?* 1. Neque familiarem neque contrarium se ostendat Ordinario. 2. Audiendo lamenta contra Ordinarium, illum, quantum potest, excuset. 3. Nisi agatur de re clara et gravi, eius directionem non immutet, nec eius decisiones et consilia censuret. 4. Si vocatus fuerit extra tempus solum pro aliqua Moniali, curare debet ut illa in posterum singularitatem istam (nisi ratio vere gravissima subsistat) evitet. *Praxis* 1137.

§ V.

Quoad Sacerdotes.

360. *Quid advertendum circa confessiones Sacerdotum?*

I. Non solet expedire ut examinentur, aut longis exhortationibus detineantur.

II. Sacerdotes, speciatim si sint senes atque in dignitate constituti, maxime vero si apud Presbyterum iuniorem confessionem facere cogantur, magnae imo maximae verecundiae subiici solent. Itaque si confessiones incipiant a longe, dicendo, v. g., se habuisse pravas cogitationes; Confessarius caveat ne dicat: *Iam non consensisti, nonne est ita?* Si verbis generalibus utantur, quasi de peccatis antiquis et iam alias accusatis verba facerent, Confessarius illos interroget, quot vicibus ab ultima confessione peccaverint opere etc. Si excusationes in medium adducant, Confessarius dissimulet. Excipe, nisi poenitens videatur habere pro levibus quae gravia vel gravissima sunt (facile enim conscientia laxa et dictamina, quae nullo modo probari valent, intervenire possunt).

III. Auditis peccatis gravibus vel gravissimis, non sufficit proferre pauca verba exhortationis atque illico absolvere. De remediis serio agendum est.

361. *Quaenam remedia assignari poterunt?* Si agatur de primo lapsu, procurandum est (non sine exhortatione ferventissima) ut miser Sacerdos, praeter fugam occasionis (si quae sit), ad meditationem quotidianam saltem per mensem, aut etiam ad aliquam graviorem poenitentiam (v. g. ieiunium aut notabilem eleemosynam) peragendam disponatur. Si ageretur de secundo lapsu, tunc casus horribilis esset; non tamen desperandum; sed quam maxime adhortari deberet miserrimus ille, ut exercitia spiritualia in aliquo monasterio perageret, aut saltem aliquibus diebus domi suae orationibus, meditationibus et poenitentiis serio incumberet. Si quoad remedia ista excusationes in medium adduceret, alia minus gravia eius possibilitati animique debilitati proportionata suggerenda erunt.

362. *Sacerdotes lapsi vel habituati suntne absolvendi?* Si essent certe indispositi, utique absolvi non possent; si vero sint certe aut saltem dubie dispositi, quum abstinentia a Missa celebranda practice sperari non possit; et quum insuper timendum sit ne Sacerdotes huiusmodi, si absque absolutione dimittantur, Missam sine confessione praevia, non obstante

conscientia peccati mortalis, celebrare incipiant, et sic semper perseverent; ordinarie crederem expedire ut potius (saltem sub conditione) absolvantur. In substantia applicari poterunt regulae, quas supra (n. 214-247) exposui. *Praxis* 1138.

ARTICULUS X.

DE SIGILLO ET DE USU SCIENTIAE CONFESSIONIS.

363. *Quid est sigillum?* Est obligatio non dandi signum de rebus in confessione auditis, sine licentia poenitentis.

364. *Quid est usus scientiae confessionis?* Est usus notitiarum quae in confessione habitae fuerunt; qui usus (quamvis sigillum nullo modo frangeretur) illicitus est in multis circumstantiis, ut infra (n. 424 et seqq.) declarabitur.

365. *Quaenam sunt principia generalia, quae totam hanc materiam moderantur?* 1. Non licet ea manifestare, de quibus credendum est quod poenitens intuitu confessionis sacramentalis, rationabiliter silentium exigat. 2. Non licet id dicere vel facere, quod si licitum esse sciretur, usus confessionis in Christifidelibus odiosus redderetur, et multi a Confessione facienda alienarentur. *Praxis* 1139.

366. *Licetne uti probabilitate in materia sigilli vel usus scientiae confessionis?* Probabilitate *facti* (v. g., si dubitaretur de licentia obtenta), negative. Probabilitate *iuris* (si nempe cum solida probabilitate sustineri possit, v. g., quod talis vel talis usus scientiae liceat), affirmative. *Praxis* 1142.

§ I.

De sigillo.

PUNCTUM I.

De natura sigilli.

367. *Quot modis frangi potest sigillum?* 1. Directe (indicando aperte peccatum et peccatorem); 2. Indirecte (de his sola indicia dando). Frangi potest etiam 3. loquendo cum poenitente solo.

368. *Quot leges sigilli violationem prohibent?* 1. Lex divina (propter Sacramentum cum hac implicita obligatione a Christo

institutum); 2. Lex ecclesiastica (propter plures canones); 3. Lex naturalis (propter fractionem secreti commissi; et, in rebus occultis, propter detractionem). Si tamen cum solo poenitente sigillum violaretur, tunc contra legem divinam dumtaxat reatus adesset.

369. *Quot peccata speciei diversae adsunt in violatione sigilli?* Tria, nempe sacrilegium, et (intellige si violetur cum aliis) infidelitas atque detractio. *Praxis* 1141.

PUNCTUM II.

De licentia quae a poenitente dari debet ut Confessarius de auditis in confessione loqui possit.

370. *Expeditne facile ut licentia ista petatur?* Negative; ut plurimum enim haec ipsa petitio poenitentibus molesta est.

371. *Quid si petatur extra confessionem?* Tunc adhuc magis molesta esse solet, et prius petenda esset quoque facultas introducendi sermonem de confessione.

372 *Quomodo debet esse haec licentia, ut Confessarius ea uti valeat?* 1. Expressa; 2. Libere et libenter data; 3. Non revocata.

373. *Licetne aliquando uti licentia praesumpta?* Si agatur de revelandis peccatis poenitentis eorumve confessione, negative prorsus; secus vero si agatur de aliis rebus, quae ad declaranda peccata dicta fuerint, ut infra (n. 390) explicabitur.

374. *Quid significat quod licentia debet esse libere et libenter data?* 1. Quod nunquam licet uti licentia obtenta vi, dolo, aut metu gravi. 2. Quod etiam regulariter non licet uti licentia obtenta metu reverentiali aut precibus paullo importunioribus. Dixi *regulariter*, quia hoc secundum liceret in rebus gravissimi momenti, et maxime si poenitens ad licentiam concedendam sub gravi teneretur; quo postremo casu absolutio quoque ei renuenti denegari posset.

375. *Quandonam licentia censebitur revocata?* 1. Si poenitens illam revocaverit expresse, etiam irrationabiliter. 2. Si etiam interpretative dumtaxat, ob circumstantiarum mutationem, tamquam revocata haberi debeat. Excipe nisi poenitens dixisset expresse: Utere notitia ista prorsus tamquam si nunquam de ea confessus fuerim. *Praxis* 1143. *V.*

376. *Quomodo Confessarius licentia obtenta uti potest?* Solum iuxta limitationes, quae expresse vel tacite appositae fue-

rint, aut subintelligantur; v. g., solum cum tali persona, solum ad talem finem, solum durante necessitate, solum cum debitis cautelis etc.

377. *Estne aliud observandum circa licentias istas?* Videndum an circumstantiae sigillo extrinsecae petitionem vel usum licentiae vetent; ut puta, si loquendo detegerentur alii ad suam famam adhuc ius habentes, vel ingererentur suspectus contra personas innocentes, vel si audientes credituri essent fractum fuisse sigillum, quod ut non accidat, bona cautela esse poterit indicare quod licentia obtenta fuit. *Praxis* 1143. *V.*

PUNCTUM III.

De materia sigilli.

378. *Quaenam est materia sigilli?* Supposito quod licentia obtenta non fuerit, et quod vel manifestatio personae vel periculum manifestandi personam interveniat, materia sigilli sunt 1. peccata, quorum notitia externa non habeatur, et sacramentaliter accusata; 2. confessio peccatorum, quamvis de illis notitia externa haberetur; 3. defectus confessionis, nempe peccata reticita, indispositio, sacrilegium etc.; 4. ea omnia quae cum peccatorum confessione connexionem habeant; attamen si concurrant circumstantiae de quibus infra (n 390). 5. Item (saltem ordinarie, ut n. 391 explicabo) quidquid in confessione acciderit, si illud manifestando aliquid ex praedictis detegi possit. — Solus accessus ad confessionem non est materia sigilli. Sed cf. *Praxim* 1153. 9.

379. *An peccata, quae ex scientia externa nota sint, si forte dignoscantur etiam ex confessione, sub sigillo cadant?* Negative, dummodo ex notitia confessionis nulla circumstantia superaddatur vel maior asseverantia adhibeatur; et dummodo etiam confessionis factae nullum indicium detur. Prudentia exigit quoque, ut (quatenus necessarium et possibile sit) cautelae adhibeantur, ne sive a poenitente sive ab aliis sigillum fractum fuisse videatur. *Praxis* 1143.

380. *An, utendo scientia sive specialiter sive generaliter externa, non obstantibus confessionibus auditis, consuetae interrogationes aliis poenitentibus, aut necessariae correctiones subditis, aut ordinariae applicationes in concionibus fieri possint, salvo sigillo?* Affirmative, ut supra.

381. *Quid si quis consilii petendi causa, aut solo motivo directionis spiritualis, aliquod suum peccatum tibi patefecerit,*

maxime si addiderit: Id tibi dico sub sigillo confessionis? Per hoc verum confessionis sigillum non inducitur.

382. *Quid si postea, concepta voluntate confessionem faciendi apud te, illud ipsum peccatum sacramentaliter accusaverit?* In rigore illa prior notitia sigillo extrinseca adhuc perduraret; atque ad salvandum sigillum sufficeret si dicti peccati confessio occultaretur.

383. *Quid de confessione non sacramentali?* Ad sigillum inducendum sufficit si fuerit sacramentalis inchoative, scilicet in intentione vel spe (quamvis erronea) poenitentis. Casum habes in illis quibus, propter indispositionem vel defectum iurisdictionis, absolutio dari non potuerit. Si tamen confessio fuisset omnino ficta atque ad alium finem directa (excludendo prorsus iam inde ab initio qualemcumque intentionem recipiendi absolutionem validam), tunc sigillum locum non haberet. Sed in praxi oporteret ut de hoc certe constaret, quod difficile erit. *Praxis* 1143. *III.*

384. *Quid si poenitens loqueretur extra confessionem cum proprio Confessario de peccatis prius sacramentaliter accusatis?* In hoc casu sigillum perduraret. *Praxis* 1143. *III.*

385. *Peccata a poenitente accusata possuntne, salvo sigillo, indicari in genere dumtaxat?* Si indicatio sit adeo generica ut non plus sit quam dicere poenitentem fuisse confessum, ut puta, si diceretur: *Venit ad confitenda sua peccata*; vel si de persona pia diceretur: *Venit ad confitendas suas venialitates, aut vix habebat materiam absolutionis;* tunc (secluso periculo comparationis) sigillum non frangeretur. Secus vero si, quamvis non in specie infima, tamen cum aliqua ingrata determinatione (etsi minimi momenti) peccata exprimerentur.

386. *Quid si peccata non explicite sed implicite indicarentur, dicendo, v. g.: Titius est indignus, non est promovendus, de eo non est fidendum etc.?* Frangeretur sigillum.

387. *Quid si Confessarius ex ipsa confessione poenitentis deprehenderet, peccatum eius iam esse publicum, aut talibus vel talibus personis notissimum?* Donec Confessarius peccati ipsius notitiam externam non habeat, arctissima sigilli obligatione semper tenetur.

388. *An peccata non vera sed existimata (quatenus nempe poenitens ex scrupulo vel ignorantia illa tamquam peccata accusaverit) sub sigillo cadant?* Affirmative; oportet enim ut etiam personae simplices et ignorantes cum plena confidentia confiteri possint. Excipe nisi tale quid diceretur, de quo poe-

nitens neque offendi neque sigillum exigere ullo modo possit, ut infra (n. 394. 395) explicabo.

389. *Quid de rebus expositis quidem in confessione, sed ad modum merae digressionis a peccatorum confessione prorsus independentis?* Sub sigillo non caderent.

390. *Quid de rebus, quae quidem non sint peccata poenitentis, attamen ab eo ipso sive ad declaranda sua peccata sive ad respondendum interrogationibus expositae fuerint?* Tacita semper confessione, recurrendum est ad intentionem poenitentis; an scilicet credi debeat quod de rebus illis sigillum exigat vel non exigat. Si sint res occultae et occultandae, tunc urget sigillum. Tales esse censentur, v. g., 1. defectus occulti poenitentis (quod nempe, v. g., sit spurius, irregularis, lue affectus, impotens ad matrimonium etc.); 2. Personae quae complices, vel (privatim) occasio aut obiectum peccatorum fuerint. Si vero sint res publice notae, v. g., si poenitens dixisset, homicidium fuisse ab aliis in platea commissum; aut se esse coniugatum, habere filios, esse iuvenem, vel senem etc.; tunc sigillum non urgebit.

391. *Quid de peccato a poenitente in ipsa confessione commisso?* Si peccatum sit independens a confessione (v. g., si poenitens contra alios poenitentes eum forte prementes imprecationem iaceret, vel Confessarium ipsum ad malum tentaret etc.) tunc de sigillo nihil est. Si vero peccatum cum confessione connexionem haberet; tunc ordinarie sigillum urgeret. Exemplum habes in poenitentibus, qui ipso actu confessionis dicunt, se nolle restituere, reconciliari cum inimico, occasionem dimittere etc.; aut etiam contra Confessarium ipsum, qui illos absolvere non vult, irreverenter se gerunt. Dixi *ordinarie*; non enim sigilli obligatio subsisteret si eo usque res procederent, ut poenitens rationabiliter illud exigere nequiret, ut puta, si sumptis armis mortem Confessario ipsi comminaretur. Attamen de causa minarum nihil dici posset. *Praxis* 1152. 5.

392. *Quid de defectibus poenitentis, non ab eo ad declarandam suam confessionem enunciatis, sed a Confessario ipso occasione confessionis animadversis?* Si cognitio horum defectuum a qualitate peccatorum derivaverit (ut puta, si ex accusatione imprecationum et blasphemiarum Confessarius cognoverit illum habere indolem iracundam), tunc certe sigillum urget. Si autem defectus ex solo modo loquendi paterent, tunc de istis nulla sacramentalis confidentia fieret; atque ad summum sola charitas exigere poterit interdum, ut de iis mentio non fiat. *Praxis* 1146.

393. *Quid de tentationibus?* Si, ut ordinarie accidit, accusentur ut peccata, vel cum dubio de consensu, vel ad melius declaranda peccata, tunc sub sigillo cadunt. Si autem certe constaret quod ex solo motivo directionis exponerentur, tunc solum secretum commissum locum haberet.

394. *Quid de operibus virtuosis vel donis divinis?* Si ex mera petitione consilii manifestata fuerint, sigillum non aderit. Si accusata fuerint ut peccata (dicendo, v. g., facio multas eleemosynas, sed propter vanam gloriam), vel ad declaranda peccata (dicendo, v. g., fui ingratus donis divinis); tunc cadunt sub sigillo. Non tamen violaretur sigillum si ex una parte opera virtuosa sic et simpliciter (peccatum adnexum nullo modo indicando) manifestarentur, et ex alia parte poenitenti non interesset ut illa quoque occultentur. *Praxis* 1144. *in not.*

395. *Quid de scrupulis (intellige semper ex sola confessione cognitis)?* Dicere: *Titius tales vel tales scrupulos habet*, certe contra sigillum est; eos enim poenitens tamquam peccata confessus fuit. Dicere etiam in genere. *Titius est scrupulosus*, ordinarie contra sigillum (saltem aliqualiter) est, quia scrupulositas ex scrupulis accusatis dignoscitur, et tamquam defectus existimari solet. Dixi *ordinarie*; si enim huiusmodi dictio poenitenti honorem dumtaxat conferret (ut puta si de viro saeculari diceretur: *Adeo bonus est ut timeat etiam peccatum ubi non est*); tunc sigillum non offenderetur. Vide *Praxim* 1148.

PUNCTUM IV.

De violatione directa.

396. *Quandonam accideret violatio directa?* Ut haec locum habeat, duo exiguntur. 1. Ut persona nominetur, aut saltem ita clare indicetur, ut ab unoquoque primo intuitu, sine ambage, et quin necessaria sit ulla inquisitio, intelligatur. 2. Ut de confessione personae sic indicatae aliquid odiosum manifestetur directe; dicendo, v. g.; Titius commisit vel confessus est tale peccatum. Titio absolutionem denegavi vel distuli etc.

397. *Daturne casus, in quo licitum sit violare sigillum?* Negative prorsus. Quamvis itaque Confessarius mortem subire cogeretur: quamvis revelatio esset necessaria ad integrandam confessionem (confessarii ipsius), vel ad impediendam celebrationem matrimonii invalidi, vel ad conferendum Baptismum foetui in matris utero clausi, vel ad salvandum innocentem a

morte; quamvis sermo locum haberet cum personis quae peccatum iam norunt, vel cum alio Confessario cui poenitens idem peccatum confessus fuit: quamvis ageretur de crimine publico (sed Confessario adhuc ex sola confessione noto): quamvis notitia daretur sub sigillo confessionis: quamvis poenitens esset audientibus prorsus incognitus, imo in loco quam maxime dissito degeret, aut iamdiu mortuus esset; quamvis denique poenitens licentiam loquendi omnino concedere teneretur, aut licentia ipsa certissime praesumi posset; nihilominus semper et omnino silendum esset.

398. *Daturne casus, in quo violatio directa venialis esse possit?* Negative. *Praxis* 1150.

399. *Quid si Confessarius interrogaretur an poenitens tale vel tale peccatum confessus sit?* Respondere deberet: De re ista nihil scio. Vel: suntne faciendae interrogàtiones istae?

400. *Possetne respondere: Nihil dixit?* Haec responsio pro casu, in quo poenitens revera nihil dixerit, periculosa est; si nempe interrogans exinde intelligere possit, confessionem non fuisse integram. Praescindendo ab hoc casu, liceret, subintelligendo: Nihil dixit quod tibi revelare possim.

401. *Quid si Confessarius interrogaretur, an talem vel talem poenitentem absolverit?* Respondere deberet: Muneri meo functus sum. Vel: Suntne faciendae interrogationes istae?

402. *Quaenam regula teneri debet in danda schedula confessionis?* Pro systemate habeatur scribendi: Testor me audivisse confessionem N. N. (de absolutione nihil unquam addendo). Si autem schedulae essent typis impressae, in iisque non solum confessionis sed etiam absolutionis testimonium adesset; nihil, quamvis forte absolutio data non fuisset, deleri, et subscriptio fieri deberet.

PUNCTUM V.

De violatione indirecta.

403. *Quandonam accidit violatio indirecta?* Quando sive quoad personam, sive quoad eius confessionem, sive quoad utramque, revelatio directa deficit: sed nihilominus, cum iniuria poenitentis vel odio Sacramenti, aliquid dicitur vel fit, ex quo alii in notitiam vel suspicionem tum personae, tum (plus vel minus) eiusdem confessionis devenire possent.

404. *Potestne accidere quod indicia de persona eiusque*

confessione dari possint, quin contra sigillum culpa interveniat? Affirmative in tribus casibus. 1. Si fundamentum sermonis a confessione sit prorsus independens; 2. Si poenitens non habeat ius ut tale vel tale indicium non detur; 3. Si talis vel talis loquendi vel agendi modus non solum poenitenti displicere nequeat, sed etiam nullam sinistram impressionem facere possit.

405. *Quomodo fundamentum sermonis a confessione esset prorsus independens?* Casus esset si ex una parte poenitens ipse absolutionis non obtentae signum publicum (v. g. , post confessionem in Paschate ad Communionem non accedendo) dedisset; et ex alia Confessarius, qui hoc signum vidisset, non sponte sed interrogatus, aut vi officii sui (prout in Vice-Parochis tempore Paschali contingere potest), mere de eodem signo externe animadverso verba faceret. *Praxis* 1152. 6.

406. *Quomodo potest contingere quod poenitens ius non habeat, ut a Confessario tale vel tale indicium non detur?* Casum habes in Confessario, qui fugit auxiliumve petit, eo quod poenitens, sumptis armis, ei absolutionem dare renuenti mortem minitaretur. Confessarius tamen de hac absolutionis denegatione nihil expresse dicere posset.

407. *Quomodo contingere potest quod aliquis loquendi vel agendi modus, non obstante indicio alicuius rei ad confessionem spectantis, neque poenitenti displiceat, neque ullam sinistram impressionem faciat?* Casus huiusmodi sunt multiplices. Exempla. Titio indisposito absolutio dari non potuit, et Confessarius clerico ad accendenda lumina pro Communione more solito proficiscenti, dicit: Interroga Titium an velit communicare. Casus similis occasione Viatici contingere potest. Postquam publici facinorosi repentina morte correpti Sacerdos confessionem audiverit, familiam desperate flentem solatur dicens: Eia agite, consolamini; cum magna contritione multisque lacrymis confessus est; et de eius aeterna salute non dubito. Vide alios casus in *Praxi* 1153. 10-16.

408. *Da exempla verae violationis indirectae?* Haec accidere potest in ipso confessionali, vocem nimis elevando, aut tabellam casuum reservatorum inspiciendo, aut signum crucis non faciendo (si alii circumstent et haec notare possint). Accidere potest extra confessionale multipliciter; et speciatim casum exponendo cum talibus vel in talibus circumstantiis, ut revelationis vel suspectus de persona periculum adsit; quod accidit interdum in petendo consilio, interdum in confessione facienda, sed ut plurimum ex levitate, dicendo, v. g.: Hoc

mane magnum piscem coepi: audivi magnum peccatorem qui a triginta annis non erat confessus. Venit Sacerdos, qui... Venit Canonicus, qui... Venit nobilis matrona, quae... Prima persona, quam hoc mane audivi, lepidum casum habebat etc..... In tali familia vel in tali conventu adest qui... In tali paroecia vix invenitur puella quae sit virgo, aut uxor quae non sit adultera, aut agricola qui non sit fur... In tali pago adest magna societas latronum vel coniuratorum... (Loquendo cum Parocho): In tua Paroecia adest puella gravida, adest mulier lenocinium exercens, adsunt aliquae meretrices etc... (Loquendo cum Rectore collegii): In tuo collegio vigilandum est tali loco et tali tempore... Interveniret quoque violatio sigilli indirecta si, instituto sermone de paucis poenitentibus, Confessarius laudaret unum de nunquam commisso peccato mortali et taceret de aliis; aut si, dum alii laudant personam de iustitia, castitate etc., eius Confessarius praesens taceret. Interveniret demum in exequenda restitutione, si ex circumstantiis, ille cui res restituenda defertur, in furis cognitionem vel suspectum devenire posset.

409. *Quid si, attentis circumstantiis, periculum revelationis esset remotissimum?* Tunc contra sigillum nulla culpa adesset. Excipe nisi ageretur de casibus gravissimis, ut puta, si aliquod adesset periculum ne maritus de uxoris adulterio suspectum conciperet.

410. *Utrum in violatione indirecta contingere possit, quod Confessarius venialiter dumtaxat peccet?* Affirmative. Idque non solum propter inadvertentiam, sed etiam propter levitatem materiae. *Praxis* 1152.

411. *Quaenam considerari debent ut de gravitate vel levitate materiae probabile iudicium feratur?* 1° Qualitas indicii, et gradus periculi. 2° An periculum sit revelationis, an vero solum suspicionis. 3° An de re gravi vel levi (omnibus perpensis) agatur. 4° An periculum dandi suspectum confessionis auditae respiciat eos qui nihil sciunt, an vero eos dumtaxat cui culpa illa iam nota est. 5° An adsit vel non adsit causa urgens loquendi vel agendi. 6° An evitatio dicti periculi sit facilis, an vero difficilis. *Praxis l. c.*

412. *Quaenam cautelae adhiberi debent in petendis consiliis pro casibus difficilibus, ne sigillum periculo exponatur?* 1° Consilia non petantur nisi in casibus verae necessitatis, in quibus Auctores non sufficiant. 2° Petantur solum a personis quae vere iuvare possint. 3° Petantur secreto. 4° Exponatur casus

tamquam theoreticus, non vero tamquam vere obventus (si fieri possit). 5° Circumstantiae non necessariae reticeantur. 6° Circumstantiae falsae (quae casus substantiam non mutent) immisceantur. 7° Si nihilominus adesset periculum revelationis, licentia consilium petendi obtineatur prius a poenitente.

413. *Quaenam cautelae adhiberi debent in restitutionibus faciendis?* Stante periculo fractionis sigilli, differatur restitutio ad aliud tempus, vel peragatur (non sine discretione) per tertiam personam. *Praxis* 1153. 19. 20.

414. *Quid de Confessario, qui aliquid in confessione auditum indicaret, nominando non personas, sed civitatem, vel oppidum, vel paroeciam, vel coetum, vel Ordinem Religiosum vel monasterium, vel collegium, vel seminarium?* 1° Si, considerando quid dicatur, et coram quibus, et in quibus circumstantiis, cognitio vel suspectus de personis sat facile concipi possit; tunc aderit fractio sigilli. 2° Hoc periculo secluso, adesse potest culpa non solum propter scandalum saecularium sed etiam propter infamiam, quae forte oppido, collegio, monasterio, vel Ordini Religioso (invitis poenitentibus et proinde non sine odio Sacramenti et sacrilegio) inuratur. Ad iudicium ferendum an haec culpa et in quo gradu subsistat, videndum imprimis utrum sermo locum habeat solum consilii petendi causa apud personam prudentem et cum debitis cautelis (quo casu nihil culpae aderit); an vero ex sola loquacitate et levitate. In hoc secundo casu gradus culpae aestimari poterit considerando, quantum ea quae dicuntur (tacita etiam confessione) sinistram faciant impressionem; quod accidit si audientibus mirum videatur quod in tali loco, vel monasterio, vel Ordini religioso etc. talia et taliter fiant. *Praxis* 1154. *IV.*

PUNCTUM VI.

De poenis contra violantes sigillum.

415. *Quaenam sunt poenae istae?* 1° Depositio a sacerdotali officio; 2° Detrusio perpetua in arctum monasterium. — Sunt ferendae sententiae. *Praxis* 1160.

416. *An non solum directa sed etiam indirecta sigilli fractio sub his poenis cadat?* Affirmative. *Praxis* 1152.

417. *An fractio sigilli sit casus S. Officii et subiaceat oneri denuntiationis ex lege positiva?* Negative. Attamen iure naturae obligatio denunciandi Episcopo Sacerdotem sigilli violatorem adesse potest. *Praxis* 1160.

PUNCTUM VII.

De fractione sigilli cum poenitente solo.

418. *An liceat loqui cum poenitente de auditis in confessione extra confessionem quidem, sed dum adhuc est ad pedes Confessarii?* Affirmative.

419. *An fractio sigilli cum poenitente solo fractioni sigilli cum aliis aequiparari debeat?* Negative, quatenus 1° Non subest poenis a iure statutis; 2° Reatus est minor; 3° Aliqui Theologi dicunt quod sufficit licentia certissime praesumpta; imo quod, ad reparandum defectum magni momenti in confessione commissum, Confessarius loqui posset cum poenitente, quamvis ille loquendi licentiam concedere noluisset.

420. *An, saltem de regula ordinaria, exigatur licentia expressa poenitentis?* Affirmative. Sufficit tamen licentia implicita, si nempe poenitens sponte sua de dictis in confessione sermonem introduceret.

421. *An sine ulla poenitentis licentia liceat eum admonere de absolutione non data propter oblivionem vel defectum iurisdictionis?* Affirmative.

422. *Qualis est modus aptior hanc licentiam petendi?* Si res moram patiatur, Confessarius dicere poterit: Vellem ut iterum venires ad me pro confessione vel in confessionali; habeo enim aliquid tibi dicendum.

423. *An fractio sigilli cum poenitente solo accidere possit etiam modis indirectis?* Affirmative. Exigitur tamen ut dictum vel factum Confessarii poenitenti sit ingratum et molestae peccati exprobrationi aequivaleat. Si enim ex auditis in confessione poenitentem eleemosynis subveniret, vel cum illo mitius procederet, vel audiendo illum esse infirmum data opportunitate citius ad illum se conferret, mortique appropinquantem frequentius ad confessionem invitaret etc.; in his nullus contra sigillum defectus adesset. Supposito autem quod dictum vel factum confessarii poenitenti sit plus vel minus ingratum, considerandum erit quoque qua de causa Confessarius ad sic loquendum vel agendum impellatur; ut infertur ex dictis n. 419, meliusque patebit ex infra dicendis n. 430. Si denique verus defectus adesset, culpa in violatione indirecta quae accidat cum solo poenitente, facilius erit venialis, quam si cum aliis (maxime nihil scientibus) accideret.

§ II.

De usu scientiae confessionis.

424. *An quilibet usus scientiae confessionis illicitus sit?* Negative; sed dumtaxat si cum fractione sigilli, aut gravamine poenitentis coniungatur. *Praxis* 1157. *A.*

425. *An liceat uti scientia confessionis cum gravamine quidem poenitentis, sed pro bono communitatis, nempe ad exteriorem gubernationem: v. g., excludendo indignos a promotionibus, eos deponendo ab officio etc., dummodo poenitentes non percipiant quod propter eorum confessionem ita fiat?* Negative. (*l. c. B*).

426. *An id liceat pro maiori bono poenitentium ipsorum: v. g., circa ipsos magis invigilando, iisve insidias tendendo ut in flagranti deprehendantur, et sic efficaciter corrigantur?* Negative. (*l. c.*).

427. *Quid si Superior aliquid sciret etiam ex scientia externa?* Poterit procedere solum sicut antea statuerat, vel sicut statuisset si ex confessione nihil scivisset. In dubio ab agendo abstinebit (*l. c.*).

428. *Daturne parvitas materiae in usu scientiae confessionis cum tantillo gravamine poenitentis, seu potius faciendo aliquid, quod, si a poenitente animadverteretur, nonnihil displicentiae ei afferret?* Parvitas materiae admittenda videtur; ut puta, si Confessarius de peccato audito aliquantulum recogitaret sine necessitate. Dant etiam exemplum Superioris, qui corrigeret subditum propter scientiam externam, sed ex auditis in confessione correctionem ipsam aliquantisper augeret (*l. c. C*).

429. *Possuntne dari casus in quibus usus scientiae confessionis, non obstante aliqua displicentia poenitentis, licitus sit?* Si casus (attenta eorum frequentia in praxi, vel impressione quam faciunt) sint talis naturae, ut, si usus scientiae licitus diceretur, alienatio a Sacramentis vel scandalum sequeretur, tunc negandum omnino; secus si secus.

430. *Da exempla casuum in quibus talis usus licitus videtur.* 1° Nuperus Parochus, quum ex confessionibus perceperit multos adesse concubinarios, vocat Missionem iis ingratam. 2° Superior valde negligens ex auditis in confessionibus propriam socordiam excutit et muneri suo satisfacere incipit. 3° Confessarius peccabat cum Titia, quae in bona fide videbatur; sed, quum

ex eius confessione perceperit eam esse in mala fide, non vult amplius cum illa peccare. 4° Confessarius propter confessionem cuiusdam foeminae in proximo peccandi periculo versatur; et hac de causa (nihil dicendo) illam declinat. 5° Parochus famula indigens in corde suo conceperat intentionem accipiendi Titiam; sed, quum ex eius confessione intellexerit eam esse ex delicto occulto gravidam, dictam intentionem dimittit. Vide alios casus in *Praxi* 1157.

431. *Da exempla casuum, in quibus, si usus scientiae confessionis licitus diceretur, alienatio a Sacramentis oriretur, et proinde talis usus non licet?* Si Confessarius ex auditis in confessione minus amice quam prius se gereret, consuetas eleemosynas amplius non daret, famulum expelleret, a pristina confidentia cessaret, Beneficium vel Officium non daret, Eucharistiam denegaret, haereditate privaret etc.

432. *An liceat usus scientiae oonfessionis cum gravamine eorum, qui peccatorum, quae poenitens accusavit, complices vel obiectum fuerunt, v. g., ad inquisitiones circa illos instituendas, ad illos corrigendos vel non subveniendos, vel ad tale vel tale officium non promovendos etc.?* Negative, saltem ordinarie: et quamvis salvo sigillo id fieri posset. Ut hoc licitum evaderet, oporteret, ut Confessarius esset certissimus quod poenitenti de ea re nihil omnino interesset; sed quandonam hoc erit? *Praxis* 1159 *in fin.*

ARTICULUS XI.

DE CORRIGENDIS ERRORIBUS, QUI FORTE IN ADMINISTRANDO SACRAMENTO POENITENTIAE COMMISSI FUERINT.

433. *Errores huiusmodi quotuplices esse possunt?* 1° Circa integritatem confessionis; 2° Circa poenitentiam sacramentalem; 3° Circa monita et remedia quae ex officio medici dari debuissent; 4° Circa valorem Sacramenti; 5° Circa poenitentis obligationes.

434. *Errores huiusmodi suntne semper reparandi?* In duobus casibus affirmative, nempe 1° si poenitens, quamvis confessionem finierit, tamen sit adhuc ad pedes Confessarii; vel si absolutio ex inadvertentia ei data non fuerit, et eidem parum distanti adhuc dari possit; 2° Si poenitens ad confessionem redeat; quo casu ut plurimum error reparari poterit etiam modis indi-

rectis, et quin Confessarius cum suo rubore apertis verbis dicere cogatur se errasse.

Si autem, ut reparetur error, advocandus vel inquirendus esset poenitens, et cum illo de confessione facta sermo esset iniiciendus, tunc casus in quo haec obligatio vere subsistat non nisi rarissimus esse potest. Imprimis difficillimum est quod vere expediat ut admonitio hoc modo fiat; quippe si poenitens sit persona pia, error facile emendabitur in sequentibus confessionibus; et si e contra Sacramentis parum utatur, parum etiam erit sperandum. Praeterea poenitentes difficile reparationes huiusmodi exigunt, quinimo facillime molestia afficerentur; idque maxime si correctio erroris ad illos magis gravandos tenderet. Adde incommodum Confessariorum, atque conscientiae angustias quibus passim subiicerentur. Denique si reparationes huiusmodi in casibus frequentibus locum haberent, non exigua a Sacramentis alienatio certo certius oriretur.

435. *Veniendo ad particularia, debetne Confessarius poenitentem inquirere, si error circa integritatem confessionis, vel poenitentiam sacramentalem commissus fuerit?* Negative. Theologi excipiunt casum, in quo Confessarius non solum interrogationes omittendo, sed etiam positive deobligando errasset. At vero haec etiam exceptio admodum restringenda est, et applicationem practicam vix unquam habebit. *Praxis* 1155. (*v. TT. obligant*).

436. *Quid si error acciderit circa monita et remedia?* Non aderit obligatio reparandi errorem, nisi in sequentibus confessionibus. Excipe nisi forte ageretur de poenitente stabili et pio, atque pro casu omnino urgenti et valde extraordinario.

437. *Quid si error circa valorem Sacramenti commissus fuerit?* Si poenitens esset moribundus, vel utcumque propter periculum moriendi sine nova confessione confessus fuisset; tunc Confessarius, qui formulam absolutionis non protulisset, aut poenitentem nimis dubie dispositum, salutari exhortatione non facta, absolvisset; ad errorem raparandum teneretur. Necessitas poenitentis; praesumptio quod ille ipse reparationem exigat; et facilitas inducendi illum ad novam confessionem, efficiunt ut obligatio huiusmodi vere subsistat. Sed in aliis casibus difficile aderit; idque maxime si Confessarius bona fide erraverit. Nihilominus si absolutio ex solo defectu iurisdictionis invalida fuisset, aut Confessarius ex inadvertentia formulam non protulisset, contingere posset quod poenitens commode et sine eius taedio admoneri valeret; et tunc (nisi longum tempus iam ef-

fluxisset, aut de solis venialibus confessio facta fuisset) admonitio fieri deberet; neque in casu isto licentiam introducendi sermonem de rebus confessionis petere oporteret, ut dixi n. 421.

438. *Inquirendusne esset poenitens si circa illius obligationes error commissus fuisset?* Regula generalis dari nequit; sed considerandae sunt circumstantiae. Si agatur de re exigui momenti (v. g., de unius diei ieiunio), ita ut praesumi debeat quod poenitens de retractatione hoc modo facienda non curet; vel si error aliis viis tempestive emendabitur; vel si, advocando etiam poenitentem, fructus non speretur; vel si mala maiora provocandi (v. g., frangendi sigillum aut quomodolibet reddendi odiosum Sacramentum) periculum adsit; tunc Confessarius ad retractationem non tenebitur. Si vero retractatio absque provocatione mali maioris fieri possit; et, inspecta tum re in se, tum spe fructus, tum urgentia casus, valde momentosa sit (prout contingere posset si de contrahendo matrimonio invalido, vel de magno scandalo ageretur); tunc fieri debebit; idque maxime si a parte Confessarii quoque incommodum grave non adesset, vel si ipse in errore committendo mala fide processisset.

439. *Quid si error in materia iustitiae (v. g., poenitentem quoad restitutionem perperam obligando vel deobligando) locum habuisset? Tenereturne tunc Confessarius ipse ad damni reparationem?* Doctrina communis sic dicit. Si Confessarius negative dumtaxat (quamvis forte studiose et culpabiliter) se habuisset, non monendo scilicet de restitutione facienda; male quidem fecisset, sed ad damnorum reparationem nunquam teneretur. Si vero positive obligasset vel deobligasset; tunc videndum utrum mala an vero bona fide processerit. Si mala fide (nempe cum culpa theologica gravi) processisset; tunc, supposito influxu vero et tempestive atque efficaciter non retractato, ad damnorum reparationem ipse teneretur. Si autem bona fide, vel solum cum culpa levi, erroneam sententiam dedisset; tunc ad restitutionem quidem, praecise propter sententiam datam, non teneretur; sed deberet modo cum levi, modo etiam (iuxta rei gravitatem) cum notabili incommodo, se retractare ex iustitia. Si autem retractationem istam (cum culpa theologica gravi) omitteret, et ex hac omissione damnum sive poenitenti sive eius creditori obveniret, tunc ipse damnum secutum reparare deberet. Haec, inquam, est doctrina communis; sed non desunt Auctores gravissimi, qui a reparatione ista Confessarium (qui se non retractavit) excusant. *Praxis n.* 1156.

ARTICULUS XII.

DE BONITATE CONFESSARII.

440. *An Confessarius, dum confessiones excipit, debeat esse in statu gratiae?* Affirmative et quidem sub gravi. Non tamen exigitur (in rigore) ut ope confessionis se in statum gratiae constituat, sed sufficit contritio.

441. *An Confessarius, in mortali plures confessiones sine interruptione audiendo, tot peccata committat quot poenitentes absolvit?* Affirmat S. Lig. (V. 50); sed alii communius censent, unicum peccatum committere, et confessioni suae satisfacere dicendo: Audivi in statu peccati plures confessiones. *Praxis* 1165.

442. *Sufficitne ut Confessarius sit in statu gratiae dum confessiones audit?* Quammaxime expedit, ut habituali quoque bonitate exornetur; accurate scilicet conscientiam puram servet et bono exemplo eniteat; ita tamen ut scrupulosus minime sit. *Praxis* 1166. 1167.

443. *Quales virtutes Confessario sint magis necessariae?* Prima est *zelus*, qui debet esse verus (nempe fundatus in amore Dei et proximi), cum magna prudentia et cautela coniunctus, magnanimus et in Deo fidens, patiens, operosus et labori non parcens, ad aliquam personarum classem non restrictus, misericors, et perseverans. Veniunt deinde *castitas*, sine qua ministerium istud scopulus damnationis facile evasurum esset: *timor Dei*, qui solus efficere potest ut Confessarius ab erroribus caveat, studio incumbat, tentationibus resistat etc.; *diffidentia sui ipsius*, sine qua cautelas heu nimis necessarias non adhibebit, et sic misere illaqueabitur atque peribit; *humilitas*, sine qua rudes et pauperes dedignabitur; aliis confessariis invidiam habebit; studio et consilio indigere non reputabit; decisiones praecipitabit; Deo non se commendabit etc.; denique *fortitudo*, sine qua nobilitate, gradu, vel dignitate poenitentis, aut aliis de causis timore affectus, redarguenda non redarguet, non permittenda permittet, aut etiam ipsam absolutionem omnino denegandam sacrilege concedet. *Praxis n.* 1168. 1171.

444. *Quaenam media adhibenda sunt a Confessario ut habituali sanctitate et praedictis virtutibus exornetur?* Sunt praecipue oratio, meditatio, confessio frequens, fuga periculorum et otii, recollectio, exercitia spiritualia. *Praxis* 1172.

ARTICULUS XIII.

DE SOLLICITATIONE *.

§ I.

Notiones generalissimae.

445. *Quid est sollicitatio?* Crimen quo Sacerdos iuxta terminos Bullae Benedicti XIV (quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*) poenitentem ad turpia provocat, vel utcumque cum ipso sermones vel tractatus inhonestos habet.

446. *Quid iuris circa sollicitationem?* Personae sollicitatae, vel sollicitationis perpetratae notitiam habentes, tenentur denuntiare Episcopo vel Inquisitori Sacerdotem sollicitantem. Confessarii autem personas sollicitatas de hoc onere admonere debent. *De Sollic. n.* 3.

§ II.

De persona sollicitante.

447. *An oporteat ut sollicitans sit Sacerdos ad valide absolvendum iurisdictione munitus?* Oportet ut sit Sacerdos; non vero ut sit iurisdictione munitus: unde denuntiari deberet sollicitans, quamvis propter complicitatem, reservationem, vel facultatis cessationem etc. iurisdictione careret. (n. 5).

448. *Ab hac lege excipiunturne Episcopi, aut aliae personae in magna dignitate constitutae?* Negative. (n. 6).

449 *Qui mandat ut Confessarius sollicitet includiturne in lege ista?* Negative. (n. 135).

450. *Quid de interprete, qui in confessione sollicitaret?* Sub hac lege non caderet. (l. c.).

451. *Quid de ministro aliorum Sacramentorum, qui in administratione, v. g., Baptismi, Matrimonii, Extremae Unctionis etc., sollicitaret?* Ille etiam sub hac lege non caderet. (l. c.).

* Quae heic exponuntur sunt compendium nuperrimi operis mei, cui titulus *De sollicitatione*, in quo ex professo et diffuse hoc argumentum pertractavi. Et haec est ratio cur ad illud, et non ad *Praxim*, pro declarationibus lectorem remitto.

§ III.

De persona sollicitata.

452. *Oportetne ut persona sollicitata sit foemina?* Negative. (*n.* 7).

§ IV.

De sollicitatione considerata in se, nempe praescindendo a circumstantiis temporis aut loci, in quibus accidere debet.

453. *Qualis debet esse sollicitatio considerata in se?* Debet esse 1° In materia sexti; 2° Graviter malitiosa; 3° Certa. (*n.* 9. 23. 25. 392).

454. *Quot modis potest esse in materia sexti?* Tribus.

Primus est si Confessarius aperte provocet poenitentem ad turpia. Nihil autem refert sive illum tentet ad peccandum secum aut cum aliis; sive inducat illum ad lenocinium exercendum; sive poenitens consentiat aut non consentiat: imo sive intelligat, aut (v. g., propter surditatem vel simplicitatem) non intelligat; Bulla enim dicit: provocare tentaverint. (*n.* 10-16).

Secundus est si Confessarius utcumque sermones inhonestos cum poenitente habeat.

Tertius est si utcumque tractatus inhonestos (qui potius in factis quam in verbis consistunt) cum illo exerceat.

Circa provocationes et sermones notandum, quod non solum in verbis, sed etiam in nutibus et scriptis consistere possunt.

455. *Oportetne ut sollicitatio verae provocationis et tentationis naturam semper habeat?* Negative; sed sufficit si sermo vel tractatus inhonestus verificetur. Hinc denuntiari deberet Confessarius 1° quamvis, potiusquam provocaret, provocaretur ipse et consentiret; 2° si eius sermones essent tales, ut admirationem quidem et horrorem, non vero tentationem in poenitente producerent; unde coniiciendum esset quod non ad illum provocandum, sed solum ad satisfaciendum propriae libidini eos protulisset; 3° si tactus turpes habuisset cum poenitente, qui sensibus destitutus ab ipso existimatus aut reapse fuisset. (*n.* 15 *et* 391).

456. *Quid de sollicitationibus palliatis?* Hae quoque inter sermones inhonestos denuntiationi subiectos recenseri debent.

Casus esset, v. g., si Confessarius diceret: Si non essem Sacerdos, si non essem in hoc loco, si timor Dei me non cohiberet etc., dicerem, facerem etc.; vel si praetextu puri amoris ad oscula aliasque blanditias procederet etc. (*n.* 29).

457. *Quo sensu sermones vel tractatus debent esse inhonesti?* Non oportet ut stricto sensu fuerint, aut statim apparuerint in se inhonesti; sed sufficit si tales fuerint in intentione: sufficit scilicet quod sive ex iis quae postea acciderint, sive ex aliis circumstantiis certisque coniecturis, de inhonesta, aut etiam solum amatoria, Confessarii intentione constet. Casum habes in osculis, in verbis amatoriis, in laudanda poenitente de pulchritudine, vel in munusculis ei praebendis (intellige semper nisi de recto fine constet), et multo magis in tradenda ei epistola provocante ad turpia, vel in exquirendo ex fine pravo ubi habitet etc., (*n.* 24. 31. 33. 66. 128).

458. *Dixisti, sollicitationem debere esse graviter malitiosam. Circa id estne aliquid observandum?* Observanda sunt sequentia. I° Exigitur certe ut praesumi debeat, quod Confessarius vere, formaliter et mortaliter deliquerit; et quidem non actu interno dumtaxat; sed verbo vel opere externo tali, quod gravem Sacramenti abusum involvat: ita ut, si res ab aliquo resciretur, grave obbrobrium Sacramento obveniret. II° Circumstantia Sacramenti efficit, ut vix unquam non evadant mortalia et praedictum gravem abusum non involvant, ea quae extra talem circumstantiam forsan tamquam levitates haberi possent. Hinc quaevis iocosa manuum admotio, etsi momentanea et in partibus honestis, et a fortiori genarum vellicationes etc., sollicitationem certo certius constituerent. III° Si tamen daretur casus, in quo, attenta etiam circumstantia Sacramenti, aliquod Confessarii verbum gravem Sacramenti ipsius abusum non praeseferret: aut si ex fundatis coniecturis praesumi deberet quod in genere luxuriae malitia prorsus nulla adfuisset, ita ut defectus a Confessario commissus non fini pravo, sed solum imprudentiae, irreflexioni, simplicitati, ignorantiae etc. tribui deberet; tunc denunciationis obligatio vi Bullae non adesset. IV° Non existentibus huiusmodi coniecturis, malitia iuxta dicti vel facti naturam praesumi deberet; homo enim videt ea quae parent, et solus Deus intuetur cor. (*n.* 23. 24. 392).

459. *Dixisti, sollicitationem debere esse certam. Circa certitudinem istam quid observandum?* I° Poenitens de dicto vel facto Confessarii debet esse certus: pro certo scilicet testari debet se bene audivisse, se bene reminisci etc. II° Dictum vel

factum ipsum non debet esse ambiguum ; non debet scilicet esse tale ut satis commode etiam in bonam partem accipi valeat. III° Circumstantiae, et speciatim antecedentia et consequentia, maxime vero causa et contextus sermonis, examinari debent. IV° Sufficit tamen certitudo moralis (quae etiam ex vehementibus indiciis constitui potest); et dubium leve in contrarium non obstaret. V° Si Confessarius sciret, poenitentem non esse fide dignum, vel de hoc ex indiciis positivis valde dubitaret; tunc denunciationis obligationem ei indicere non deberet. Si e converso indicia huiusmodi contra illum minime haberet, tunc eius firmae assertioni stare deberet; neque prius an sit fide dignus inquirere teneretur. (*n.* 25-30).

460. *Utrum in interrogationibus, instructionibus, vel in remediorum assignatione, aut paterni affectus ostensione, casus sollicitationis intervenire possit?* Cautissime procedendum est antequam in casibus huiusmodi sollicitatio recognoscatur; quamvis enim Confessarius limites praetergressus fuisset (de quo excessu prima fronte non est iudicandum), difficile pro certo constabit quod ex malitia id fecerit; valde facile enim ex sola imprudentia, irreflexione, et ignorantia res huiusmodi contingere solent. Quod tamen possint dari excessus ita manifesti, ut a gravi et valde scandalosa malitia, atque adeo a crimine denuntiando, excusari nequeant, omnino admittendum est. *n.* 35-38).

§ V.

De circumstantiis temporis et loci, in quibus accidere debet sollicitatio, ut vi Bullae denunciari debeat.

461. *Quibusnam in circumstantiis accidere debet sollicitatio, ut denuncianda sit?* Circumstantiae istae indicantur a clausulis, quae prostant in Bulla Benedicti XIV.; nempe « vel in « actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post « confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel « etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in « alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum « simulatione audiendi ibidem confessionem ».

PUNCTUM I.

De clausula *Actu sacramentalis confessionis.*

462. *Quandonam sollicitatio dicitur accidere actu Sacramen-*

talis confessionis? Quando accidit in intervallo quod decurrit (ut aiunt) inter duas cruces, seu a momento quo poenitens (illico sua peccata accusaturus) se signat, usque ad absolutionem inclusive (*n.* 50).

463. *Quid si confessio non fuisset sacramentalis?* Advertendum quod confessio dicitur sacramentalis toties quoties cadit sub sigillo, et proinde sacramentalis esset quamvis poenitens non fuisset absolutus, aut ex defectu sive iurisdictionis sive dispositionis nullo modo potuisset absolvi, aut etiam si ille advertenter accessisset indispositus. Sacramentalis itaque non esset solum quando de mera fictione agi evidenter constaret. (*n.* 49).

PUNCTUM II.

De clausulis
Ante et immediate post confessionem.

464. *Quomodo intelligi debeat clausula: Ante confessionem?* Imprimis oportet certe ut poenitens sive expresse sive tacite petiverit confessionem, et quidem proxime non vero in posterum faciendam. Quoad minutiorem explicationem Theologi non conveniunt; sed videtur oportere ut poenitens fuerit vel iam ad Confessarii pedes genuflexus, vel saltem hic et nunc genuflexurus; nec obstare si forte, genuflexione et sollicitatione secuta, casu aliquo Confessarius rediturus abierit, seu interruptio inter sollicitationem et confessionem intercesserit. (*n.* 51-59).

465. *Quid si Confessarius pro confessione mulieris infirmae vocatus, illam adiisset, nulloque confessionis verbo facto, ad sollicitationem processisset?* Si solus cum sola remansisset, et illa (prout ordinarie praesumendum est) ad confessionem hic et nunc faciendam parata fuisset, iniquissimus Confessarius in clausulam istam certo certius incidisset. (*n.* 66).

466. *Quid si Confessarius eandem mulierem ad alia negotia tractanda invitasset, et in progressu talis profanae collocutionis illam sollicitasset?* Si praesumendum esset, quod malitiose a confessione illam distraxisset et dictos de aliis negotiis sermones instituisset; tunc pariter in clausulam istam incidisset; huiusmodi enim sermones, quamvis extrinsecus liciti apparuissent, tamen ex latenti intentione malitiosa prodiissent; et (iuxta dicta *n.* 457) sollicitationis initium fuissent. (l. c.).

467. *Quomodo intelligi debet clausula immediate post?* Aliqui dicunt sufficere si intra 24 horas post confessionem sollici-

tatio acciderit. Alii autem communissime censent clausulam istam stricto sensu intelligi debere, ita ut revera inter confessionem et sollicitationem nihil mediet; unde oportet ut poenitens vel adhuc sit genuflexus ad pedes Confessarii, vel saltem ab eius conspectu non adhuc recesserit; ita ut inter confessionem et sollicitationem unio moralis intercedat, et veluti quid unum constituatur. (*n.* 61-67).

468. *Quid si inter confessionem et sollicitationem negotia confessioni extranea intercesserint?* Videndum an malitiose talis tractatio a Confessario proposita fuerit, ut supra dicebam: Si autem nulla malitia praesumi deberet, adhuc distinguendum esset inter sermones ad conscientiam pertinentes, et sermones omnino profanos; isti enim et non illi unionem moralem facile destruerent. (*n.* 67).

PUNCTUM III.

De clausula
Occasione confessionis.

469. *Quid significat clausula ista?* Iuxta plures cum S. Lig., haec clausula verificaretur si Confessarius sollicitaret occasione sive alicuius *notitiae* (v. g., fragilitatis vel paupertatis poenitentis) in confessione habitae; sive *petitionis* confessionis (dum scilicet poenitens petebat confiteri, quamvis non hic et nunc); sive *invitationis* ad confessionem (Confessario scilicet extra locum et statum confessionis interrogante aliquem an velit confiteri); sive denique *promissionis* confessionis (Confessario nempe mulierem, sub promissione audiendi postea eius confessionem, ad peccandum inducente).

Sed iuxta alios (meo sensu verius) clausula ista supponit poenitentem iam venisse pro confessione, et significat dumtaxat nihil obstare si forte confessio secuta non fuerit. Casus itaque istius clausulae verificaretur, quando tam poenitens quam Confessarius sincere parati erant ad confessionem incipiendam, sed Confessarius tentatione victus sollicitavit. Postea autem (sive quia poenitens tali iniquissimo Confessario amplius confiteri noluerit, sive quia ab eo ipso a confessione dissuasus fuerit, sive quia propter consensum sollicitationi praestitum indispositus evaserit) confessio locum non habuit. (*n.* 85).

470. *Quid si Sacerdos rogatus a poenitente de eius confessione hic et nunc audienda, illum audire recusaret, atque sol-*

licitaret? Seclusa quavis sive expressa sive tacita acceptatione audiendi confessionem, imo Confessario statim recusante illam audire, clausula ista (iuxta Auctores secundae sententiae supra allatae) locum habere non potest. Videndum tamen ne forte aliae clausulae infra explicandae locum habeant. (*n.* 86).

471. *Quid si Confessarius occasione audiendi confessionem Titiae, hac non advertente, sollicitaret Caiam?* Tunc etiam clausulae, de qua hic loquimur, locus non esset. (*n.* 69).

PUNCTUM IV.

De clausula Praetextu confessionis.

472. *Quandonam accidit sollicitatio praetextu confessionis?* 1° Quando Confessarius ficte, et cum intentione sollicitandi, poenitentem ad confessionem invitat, eumque advenientem, vel utcumque ad confessionem hic et nunc faciendam paratum, sollicitat. 2° Quando Confessarius, sive a poenitente ipso sive ab eius familiaribus pro confessione vocatus, cum unica aut saltem principali intentione sollicitandi ad eum accedit, et solus cum solo remanens sollicitationem exequitur reapse. 3° Quando Confessarius et poenitens ex condicto adhibent praetextum confessionis ad arcendos alios, et sic de facto soli remanentes, dum alii credunt eos confiteri, turpia exequuntur. 4° Quando praetextus Confessionis ad arcendos alios adhibitus fuit a solo poenitente; sed Sacerdos, postquam hac de re certior evaserit, turpia (ut supra) perpetravit. (*n.* 96-99).

473. *Quid si Sacerdos Regularis, ad obtinendam licentiam exeundi a monasterio, adduxerit praetextum se conferendi ad audiendam confessionem; sed reapse ad peccandum cum aliqua persona perrexerit?* Casus iste non est iuxta sensum Bullae. Idem dic de aliis casibus, in quibus praetextus confessionis intervenit quidem, sed confessionis actus nullo modo (scilicet neque apparenter neque inchoative) locum habet; et proinde talis praetextus in confessionis actu nullatenus exercetur (*n.* 90-95). Idem dic si praetextus (ad alios arcendos) a solo poenitente ita adhibitus fuerit, ut Sacerdos (quando peccavit) de illo nihil sciverit, et de confessione nihil esse crediderit. Idem dic etiam, si (nulla existente necessitate alios arcendi) poenitens praetextu confessionis advocaverit Confessarium, eique advenienti statim significaverit, se non iam confitendi sed turpia faciendi intentionem habere. (*n.* 38).

De clausula
Etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem.

474. *Quid significat clausula ista?* Significat non oportere ut sollicitatio accidat praecise occasione vel praetextu confessionis, sed sufficere si accidat in aliquo ex locis indicatis, dummodo confessionis simulatio interveniat (Nota adesse differentiam inter praetextum et simulationem confessionis; praetextus enim saltem principaliter in verbis, simulatio autem in nudo facto consistit).

475. *Quomodo intelligenda sunt loca, quae in hac clausula indicantur?* 1ª Quid sit *confessionale* (sive pro saecularibus, sive pro monialibus) omnibus notum est. 2° Loca *destinata* sunt quae non dicuntur confessionalia, sed ex stabili destinatione ad audiendas confessiones sunt deputata. Pro loco destinato videtur etiam quod intelligi debeat locus apud lectum infirmorum in hospitalibus (*n.* 102). 3° Loca *electa* iuxta Theologos sunt loca quaelibet, in quibus confessio simuletur. Sed videtur quod interpretatio ista (etsi communissima) vera esse non possit. Meo sensu, locus electus est ille, qui pro aliqua circumstantia (v. g., Missionis) ad confessiones audiendas electus fuerit. (*n.* 105-107).

476. *Simulatio confessionis exigiturne etiam si Confessarius sollicitet in confessionali?* Affirmative; unde, si Confessarius in confessionali sollicitaret foeminam stantem in scamno Ecclesiae, casus huiusmodi in lege non comprehenderetur. (*n.* 109).

477. *Quid est simulatio confessionis?* Est figura sine re, est nempe repraesentatio confessionis sine confessione.

478. *Quales sunt casus practici, in quibus haec simulatio contingere potest?* Sunt (intellige semper stante Confessario in aliquo ex dictis locis) 1° Si poenitens venerit absque ulla intentione confessionis; 2° Si confessionem nondum incoeperit, sed voluerit prius de aliis negotiis agere; 3° Si Confessionem finierit, et post ipsam de aliis negotiis tractaverit. Si tunc figura confessionis subsisteret et sollicitatio accideret, clausula ista locum haberet. (*n.* 113).

479. *Ad constituendam simulationem confessionis oportetne ut aliquis sit praesens?* Negative. (*n.* 116).

480. *Oportetne ut tam Confessarius quam poenitens eo modo sint compositi, quo esse solent dum confessio fit?* Si ambo sint in loco patenti, ita ut ambo conspici possint, affirmative. Si vero solus poenitens conspiceretur, sufficeret si ipse solus dicto modo compositus fuisset. Si denique essent ambo in loco clauso (v. g., in cellula ad audiendas confessiones destinata), sufficeret, si utcumque circumstantiae suaderent, quod tunc confessio audiatur. (*n.* 118 - 122).

481. *Exigiturne intentio simulandi?* Negative; sed sufficit si praesumendum sit quod Confessarius, dum sollicitat, cognoscat quod in loco confessionis versatur. (*n.* 123).

482. *Quid si simulatio adesset quidem, sed imperfecta?* Levis imperfectio nihil obstaret. Si vero signa gravia efficerent, ut praesumptio de confessione amplius adesse nequiret; tunc simulatio nimis ambigua redderetur, et proinde (quum simus in odiosis) denuntiationis obligatio non adesset. (*n.* 124, 126).

§ VI.

De sollicitationibus actu vel loco confessionis inchoatis, sed poenitente non advertente, et solum postea cognitis.

483. *Quid si Confessarius actu vel loco confessionis dixerit vel fecerit aliquid, quod tunc indifferens videretur, sed poenitens ex iis quae postea acciderint, malitiam deprehenderit?* Si malitia esset certa, gravemque Sacramenti abusum involveret; tunc denunciatio sine dubio fieri deberet. Casus esset in Confessario, qui daret poenitenti epistolam amatoriam postea legendam; aut illum duceret in cubiculum, ubi ad turpia eum provocaret; aut ei diceret: — veni vel expecta — (venientem autem vel expectantem statim sollicitaret); aut exquireret notitias, quibus postea ad turpes suos fines obtinendos uteretur (dicendo ei, v. g.: Ubi habitas? Esne sola? Esne pauper? Si quis pecuniam ad peccandum tibi obtulisset, quid fecisses? etc.); aut poenitentem (v. g., ei munera dando, vel dicendo quod turpia facere nihil mali est etc.) callide ad consentiendum disponeret etc. (*n.* 128).

484. *Quid si de dicta malitia non certitudo, sed suspectus dumtaxat concipi posset?* Tunc de sacrilego delicto non constaret, et proinde denuntiatio, vi Bullae, fieri non deberet.

485. *Exemplo rem istam declara.* Confessarius actu vel loco confessionis dixit mulieri : — Veni ad me hodie, quia tecum loqui indigeo —. Vadit revera mulier, et Confessarius illam provocat ad turpia statim : aut, si prius de aliis rebus loquitur, hae sunt adeo leves ut tamquam praetextus habendae sint. Tunc malitia Confessarii invitantis erit certa. E contra Confessarius cum muliere ut supra invitata et adveniente sermonem habuit de negotio serio et momentoso. Tunc, quamvis in huiusmodi sermonis progressu inhonesta intervenerint, de malitia in invitatione non constabit, sed ad summum suspectus aliquis haberi poterit. Quod verum erit a fortiori si non Confessarius sed poenitens inhoneste loqui incepisset; aut si ex ipsa confessione orta fuisset necessitas sermonem habendi de eodem negotio extra confessionem ; maxime vero si ipsa poenitens in confessione rogasset Confessarium ut extra confessionale circa tale vel tale negotium illam audiret, vel ut aliquid (v. g., eleemosynam, vel librum devotum, vel chirographum confessionis) illi daret etc. ; unde Confessarius responderit : — Veni et te audiam, vel tibi dabo etc. —.

486. *Potestne contingere quod malitia adfuerit quidem, sed gravem Sacramenti abusum non involverit?* Affirmative. Exemplum esset si poenitens in confessione rogasset Confessarium ut cras infirmum visitaret, et ille respondisset : — Non possum, quia cras volo Bononiam me conferre — ; poenitens autem postea rescivisset quod ad turpem finem Bononiam se contulerit. Equidem casus huiusmodi aliique similes denuntiationi minime subiiciuntur *.

§ VII.

De modo exequendi denuntiationem.

487. *Apud quem denuntiatio fieri debet?* Vel apud Supremam Rom. Inquisitionem, vel apud Inquisitorem localem, vel apud Ordinarium, vel apud Sacerdotem ab iisdem delegatum.

* Quid si Confessarius amicus familiae mulieris poenitentis ei dixisset simpliciter : — Domum tuam venire debeo — ; postea autem ex factis subsecutis poenitens animadvertisset, quod, dum Confessarius sic dixit, intentionem peccandi sive cum ipsa sive cum alia persona de eius familia in corde suo recondebat? Gravis Sacramenti abusus adesset certe (ut supra dicebam et fatentur omnes) si dixisset : — Expecta me —, vel — Qua hora eris sola etc.? — Num vero adsit etiam in casu isto, aut num sit distinguendum, sapientioribus iudicium.

Non oportet ut fiat apud Ordinarium delinquentis ; sed sufficit si fiat apud Ordinarium personae sollicitatae, vel etiam loci ubi fit confessio. (*n*. 137. 138).

488. *Quotuplex est denuntiatio ?* Triplex, scilicet 1° in forma, 2° simplex, 3° anonyma.

489. *Quid est denuntiatio in forma ?* Illa cui nihil deest ut in iudicio deservire possit. Talis autem esse potest modo nullâ modo aliquâ interveniente dispensatione.

490. *Quandonam est in forma, nullâ interveniente dispensatione?* Quando fit personaliter apud Iudicem vel eius delegatum (ut supra) cum interventu Notarii. (*n*. 137).

491. *Quandonam est quidem in forma, sed aliquâ interveniente dispensatione?* 1° Quando Ordinarius concedit ut fiat apud Sacerdotem delegatum sine interventu Notarii, attamen extra confessionale, et poenitente actum subscribente; 2° Quando idem concedit ut fiat apud confessarium delegatum in confessionali et sine dicta subscriptione ; 3° Quando idem concedit ut denuntiatio fiat a solo poenitente per litteras ab ipso subscriptas et iuramento munitas ; 4° Quando S. Sedes (organo S. Poenitentiariae, vel Supremae Un. Inquis.) concedit ut persona sollicitata proprium nomen declinet; ita tamen ut delictum et delinquentem ope Confessarii denuntiet. (*n* 142. 147. 300).

492. *Quid est denuntiatio simplex?* Quae in forma non est ; attamen, aliqua interveniente comprobatione vel sanatione, in formam redigi valet. Contingit quando persona sollicitata (nulla prius ab Ordinario dispensatione obtenta) ope epistolae a se subscriptae, vel Confessarii non delegati, denuntiationem exequitur. (*n*. 152).

493. *Quid est denuntiatio anonyma?* Quae fit per epistolam anonymam, vel utcumque talem, ut Superior (eo quod, v. g., in epistola non indicetur locus et paroecia scribentis) a quanam persona scripta fuerit recognoscere nequeat.

494. *Valetne denuntiatio anonyma?* Minime. (*n*. 153. 165).

495. *Quid de denuntiatione simplici?* Hanc adhibere non licet, si denuntiatio in forma fieri possit. Si autem nunquam vel ad summum post tempus nimis diuturnum sic peragi valeret, tunc denuntiatio simplex licita evaderet; imo sub obligatione cadere posset. Casus esset 1° si poenitens sive propter mortem vicinam, sive propter alias causas, neque nunc neque in posterum denuntiationem in forma facere posset; 2° si posset quidem in posterum ; sed magna adesset necessitas ea de re absque mora Superiorem commonefaciendi. Facta tamen utcumque denuncia-

tione simplici, remaneret semper obligatio illam in forma reddendi, si Superior denuntiantem inquireret atque id exigeret. (*n.* 161-172).

496. *Si Sacerdos delegetur ad recipiendam denunciationem absque interventu Notarii, sed extra confessionale, quomodo se gerere debebit?* Parato libro Evangeliorum, folio, calamo et atramento, habebit ad se, remotis arbitris, personam sollicitatam. Litteras testimoniales de Ordinarii delegatione et facultate recipiendi eius denuntiationem absque interventu Notarii ei ostendet. Deinde sequenti modo scribere et se gerere debebit.

Die..... mensis...... anni..... Sponte comparuit coram me infrascripto sistente in (notabit locum ubi reperitur ad actum recipiendum) *ad hunc actum tantum ab Ill. et Re.vmo* (scribet nomen Ordinarii qui illum delegavit) *specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris mihi directis et datis sub die* (exprimet quo die ipsae scriptae fuerint litterae) *praesenti positioni allegandis, N. N.* (scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, conditionem et habitationem personae denunciantis; et, si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde ab ipsa iuramentum dicendae veritatis tactis Evangeliis exiget, et prosequetur) *cui, delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit, tactis SS. Dei Evangeliis, exposuit prout infra videlicet.........* (Hic persona denuncians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem R.mo Antistiti se sistere nequit. Deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices, et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis, aut prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem, et ipsum Confessarium sollicitantem, et, quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus non esse interrogandam personam denunciantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce excriptis prout narrantur, scilicet non latino sed vernaculo aut nationali sermone, delegatus quae sequuntur, neque aliud praeterea quidquam, requiret).

Interrogata: an sciat vel dici audierit, dictum N. N. (nominando personam) *Confessarium sollicitasse alios poenitentes ad turpia? Respondit......* (notabit responsionem: et, si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiae).

Interrogata de fama supradicti Confessarii N. N., tam apud se, quam apud alios? Respondit...... (Responsionem excribet).

Interrogata: an odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc.? Respondit (Responsionem excribet).

(Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda).

Interrogata: cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario et conscientiam exonerare? Respondit (Notabit responsionem)

(Actus claudatur hac ratione:)

Quibus habitis et acceptatis etc., dimissus (*vel dimissa*) *fuit iuratus* (*vel iurata*) *de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum* (super Evangelia iurabit), *et in confirmationem praemissorum se subscripsit,* et (si scribere nesciat) *et, cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis* (subscriptionem vel Crucis signum hic ab eo exiget).

(Postquam denuncians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:)

Acta sunt haec per me N. N. ab Ill.mo et R.mo Antistite N. N. ut supra specialiter delegatum.

(Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegatus transmittet, una cum Instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo).

497. *Si Sacerdos delegetur ad recipiendam denunciationem in confessionali, quomodo se gerere debebit?* Denuntiatio in confessionali nihil differt a praecedenti, nisi quatenus denuntians iurat quin Evangelia tangat, et forsan propriam subscriptionem actui, qui a Confessario exaratur, non apponit. Quia tamen, maxime pro casu, in quo mulier non ab uno sed a pluribus Confessariis sollicitata fuerit, aliqua specialiter notanda sunt, methodum, quae a Confessario, dum in confessionali denuntiationem excipit, servari debet, heic breviter expono.

I. Petet a denuntiante eius nomen, cognomen, paternitatem, aetatem, statum, patriam, et paroeciam.

II. Efficiat ut bene intelligat se a legitimo Superiore recipisse facultatem eius denunciationem excipiendi.

III. Illam moneat de enormissimo delicto Summo Pontifici reservato, quo se ream redderet, si sacerdotem innocentem calumniaret.

IV. Exigat ut iuret dicere veritatem.

V. Deinde petat utrum ab unico Confessario, an vero a pluribus, tentata aut scandalo affecta fuerit. Si dicat ab unico.

VI. Petat quisnam ille fuerit; et, si nesciat nomine, cognomine vel officio illum indicare, praebeat alia indicia, dicendo, v. g., cuius loci fuerit, cuius aetatis, staturae, coloris etc.

VII. Petat ubinam sollicitata fuerit, nempe qua in Ecclesia, et in quo confessionali: an vero domi, occasione infirmitatis etc.

VIII. Petat an semel, an vero pluries id acciderit; et quatenus semel,

IX. Petat quo tempore, nempe (si reminiscatur) quo anno, quo mense, quo die, et qua circiter hora.

X. Iubeat ut accurate exponat quid Confessarius ille dixerit vel fecerit.

XI. Petat an actu confessionis, an vero ante vel post id acciderit.

XII. Si ad petitionem n. VIII factam respondisset, se pluries ab eodem Confessario sollicitatam fuisse, de rebus principalibus, quae in diversis sollicitationibus intervenerunt, interrogari deberet.

XIII. Dein interrogetur an sciat, eundem Confessarium alias personas sollicitasse; et quomodo seu a quibus id didicerit?

XIV. Interrogetur etiam an idem Confessarius bona existimatione gaudeat; an vero secus?

XV. Interrogetur insuper an ipsa eiusve familia aliquam offensam, vel displicentiae (invidiae, zelotypiae etc.) occasionem ab eodem Confessario receperit; et an suasu alicuius, seu ad complacendum alicui, illum denuntiet?

XVI. Si a sollicitatione facta mensis praeterlapsus fuerit, interrogetur cur prius denuntiationem non fecerit?

XVII. Si ad petitionem n. V factam respondisset, se a pluribus Confessariis sollicitatam fuisse: tunc circa singulos idem examen fieri deberet.

XVIII. Examine persoluto, iubeat ut de secreto perfecte servando iuramentum emittat.

498. *Quomodo possibile erit, ut examen adeo prolixum in*

confessionario perficiatur et in memoria retineatur? Iuvare poterunt sequentia:

I. Moneatur denuntians, ut ad confessionale se conferat die et hora opportuna, qua non perfunctorie sed commode, et (si fieri possit) dum in Ecclesia nec populus nec alii poenitentes adsint, denuntiatio fieri valeat.

II. Si reapse in Ecclesia nemo adfuturus sit, aut si confessionale sit clausum, Confessarius folium aut libellum secum ferat, in quo supradicta examinis puncta excripserit: ita ut ad singula postulata pro notandis responsis spatium supersit. In hunc finem amatitam habeat, qua responsa adnotet.

III. Si sciret quod denuntians a pluribus sollicitata fuisset: tunc in praedicto folio aut libello unica quidem vice signabit petitiones generales, nempe I II III IV (in principio) et XVIII (in fine); sed alias (quae particulares sunt) iuxta numerum sollicitantium repetet.

IV. Si in confessionali nihil scribere possit, saltem dictas petitiones in chartula secum ferat; et responsa memoriae mandet.

499. *Quomodo se gerere debet Confessarius postquam in confessionali denunciationem exceperit?* 1° Si in confessionali responsa nullo modo aut solum imperfecte scripserit; domum reversus illico (ne e memoria excidant) illa adnotet. 2° In folio ad Episcopum deferendo, iuxta normam n. 495 traditam (mutatis mutandis, si opus sit) omnia exarabit. 3° Si forte denuntians trepidationem et titubantiam vel quamdam iram contra denuntiatum, vel suspectam facilitatem et complacentiam illum denuntiandi ostenderit; et, uno verbo, si delegatus de denunciationis veritate aliquam dubitandi rationem habeat, id quoque adnotabit. 4° In fine se subscribet. 5° Denique, si forte prius (ut supra) adnotationes scripserit; illas comburet; et folium formaliter exaratum una cum Instructione et litteris pro delegatione acceptis quamprimum ad Ordinarium deferet: et nihil omnino apud se retinebit. Donec autem scripta ad Ordinarium non detulerit, diligentissime et sub clavi illa custodiat.

§ VIII.

Quo tempore et sub qua poena denuntiatio peragi debeat.

500. *Quandonam fieri debet denunciatio?* Quamprimum, data possibilitate. Sub gravi autem infra mensem, vel etiam prius, si praevideatur impedimentum (*n.* 173-175).

501. *Sub qua poena?* Sub poena excommunicationis, si mensis culpabiliter praeterlabatur, et res sit de poenitente personaliter sollicitato. Haec excommunicatio est latae sententiae, sed nemini reservata; unde a quolibet Confessario absolvi potest, dummodo tamen poenitens prius obligationi suae satisfecerit, aut saltem (si hic et nunc denuntiare nequeat) se quamprimum poterit denuntiaturum esse promittat (*n.* 177. 186).

502. *Quandonam praedictus mensis decurrere incipit?* Post sollicitationem a die obligationis cognitae; et, si forte poenitens impedimento non interpolato detineretur, a die cessantis impedimenti (*n.* 178. 182).

§ IX.

De iis qui sollicitationis perpetratae notitiam quidem habent, sed ipsi personaliter sollicitati non fuerunt.

503. *Quid de persona, quae ipsa quidem sollicitata non fuisset, sed sollicitationis perpetratae notitiam haberet?* Deberet nihilominus sub gravi (sed non sub censura) denuntiationem intra mensem peragere, dummodo talis denuntiatio fundamentum momentosum Iudici praebere possit (*n.* 189 et seqq.).

504. *Quid si solum a personis non fide dignis, res audita fuisset?* Tunc denuntiationis obligatio non adesset (*n.* 192).

505. *Quid si a voce publica?* Tunc etiam non tenerentur denuntiare personae privatae; secus vero Vicarii Foranei aut Parochi, si rem fundamentum habere, simulque Episcopum nihil scire reputarent (*n.* 199. 202).

506. *Quinam itaque erunt casus practici, in quibus ex mera notitia sollicitationis denunciatio fieri debet?* 1° Si quis casu propriis oculis vidisset aut propriis auribus audisset sollicitationem; 2° Si quis ab ipso Confessario sollicitante, vel ab ipsa persona sollicitata serio loquente (quae fide indigna positive non appareret) sollicitationis notitiam habuisset (excipe nisi obstaret secretum); 3° Si quis ab alia quidem persona rem audivisset, sed ita ut testes intermedios usque ad personam sollicitatam, quae primitus rem manifestavit, Iudici indicare posset; dummodo, attentis sive his ipsis testibus intermediis sive aliis circumstantiis, denuntiatio pondus habere valeat; multo magis si persona sollicitata mortua esset, vel utcumque denuntiatura minime foret (*n.* 194 - 198).

§ X.

De causis a denunciatione excusantibus.

507. *An omitti possit denunciatio si inutilis videatur?* Quum poenae contra sollicitantes non solum ut delinquentis scandalum cesset, sed etiam ut caeteri timorem habeant, infligantur, difficillimum erit quod denuntiatio tamquam vere inutilis haberi possit. Talis tamen esset, si in quibusdam rarissimis circumstantiis apertissime constaret quod Superiores de denuntiatione nihil curare possent, quatenus neque tunc neque in posterum ad quidquam deservire valeret (*n.* 228).

508. *Quid si delinquens iam mortuus esset?* Tunc denuntiatio omitti posset. Idem dic si infirmus et iam iam moriturus esset, aut si senectute simulque morbis chronicis ita confectus esset, ut confessiones nunquam in posterum auditurus foret (*n.* 229).

509. *Quid si iam esset emendatus?* Ratio ista in praxi nihil valere potest. Excipe nisi ageretur de emendatione adeo certa, stabili et conspicua, ut de reincidentia nullus timor iam superesse posset, et Superiores de eo puniendo iam cogitare nequirent; ut puta, si nunquam amplius foeminarum confessiones audire voluerit, et relicto saeculo, iam a multis annis in strictioris observantiae monasterio poenitentiam ageret (*n.* 230-235)

510. *Quid si iam punitus fuisset?* Si punitio extraordinaria et severissima extitisset (si nempe non solum suspensione a confessionibus, sed etiam aliis gravissimis poenis, v. g., privatione paroeciae, exilio, carcere etc. mulctatus fuisset), denuntiatio sollicitationis eidem punitioni antecedentis omitti posset. Si vero punitio non adeo gravis extitisset, et multo magis si post punitionem aut gratiam ei factam reincidisset; tunc certe (non obstante punitione) denuntiari deberet (*n.* 236).

511. *Quid si spontaneam fecisset, nempe semetipsum denuntiasset?* Haec sola ratio nihil valet (*n.* 236).

512. *Quid si propter eandem praecise sollicitationem ab aliis denuntiatus fuisset?* Videndum an tua denuntiatio tamquam inutilis et superflua certe haberi debeat; an vero utilis esse possit. Inutilis esset solum si aut delinquens iam severissime (ut supra) punitus fuisset, aut ex una parte tu esses testis de mero auditu alieno, et ex alia *certe* constaret quod delinquens a pluribus aliis testibus similibus, aut validioribus (v. g., ab ipsa persona sollicitata) denuntiatus fuisset. (*n.* 238).

513. *Si mulier, postquam Sacerdotem denuntiaverit, iterum ab eo ipso sollicitaretur, deberetne denuo illum denuntiare?* Videndum an nova denuntiatio intersit; ut puta, si nova sollicitatio praecedentibus enormior esset, aut si a denuntiatione facta longum tempus effluxisset, maxime vero si nova sollicitatio post punitionem accidisset (*n.* 237).

514. *Quid si in denuntiatione facta error accidisset?* Videndum an, considerata erroris ipsius natura et gravitate, intersit ut corrigatur (*n.* 237).

515. *Quid si de facto antiquo ageretur?* Haec ratio nihil valet, et denunciatio nihilominus fieri debet (*n.* 239).

516. *An impuberes a denuntiatione peragenda excusentur?* Negative, et sententia contraria probabilis non videtur (*n.* 251).

517. *An in casibus dubiis denuntiatio omitti possit?* Affirmative in dubio *facti*, si nempe poenitens versetur in dubio an Confessarius dixerit vel fecerit etc., aut si dictum vel factum illius sit ambiguum et satis commode in bonam partem accipi possit. Affirmative quoque in dubio *iuris*, si nempe dubium sit an lex ad illum casum extendatur. Affirmative denique etiam in dubio *de persona*, nisi poenitens talia indicia suppeditare possit, ex quibus Iudex Ecclesiasticus quisnam fuerit delinquens facile distinguere valeat (*n.* 252-254).

518. *Utrum Regulares, antequam contra aliquem ex suis confratribus denunciationem faciant, vel de ea facienda obligationem adesse declarent, a propriis Superioribus licentiam petere teneantur aut possint?* Negative (*n.* 255).

519. *Utrum excuset periculum publicitatis et scandali?* Affirmative. Casus esset in muliere, quae ex una parte absque huiusmodi periculo Episcopum neque personaliter neque per litteras adire posset, et ex alia Confessarium, qui pro ipsa denuntiationem exequatur, invenire nequiret. Si tamen impedimenta ista cessarent, muneri suo satisfacere deberet (*n.* 256).

520. *Utrum incommodum a denuntiatione peragenda excuset?* Imprimis dari possunt casus, in quibus bonum publicum, aut alicuius communitatis, clamet, ut, non obstante gravi (et forte gravissimo) incommodo, denuntiatio sine mora fiat; prout speciatim contingere posset si de actuali Monialium Confessario ageretur (n. 271 et 296). Loquendo autem de casibus passim occurrentibus, incommodum excusat, dummodo sit indeclinabile, grave, non ordinarium, et verum (*n.* 257-273).

521. *Cur dixisti: dummodo sit indeclinabile?* Quia pro nihilo habentur incommoda illa, quae aliqua ratione declinari

valent; quando scilicet res ita componi possunt, ut denuntiatio (saltem in substantia) fiat, et simul incommodum evitetur.

522. *Cur dixisti incommodum debere esse grave et non ordinarium?* Quia non excusant incommoda levia, et quae a quavis denuntiatione vix seiungi possunt, qualia ut plurimum essent, v. g., verecundia in enarrandis turpibus verbis aut factis Confessarii; timor ne Confessarius ipse puniatur; timor ne ille animadvertat a quo denuntiatio facta fuerit etc. Dixi *ut plurimum;* aliqua enim ex huiusmodi incommodis propter speciales circumstantias interdum gravia et extraordinaria evadere atque adeo excusare possent (*n.* 277. 283).

523. *Cur dixisti, incommodum debere esse verum?* Quia incommoda falso apprehensa, atque (ut ita dicam) somniata non excusant (*n.* 275). Circumstantiae tamen interdum suadere possunt ut Confessarius dissimulet, vel dispensationem a S. Sede petat, ut suo loco videbimus.

524. *Excusareturne quis a denuntiatione peragenda, si delinquens esset illius consanguineus, vel affinis, vel amicus, vel benefactor?* Negandum esset certe, si ageretur de consanguineo vel affine in gradu remotiori, aut de amico quidem sed non intimo, aut de benefactore quidem sed non insigni vel ita ut solum propter peccata ei beneficia contulerit. Quamvis autem ageretur de consanguineo vel affine in gradu proximiori (imo quamvis esset in primo gradu et poenitens cum ipso in eadem familia conviveret), et multo magis si ageretur solum de amico (quamvis intimo), aut de benefactore (quamvis insigni et ex causa honesta), negant Theologi valde communiter quod causae istae ad excusandum sufficiant. Alii tamen aliter sentiunt; eorumque doctrina (excepto casu supra n. 519 indicato probari posse videtur; ita saltem ut poenitens (iuxta regulas prudentiae) in bona fide relinqui valeat (*n.* 268-271).

525. *Titia timet ne futurum sit ut Sacerdos denuntiandus in peractae denuntiationis notitiam deveniat, et consequenter ipsa in illius odium et vindictam incurrat? Quid de hoc casu?*

1° Difficile erit quod Sacerdos cognoscat a quanam persona denuntiatus fuerit. Denuntiatio ut plurimum peragi potest ope Confessarii; et proinde secretissime. Delinquens ordinarie solum post plures denuntiationes in iudicium vocabitur. Denuntiantium nomina ei non revelabuntur. Si speciale alicuius damni periculum subsisteret, circumstantia ista in denunciatione exprimi poterit, ut Iudex hoc etiam sub respectu caute procedat.

2° Supponendo etiam quod Sacerdos devenire possit in co-

gnitionem personae, difficile est quod illa malum vere grave iure merito exinde reformidare debeat.

Quod tamen dari possint circumstantiae, in quibus Sacerdos animadvertat vel graviter suspicetur a tali vel tali persona se fuisse denuntiatum, simulque vindictam vere gravem (ut puta, si eadem persona cum propria familia de eius pane viveret) facere possit, negari nequit.

Si itaque timor Titiae sit inanis. ad denuntiationem tenebitur; si vero sit fundatus et de malo vere gravi, tunc ordinarie excusabitur; solum tamen causa durante (*n.* 277).

526. *Quid si verba turpia Confessarii essent adeo connexa cum poenitentis confessione, ut sine confessionis ipsius revelatione exponi nequirent? Quid si poenitens ipse tentasset Confessarium, qui consensisset quidem, sed eius consensus absque manifestatione tentationis a poenitente ipsa perpetratae exponi non posset? Quid uno verbo si poenitens ad denuntiationem exequendam se ipsam prodere, vel quomodocumque infamiae periculo se exponere cogeretur?* In his casibus 1° denuntiatio fieri deberet a tertia persona quae forte rem istam rescivisset, manifestando Confessarium, non vero poenitentem. 2° Poenitens ipsa (si Confessarius operam suam ei praebere non renueret) teneretur petere facultatem exequendi denuntiationem per Confessarium ipsum, quin proprium nomen ullo modo revelaret (*n.* 278).

527. *Quid si ex una parte poenitens neque Episcopum neque Inquisitorem, neque personaliter neque per epistolam (nisi forte cum magno incommodo et periculo) adire posset; et ex alia Confessarius operam suam ei praestare renueret?* Tunc a denuntiatione peragenda excusaretur; sed solum durante impedimento. Teneretur scilicet muneri suo satisfacere, si forte in posterum aut Episcopum (v. g., ad confessionale vel auscultationem se conferentem) adire poterit; aut aliqua propitia occasio (v. g., alterius Sacerdotis, qui certe vel fere certe illam adiuturus esset) ei se offeret (*n* 279-281).

528. *Utrum a denuntiatione peragenda excuset secretum?* Secretum mere naturale, aut mere promissum (quamvis iuratum) non excusat (*n.* 284-288). Secretum commissum autem generatim excusat; idque verum est quamvis illud committens denunciationem facere teneretur et nollet; imo etiam quamvis solum ad consulendum necessitati propriae (non vero quia de occultando delicto Sacerdotis sollicitus esset) secretum postulasset. Dixi *generatim;* excipiendi enim sunt duo casus, nempe

1° si malum et periculum ex Confessarii perversitate impendens talis esset naturae atque enormitatis, ut absque ullo ad secretum respectu sine mora Superiori denuntiari deberet. 2° Si ex una parte secretum acceptans iam ab initio cognovisset quod sine ulla consilii vel auxilii necessitate illud sibi committebatur; et ex alia ipsi committenti nihil vel non multum interesset, ut Confessarii delictum Superiori occultaretur (*n.* 294-298).

529. *Utrum a denuntiatione peragenda dispensatio a S Sede obtineri possit?* Affirmative; quando scilicet, tentatis omnibus mediis, poenitens (quamvis nullo aut non sufficienti detineatur impedimento) aut omnino denuntiare recuset, aut proprium nomen Iudici revelare nolit. Organo S. Poenitentiariae, aut etiam S. C. S. Officii, dispensationes huiusmodi obtineri possunt.

530. *Circa dispensationes istas possuntne aliquid Episcopi?* Loquendo de dispensatione vera atque substantiali, excepto casu urgenti, iure ordinario, negative. Dixi: *loquendo de dispensatione vera;* ipsi enim (et quidem interdum ex causis solum sibi notis) aliquando declarare possunt, quod denuntiandi obligatio (quin ulla opus sit dispensatione) in casu minime adsit. Dixi; *loquendo de dispensatione substantiali;* dummodo enim persona, expresso proprio nomine, denuntiationem in substantia executura sit, concedere possunt ut apud solum Confessarium, aut per litteras, aut cum aliqua dilatione ultra mensem (intellige semper si subsistat causa ad dispensandum sufficiens) denuntiatio peragatur. Dixi: *excepto casu urgenti;* si enim persona, quae denuntiare deberet, in periculo mortis versaretur, vel si utcumque tempus recurrendi ad S. Sedem non suppeteret, et, nisi dispensatio statim concederetur, gravia mala reformidanda forent: tunc Episcopi etiam quoad substantiam dispensare possunt. Dixi denique: *iure proprio;* alicubi enim, sive ex speciali delegatione sive ex consuetudine a S. Sede approbata, Episcopi dispensant (*n.* 304-307).

531. *An qui sollicitationis perpetratae notitiam habet excusetur a denuntiatione, si forte persona sollicitata, propter dispensationem obtentam vel aliam causam, denuntiare non teneatur?* Negative. Si tamen dicta persona excusaretur propter timorem subeundi odium et vindictam denuntiati, et mala ista possent ei obvenire, quamvis a tertia persona denuntiatio fieret; tunc circumstantia ista in denunciatione exprimi deberet (*n.* 308).

§ XI.

De obligatione Confessarii admonendi poenitentem, ut sollicitationis denunciationem exequatur.

532. *Expeditne ut Confessarii inquirant a mulieribus utrum sollicitatae fuerint?* Negative; nisi ex ipsa earum confessione de re ista indicia proxima suboriantur (*n.* 309).

533. *Si Confessarius noverit poenitentem fuisse sollicitatam, ad quid tenetur?* Non solum ex officio Doctoris, sed etiam ex lege positiva tenetur illam admonere de obligatione denuntiandi (*n.* 310).

534. *Lex positiva, quae admonitionem istam iniungit, extenditurne ad ipsum Confessarium sollicitantem?* Negative. Poenitens tamen, eo quod ab illo non admoneatur, ab obligatione illum ipsum denuntiandi immunis non evadit (*n.* 312).

535. *Obligatio admonendi, ut supra, ex lege positiva extenditurne ad simplicem Sacerdotem, qui audiat confessionem in casu necessitatis?* Negative; lex enim loquitur semper de Sacerdotibus ad confessiones audiendas constitutis.

536. *Extenditurne ad casum personae, quae non ad confessionem faciendam, sed ex alio fine ad Confessarium accesserit?* Negative. Si tamen de hac re praecise consilium peteret, veritas ei aperiri deberet (*n.* 315).

537. *Lex positiva iniungitne ut poenitens moneatur etiam de censura?* Negative. (*n.* 316).

538. *Extenditurne etiam ad casum poenitentis, qui notitiam quidem habeat sollicitationis perpetratae, sed ipse personaliter sollicitatus non fuerit?* Negative (*n.* 317).

539. *Asserente poenitente quod aliquis Sacerdos talia dixerit vel fecerit, unde denuntiandus videretur, debetne Confessarius illum statim de denuntiatione peragendà verba facere?* Negative; sed oportet ut prius rem bene examinet; advertendo 1° ne forte persona videatur fide indigna; 2° an constet quod Confessarius vere malitiose processerit; 3° an constet quod iuxta clausulas et terminos Bullae delictum commiserit.

540. *Quomodo advertere poterit quod persona videatur fide indigna?*

I. Si ex confessione vel confessionibus illius advertisset, illam esse surdam; aut magnis hallucinationibus subiectam; aut semifatuam; aut ita levem, ut, ad habendam materiam loquendi, sive sibi sive aliis Confessariis falsa narraverit. Item si interro-

gata an certa sit se bene audivisse et reminisci, haesitaret et dubia in medium afferret. Item si animadverteret, illam contradictorie loqui; aut ex odio, vindicta, zelotypia etc. (eo quod, v. g., a Confessario illo neglecta vel reiecta fuerit) posse de facili talia proferre. Denique si cognovisset, illam esse actu publicam meretricem, infamem, vel cuiuslibet sceleris capacem etc.

II. Si illam esse fide indignam sciret casu ex scientia externa. Dixi *casu;* inquisitiones enim (ut ita dicam) in foro externo circa ipsam facere nec debebit nec poterit (*n.* 322).

541. *Quomodo cognoscere poterit quod Confessarius vere malitiose processerit?* Bene interrogando poenitentem non solum circa verba vel facta quae scandalum ei attulerunt; sed etiam circa antecedentia et consequentia, maxime vero circa causam et contextum sermonis.

542. *Quid si Sacerdos, a quo mulier dicit se fuisse sollicitatam, optima existimatione gauderet?* 1° Tunc poenitens adhuc melius examinandus esset. 2° Haec circumstantia magnum pondus adderet aliis (si forte adessent) indiciis eidem Sacerdoti favorabilibus, et facile efficeret ut indicia, quae in se nimis levia essent, sufficiant ut casus contra illum expositus sperni debeat. 3° Si tamen, non obstante examine, delictum clarum et manifestum esset, tunc optima Sacerdotis existimatio nihil valeret.

543. *Potestne Confessarius petere nomen Sacerdotis sollicitantis?* Poterit quidem petere quanam existimatione gaudeat; sed difficile aderit iustum motivum petendi eius nomen; et sic id difficile licebit. In quovis casu poenitens non poterit cogi ad revelationem istam, quam soli Iudici eiusve delegato facere tenetur.

544. *Potestne Confessarius poenitentem remittere ad alium, ut sic ipse a declarando ei onere denunciationis liberetur?* Si Confessarius parum doctus et casus difficilis esset, tunc affirmandum; secus negandum (*n.* 324).

545. *Quid si poenitens diceret se exposuisse casum aliis Confessariis, vel etiam alicui Sacerdoti valde docto, eosque nullam obligationem ei imposuisse?* Tunc casus melius esset examinandus. Sed si neque de delicto, neque de eius circumstantiis iuxta clausulas Bullae, dubitari posset, obligatio tunc etiam imponi deberet (*n.* 325).

546. *Si Confessarius animadverteret quod poenitens hic et nunc denuntiationem facere nequiret, possetne omittere moni-*

tionem? Negative; sed debebit eum admonere quod cessante impedimento denuntiare tenebitur (*n.* 326).

547. *Quid si Confessarius hic et nunc casum resolvere nequiret?* Prout in aliis casibus difficilibus et momentosis, ita etiam in isto, deberet iniungere poenitenti obligationem redeundi die et hora opportuna, vel casum suo stabili Confessario aut Sacerdoti doctiori exponendi.

548. *Debetne semper Confessarius (cognita obligatione) statim sic et simpliciter illam poenitenti indicere?* Interdum consultius esse potest, ut, ad indagandum ipsius animum, prius ad modum simplicis consilii denunciationem ei proponat.

549. *Quid si versaretur in dubio, utrum aperta admonitio de obligatione bonum effectum habitura esset; vel etiam ex admonitione ipsa magna inconvenientia secutura esse praevideret?* Ratione epickeiae admonitio omitti seu differri poterit 1° si de rei publicitate timendum esset; 2° si magna adesset necessitas poenitentem ea vice omnino absolvendi (imposita tamen ei obligatione iterum agendi de illo casu cum Confessario); 3° Si iure credendum esset quod admonitio alia vice fieri poterit tutius et opportunius. Caeterum, quamvis (expectato etiam, si opus sit, tempore opportuniori) repugnantia magna conspiceretur; *haec sola* non sufficeret, et nihilominus monitio fieri deberet; sperandum enim esset quod tandem aliquando poenitens obtemperabit, et in casu extremo dispensatio obtineri poterit (*n.* 327-330).

550. *Quid si Confessarius mulierem de denunciatione iam admonuisset, sed illa difficultatibus inanibus seu timore panico detenta obtemperare omnino abnueret?* Iam vidimus quod his de causis denunciationis lex non cessat. Nihilominus ex epickeia cessare vel suspendi potest lex de admonitione urgenda a parte Confessarii, dummodo tria concurrant; nempe 1° Quod poenitens propter praefata incommoda (etsi falso apprehensa) se excusari reputaret, et sic (non obstante admonitione facta) in bona fide versari videretur. 2° Quod praeter dictum timorem panicum, aliqua etiam subsistat ex circumstantiis, quas n. praeced. indicavi. 3° Quod Confessarius non positive deobliget, sed solum dissimulet; imo (quatenus fieri possit) prudenter innuat ea de re in sequentibus confessionibus sermonem esse iterum instituendum. Si autem hae circumstantiae non subsisterent, sed de solo praedicto timore panico ageretur, Confessarius (quamvis frustra conatus fuisset errores e mente poenitentis depellere) illum parvipendere et obligationem urgere deberet (*n.* 275-283).

551. *Si mulier hic et nunc quidem denuntiare consentiret, sed valde timendum esset, ne postea mutatura sit voluntatem, possetne Confessarius, qui nullam denunciationis recipiendae delegationem sibi comparaverit, denunciatione simplici hic et nunc exequenda esse contentus, et sic de denunciatione apud Iudicem vel delegatum peragenda eam non admonere?* Affirmative; speciatim si ad eundem Confessarium redire non posset. (*n.* 331).

552. *Quid si Confessarius de denunciationis obligatione poenitentem non admoneret, dum illum admonere deberet?* Mortaliter peccaret (*n.* 332).

553. *Quomodo se gerere debet Confessarius quoad absolutionem sive dandam sive differendam sive denegandam poenitenti, qui denuntiare teneatur, et, de hoc sive a Confessario ipso sive ab aliis admonitus, iam in mala fide versetur?* Si denuntiare recuset, non potest absolvi. Si denuntiare (quamprimum poterit) promittat, et de denuntiationis executione plene fidendum sit, potest absolvi. Si de executione ista non plene sit fidendum, et absolutio commode differri possit (si nempe intra breve tempus denuntiatio fieri valeat, neque urgeat necessitas poenitentem hinc et nunc absolvendi), expedire solet ut absolutio differatur. Si denique valde timendum sit ne poenitens, absolutione recepta, nihil sit executurus (ut puta, si ad promittendum aegre se induxerit, et multo magis si aliis vicibus promiserit et promissis non steterit), tunc regulariter absolutio differri nedum poterit sed debebit. Dixi *regulariter;* si enim non nisi post tempus valde diuturnum denunciatio fieri posset, aut si magna urgeret necessitas nihilominus absolvendi poenitentem (eo quod, v. g., agatur de sponsa eo ipso mane Matrimonium celebratura, vel de Moniali, quae a Communione usque ad denunciationem executam abstinere nequeat, vel de puella, quae a matre comitetur, et sine infamia Communionem omittere non possit etc.), absolutio dari poterit (*n.* 333-336).

554. *Quid si mulier, audiendo quod Confessarius de obligatione Sacerdotem denunciandi illam admonet, verba sua revocet, et dicat se revera non fuisse sollicitatam?* Tunc Confessarius ut plurimum versabitur in dubio, utrum mulier ad denuntiationem, an vero ad calumniam declinandam se retractet. In hoc dubio 1° Absolutio dari poterit sub conditione; 2° De talis mulieris denuntiatione non amplius erit curandum, quamvis in posterum iterum dictura sit reapse se fuisse sollicitatam; nisi forte ex specialibus circumstantiis clare constaret quod

sollicitatio revera perpetrata fuisset; 3° Si de poenitente stabili, et maxime si de Moniali ageretur, dispensationem ad cautelam (reticito nomine poenitentis et Sacerdotis) a S. Poenitentiaria petere expediret; qua obtenta, admoneri deberet poenitens, quod, sive sincera sive falsa eius retractatio fuerit, ex gratia S. Sedis ad nihil amplius tenetur.

§ XII.

De auxilio praestando a Confessario poenitenti in casibus sollicitationis.

555. *Si poenitens nullo impedimento legitimo detenta denuntiationem exequi omnino renueret, expediretne ut Confessarius S. Poenitentiariae casum exponeret et dispensationem postularet?* Affirmative; imo in casu extremo ex charitate ad id teneri posset (*n.* 338. 339).

556. *Si poenitens parata quidem esset ad denuntiandum; sed solum privatim vel in confessionali, expediretne ut Confessarius hac de re Episcopum consuleret, et, si ipse delegaretur, delegationem acceptaret?* Negant hodie TT. communiter; sed doctrina ista sine dubio falsa est (*n.* 338-346).

557. *Habebitne Confessarius veram obligationem huiusmodi onus in se suscipiendi?* Veram etiam obligationem habere posset ex charitate in quibusdam casibus: nempe 1° Si bonum publicum aut alicuius Communitatis valde pericliteretur, et promptum remedium (quod hoc solo modo procurari posset) omnino exigeretur; 2° Si poenitens non nisi apud Confessarium, cui soli rem patefecit, denunciationem facere (v. g., ex magna erubescentia) consentiret, et in hoc firmissima esset.

558. *Quale monitum dandum erit poenitenti sollicitatae?* Nisi forte ex facta experientia et rei antiquitate de nova sollicitatione nullatenus esset timendum, admoneri debebit ut pro confessione ad eum, nisi indeclinabili cogente necessitate, non amplius accedat.

§ XIII.

De accusatione calumniosa.

559. *Si quis de sollicitatione Sacerdotem innocentem accusasset, ad quid teneretur?* Ad retractationem, et damnorum (si quae exinde orta fuissent) reparationem (*n.* 350-356).

560. *Adessetne obligatio retractationis, si Sacerdos sic calumniatus iam mortuus fuisset?* Affirmative, maxime si publica infamia ei exinde obvenisset (*n.* 396).

561. *Calumnia ista mulctaturne censura?* Negative (*n.* 357)

562. *Estne casus reservatus?* Reservatur Romano Pontifici; et quidem specialissimo modo; ita ut in generalibus facultatibus Episcopis aut aliis sive concessis sive concedendis, etiam occasione Iubilaei, nunquam comprehendatur: et ne ipse quidem Cardinalis Poenitentiarius Maior a casu isto absolvere valeat; sed singulis vicibus Rom. Pontifex immediate interpellari debeat (*n.* 358)

563. *Reservatio ista extenditurne ad iubentes, mandantes, consulentes, rogantes, et uno verbo ad procurantes?* Affirmative, dummodo falsa denuntiatio de facto secuta fuerit (*n.* 360. 361).

564. *Ab hac reservatione excusatne ignorantia?* Videtur affirmandum; certe enim habet rationem poenae. (*n.* 362).

565. *Si crimen istud sit occultum, possuntne Episcopi ab illo absolvere ex Cap. Liceat?* Negative (*n.* 363).

566. *Quid in articulo mortis?* Tunc poenitens poterit absolvi; nec videtur quod (deficiente censura) onus sistendi se Romano Pontifici, si convaluerit, ei imponi debeat. Oportet tamen ut retractationem faciat ad Episcopum mittendam. (*n.* 364).

567. *Quid de iis qui extra mortis articulum aliquo detinentur impedimento, propter quod ad S. Sedem se conferre nequeant?* Pro casu isto etiam quoad impeditos, recurrere oportet ad S. Sedem: oportet scilicet ut Confessarius (aut Episcopus) scribat ad Card. Poenitentiarium Maiorem, qui (ut dixi) ad Rom. Pontificem pro absolutionis gratia recursum habebit (*n.* 365 *et seqq.*).

Resolutio ista sequenti S. U. Inquisitionis decreto novissimo confirmatur.

« Quaesitum est ab hac S. Cong.ne Romanae et Universalis
« Inquisitionis:

I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens, ad
« Episcopum, aut ad quemlibet sacerdotem approbatum, de-
« volvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali
« modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in
« impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem?

II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per
« litteras ad E.mum S. Poenitentiariae Praefectum pro omni-

« bus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale « indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam « absolvendi facultatem?

Feria IV, die 23 junii 1886.

« E.mi ac R.mi Patres Cardinales in rebus fidei Generales « Inquisitores, suprascriptis dubiis mature perpensis, respon- « dendum esse censuerunt:

« Ad 1m. Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim ab « edita Constitutione Apostolica s. m. Pii IX, quae incipit « *Apostolicae Sedis*, Negative.

« Ad 2m. Affirmative; at in casibus vere urgentioribus, in « quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scan- « dali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia onera- « tur, dari posse absolutionem, injunctis de jure injungendis, « a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, « sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem « intra mensem per epistolam et per medium confessarii abso- « lutus recurrat ad S. Sedem.

Feria IV, die 30 junii 1886.

SS.mus. resolutionem EE. PP. approbavit et confirmavit.

JOSEPHUS MANCINI, *S. R. et U. Inquis. not.*

CAPUT II.

DE OFFICIO PAROCHI EIUSQUE IURIBUS.

ARTICULUS I.

DE OFFICIO PAROCHI.

568. *Quodnam est officium Parochi?* Officium Parochi est multiplex; debet enim speciatim 1° Residere; 2° Orare et Missam celebrare pro populo; 3° Sermonem habere ad populum; 4° Instruere pueros; 5° Administrare Sacramenta; 6° Curam habere infirmorum; 7° Vigilare et congruas correctiones facere; 8° Satagere ut scandala e medio tollantur; 9° Paces componere; 10°

Quatenus opus sit, adiutores sibi adiungere; 11° Bonum exemplum praebere; 12° Existimationem et benevolentiam sibi conciliare; 13° Obedientiam Episcopo praestare, et in rebus dubiis illum consulere; 14° Libros parochiales in regula servare; 15° Beneficiati muneribus satisfacere; 16° Item satisfacere muneribus Rectoris Ecclesiae.

§ I.

De Residentia.

569. *Quandonam Parochus dicitur residere?* Praemittendum quod residentia distinguitur in formalem et materialem (seu personalem). *Formalis*, consistit in cura; ita ut Paroeciae servitium non desit; *materialis* autem in praesentia personali. Haec autem subdistinguitur in perfectam et imperfectam. *Perfecta* contingit quando Parochus domicilium habet intra fines Paroeciae, et quidem in domo parochiali, si adsit; neque discedit, nisi forte ad horas, ut infra explicabitur. Si autem, existente domo parochiali, aliam inhabitaret intra fines Paroeciae, vel etiam extra, dummodo commode advocari posset; tunc resideret quidem substantialiter, sed *imperfecte*; quod pariter infra melius declarabitur.

570. *Tenenturne Parochi ad residentiam?* Utique, dummodo sint Parochi actuales, nempe curam animarum habentes. Ad illam enim non tenentur Parochi habituales, ad quos fere id unum spectat, ut nominent Vicarios (sive perpetuos sive amovibiles), qui independenter ab ipsis curam exercent. *Berengo* (*n.* 28-30).

571. *Quo iure tenentur Parochi ad residentiam?* Ad curam tenentur de iure divino. Ad personalem autem residentiam praecise tenentur certe iure ecclesiastico (Trid. XXIII. 1); an vero teneantur etiam iure divino, affirmant quidem multi; sed alii non sine probabilitate id negant *Cf. De Angelis* (*II. I. Tit. IV.* 3), *Lambertini* (*Notif. XVII*), *Bouix* (*De Par. V. II.* § 2).

572. *Ad personalem residentiam tenenturne solum Parochi proprie dicti?* Alii quoque tenentur, partim ex Tridentino, partim ex conventione vel aliis legibus.

Ex Trid° (praeter Episcopos et Canonicos) tenentur quotquot alicuius Paroeciae curam habent, dummodo independenter aut cum iure successionis illam exerceant. Tales sunt dicti Vi-

carii perpetui aut amovibiles; item habentes beneficium curatum manuale (nempe Parochi amovibiles); item Oeconomi spirituales, qui de mandato Episcopi regunt Paroeciam loco Parochi ad curam inepti, vel Paroecia vacante; denique Coadiutores cum iure successionis. *Bouix* (*l. c.*).

Ex conventione autem vel aliis legibus tenentur Parochorum actualium Vicarii et Subsidiarii, qui dependenter ab ipsis curam exercent. Item Capellani hospitalium, Confessarii Monialium etc.

573. *Loquendo de Parochis, aut aliis, qui paroeciis praesunt, et ex Trid° ad residentiam tenentur, possuntne aliquando abesse absque culpa?* Affirmative; sed videndum I° qua de causa (an scil. ex causa absolute gravi, necne); 2° quanto tempore (an scil. aliquibus horis dumtaxat, aut integro die, aut pluribus diebus, aut uno vel altero mense, aut diutius, aut perpetuo); 3° quo modo et quibus in circumstantiis (an scil. relicto vicario idoneo, et sine gregis detrimento; an vero secus); 4° qua auctoritate (an scil. obtenta vel non obtenta licentia) absint

574. *Quid si causa non esset absolute gravis?* Causa huiusmodi suppeditare potest motivum legitimum abessendi 1° per bimestre, et non ultra, singulis annis; 2° de licentia Episcopi; 3° sine ullo gregis detrimento; 4° ex causa, quae, etsi non sit absolute gravis, tamen sit aequa et rationabilis. *Trid. XXIII. I.*

575. *Quid notandum circa dictum bimestre?* Quod spatium istud ex absentiis etiam interpolatis efformatur (*Trid. l. c.*); dummodo non sint ita breves ut nihil considerari soleant. Tales sunt absentiae (etiam quotidianae) paucarum horarum, dum Parochi sive deambulationis gratia, sive ad interveniendum funeribus, vel aliquibus festivitatibus propriae congregationis, alibi se conferunt. Tales etiam esse videntur absentiae paullo magis protractae (v. g. circiter medii diei), sed rariores: dum scilicet Parochi identidem (nempe ad summum semel in hebdomada) sive ad civitatem episcopalem, sive ad oppidum vicinum mane se conferunt, ante vel etiam post meridiem domum redituri.

576. *Quid notandum circa licentiam Episcopi?* I° Imprimis videndum an adsint statuta synodalia, vel episcopalia, aut consuetudines locales, quae vim legis habere censeantur. In aliquibus locis enim licentia Episcopi exigitur, si ultra biduum vel triduum absentia protrahatur. In aliis locis etiam pro absentiis unius diei exigitur licentia; sed non Episcopi, bene vero solum Vicarii Foranei. Leges autem adhuc magis rigidae, essent indiscretae, et non sustinerentur (cf. Bouix l. c. § V.

prop. 6). Praescindendo autem a praedictis legibus vel consuetudinibus localibus, plures TT. apud Palao (*XIII. V.* v. 3) pro bimestri conciliari nullam licentiam exigi senserunt; sed haec doctrina falsa est sine dubio; et certissimum est quod de iure communi pro absentia integrae hebdomadae licentia exigitur; nec sufficeret si domi Vicarius idoneus relinqueretur. *S. C. C. apud Bouix* (*l. c.* § *I. n.* 5).

577. II° Facultas autem deveniendi ad praedictas breves absentias sine licentia intelligi debet 1° sub conditione quod non sint frequentes (*Bouix l. c.* § *V. pr. IV*), ita ut summatim bimestre conciliare non excedant; secus enim licentia exigeretur etiam si Parochus quotidie domum rediret, et solis horis diurnis a Paroecia (a mane usque ad vesperas) abesse soleret: 2° sub conditione quod non contingant die festo de praecepto. *Cf. Lambertini* (*Notif. XVII.* 12. 17. 24), *Scavini* (*I.* 615) *et Lhemkuhl* (*II°* 644).

578. III° Ad abessendum ultra biduum vel triduum, ut supra, licentia Episcopi exigitur, etsi causa esset gravissima, atque evidentissime excusaret, et quamvis civitas episcopalis longe distaret. *S. C. C. apud Bouix* (*l. c.* § *I. n.* 5).

579. IV° Si tamen casus urgeret et tempus licentiae petendae non suppeteret, tunc sufficeret licentia praesumpta; ita tamen ut quamprimum Episcopus de discessu eiusque causa certior fieri deberet. *S. C. C. apud Bouix* (*l. c.*).

580. V° Licentia tacita (quod scilicet Episcopus videat et taceat) non sufficit; imo non solum debet esse expressa; sed etiam oportet ut in scriptis concedatur *S. C. C. (l. c.)*. Excipe nisi pro absentiis parvi momenti consuetudo ferat ut oretenus detur. *Berengo* (*n.* 45).

581. VI° Episcopus exigere potest ut causa ei exponatur in particulari; nec tenetur credere, quamvis Parochus dicat et iuret in genere, se habere abessendi necessitatem *S. C. C.* (*l. c.*).

582. VII° Si Episcopus renueret, etiam iniuste, Parochus obedire deberet. Attamen ad Metropolitanum vel ad S. Sedem tunc recurrere posset. *S. C. C.* (*l. c.*). Si e contra licentiam concederet, sed quia Parochus falsis causis eum deceperit: tunc licentia nihil valeret. (*Croix III.* I. 738).

583. VIII° Quando ad abessendum licentia Episcopi exigitur: oportet etiam ut Vicarius ab eodem approbetur. *Trid.* (*l. c.*).

584. IX° Sola S. Sedes concedere potest indulta perpetua, aut pro casibus qui certe valde diuturni et forsan perpetui futuri sint. *Potest*, inquam; sed difficillime de facto indulta huiusmodi

concedit. Episcopi autem concedere possunt dumtaxat licentiam ad tempus; imo in praxi, quando agatur de absentiis ultra bimestre et casus aliquam difficultatem praeseferat, ad S. Sedem scribere solent. (*Cf. Trid.* VI. II. *et Bouix* l. c. V. II. § 3. *pr.* 7).

585. *Quid notandum circa conditionem quod absentia sine ullo gregis detrimento contingere debeat?*

I. Regulariter exigitur ut Parochus discedens Vicarium in domo parochiali relinquat. Patet ex ipsa rei natura et ex Trid° (XXIII. I.).

586. II. Quamvis regulariter Vicarius approbari debeat ab Episcopo, ut supra dicebam; tamen hoc non est necessarium quando agitur de illis absentiis brevissimis, in quibus nequidem pro discessu licentia Episcopi exigitur.

587. III. Vicarius debet esse idoneus (*Trid. l. c.*). Ad iudicandum de idoneitate, considerandae sunt circumstantiae. Aliud enim est si de parva paroecia agatur et aliud si de magna, speciatim si sit in civitate vel oppido, ita ut specialis prudentia exigatur et casus difficiles accidere possint. Item aliud est si absentia Parochi sit solum pro aliquibus diebus ferialibus, quo casu facile sufficit si Vicarius confessiones audire possit (*Lambertini l. c.*); aliud vero si sit etiam pro diebus festis, et maxime si diuturna; tunc enim (nisi forte agatur solum de uno vel altero die festo, vel Parochus defectum postea compensaturus sit) oportet etiam ut Vicarius verbum Dei populo enuntiet (*Segneri Parr. istr. C. ult.*).

588. IV. Dixi Vicarii substitutionem praecise in domo parochiali residentis exigi *regulariter*, non vero semper; si enim aliquae Paroeciae tales sunt, ut (propter circumstantias vastitatis, baptisterii etc.) vix, ut ita dicam, aliquo momento sine huiusmodi Vicario relinqui possint; aliae e contra necessitatem istam non praeseferunt. Si res sit de absentiis pro quibus Episcopi licentia expressa exigitur, eius erit iudicare quid fieri debeat. Si vero de aliis absentiis brevioribus agatur, tunc Parochus ex circumstantiis consilium timorata conscientia sumere debebit. Ut plurimum facile sufficit, si Sacerdos intra Paroeciae fines domicilium habens delegetur. Facile etiam sufficere poterit si Parochus conterminus supplere promiserit in civitatibus; sed non facile ruri (propter distantiam), maxime si populus non fuerit admonitus. Si aliquibus dumtaxat horis Parochus absit, aut (raro tamen) unico die et exceptis horis nocturnis, ordinarie (nisi scilicet adsint infirmi) non tenetur vicarium ullum delegare. Interdum excusari etiam poterit Parochus,

quamvis, nemine delegato, non praecise ita cito rediturus abierit, si ex causa valde necessaria abire coactus fuerit et melius providere non potuerit, aut si, attenta copia Sacerdotum, certus sit quod, eveniente casu improviso, qui occurrere paratus erit non deerit. *Reiff.* III. IV. 83.

589. V. Contingere potest quod, non obstante substitutione Vicarii, Parochus sine gregis detrimento abesse nequeat, quatenus eius opera personalis praecise exigatur; et tunc, uti patet, (saltem ex causa non absolute cogente) discedere nequiret; et contingere posset quod absentia etiam brevissima ad mortalem culpam constituendam sufficeret.

590. *Quid notandum circa causae aequitatem, vi cuius Parochi (sine gregis detrimento et de licentia Episcopi, ut supra) abesse possunt, sed non ultra bimestre?*

I. Causa huiusmodi esset, v. g., si Parochus ad invisendos parentes, ad melius convalescendum, ad verbum Dei praedicandum, ad piam peregrinationem perficiendam, vel etiam simplicis recreationis gratia, discederet. Attamen

591. II. Sola recreatio suppeditare quidem poterit aequam causam abessendi una vel altera hebdomada sive continua sive interpolata, sed non integro bimestri *quotannis*. Bened. XIV. Const. *Ubi primum* et *Ad universae*. Hinc contra residentiam certe delinquunt ii, qui sola vagandi cupiditate non una vel altera hora dumtaxat, sed medio die vel amplius ad civitatem aut alibi in gyrum se conferunt; idque frequenter; quamvis, computatione facta, tempus hoc modo extra paroeciam insumptum bimestralem absentiam non praetergrederetur. *Cf. Lambertini Not.* XVII. 24.

592. III. Habenda est ratio convenientiae; ne scilicet Parochus, quamvis optimum Vicarium domi relinqueret, tamen in talibus circumstantiis discederet, ut eius absentia (considerata speciatim qualitate causae vel frequentia) admirationem et quoddam scandalum in populo ingereret; ut puta, si merae recreationis gratia diebus solemnioribus abesset. Aliud esset si ratione praedicationis vel simili tunc etiam *aliquando* abesset. (*Cf. Schmalzgrueber vol.* III. *tit.* IV. 13).

593. IV. Absentia bimestralis unius anni cum absentia anni sequentis coniungi nequit; tunc enim etiam pluribus festis solemnissimis Parochus abesset. Adde quod absentia tunc evaderet bimestri diuturnior, pro qua (etiam quia huiusmodi absentiae diuturnae vix sine gregis detrimento et quodam populi scandalo contingere valent) de iure causa saltem absolute gravis exigi-

tur. Imo regula generalis est ut absentiae notabiles semper (nisi causa vere cogens aliter exigat) disiungantur. *Bened.* XIV. *Const.* Ad Universae, *et S. C. C. apud Reiff.* (III. IV. 37).

594. *Quid si causa abessendi esset absolute gravis vel gravissima?* Haec suppeditare potest iustum motivum abessendi 1° etiam ultra bimestre; 2° licentiâ tamen ab Episcopo vel a S. Sede obtenta prius, nisi casus urgeat (iuxta dicta n. 579); 3° secluso scandalo; 4° proviso grege de idoneo vicario, ita ut ex absentia nullum detrimentum gregi ipsi obveniat; attamen (in hoc casu) solum quantum *fieri poterit*, ut dicit Trid. (XXIII. I). Si itaque ex discessu gregis detrimentum obventurum esset, considerari deberent circumstantiae; et praecipue an Parochus, si non discederet, utilis esse posset; et, quatenus affirmative, an detrimentum tale ac tantum sit, ut clamet discedi non posse, et dici debere: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ».

595. *Quales sunt causae huiusmodi absolute graves?* 1° Christiana charitas; 2° Urgens necessitas; 3° Debita obedientia; 4° Evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas. *Trid.* (*l. c.*).

596. *Quid significatur nomine* CHRISTIANAE CHARITATIS? Tria concurrere debent. 1° Gravis proximi calamitas seu necessitas; 2° Deficientia aliorum, qui eidem (saltem aeque proficue) occurrere possint; 3° Conservatio ordinis charitatis; ne scilicet, dum Parochus extraneis succurrere satagit, damna nimis notabilia propriae eius Paroeciae obveniant. *De Angelis* (III. IV. 5) *et Reiffenst.* (III. IV. 42. 91).

597. *Causa Missionum peragendarum essetne sufficiens ad concedendam Parocho licentiam abessendi ultra bimestre?* Existente penuria aliorum Missionariorum, et secluso notabili damno Paroeciae (uno verbo, discretione servata), maxime pro missionibus dioecesanis, affirmandum esse videtur.

598. *Quid significatur nomine* URGENTIS NECESSITATIS? Necessitas discedendi ad vitanda magna pericula quoad bona sive vitae, sive libertatis, sive fortunae; prout contingere potest ratione infirmitatis, inimicitiae capitalis, magnae litis, persecutionis, periculi carceris etc.

599. *Quid notandum circa infirmitatem?* 1° Sola infirmitas in se presse considerata (sicut etiam aetas senilis) nihil suffragatur. 2° Exigitur ut, defectu medicorum vel medicinarum, in domo parochiali Rector infirmus satis commode curari nequeat; 3° Curandum ut in loco viciniori (quoad fieri possit) remaneat (*Lucidi* I. 225. 226); 4° Contingere potest quod Parochus ad

sic alibi convalescendum uti debeat mensibus conciliaribus, quod scilicet in tempore concesso comprehendendum sit bimestre, de quo loquitur Tridentinum (*Bened.* XIV. *Const.* Ad universae). Idque maxime si agatur de infirmitate leviuscula, v. g., de consilio a medicis recepto se conferendi ad aerem ruralem, vel ad aquas minerales, vel ad balnea etc. Decisio autem discretioni Episcopi relinquitur (*Lucidi l. c. n.* 230).

600. *Quid notandum circa inimicitias?* 1° Debent esse verae, graves et capitales; 2° Oportet ut Parochi ipsius culpae tribui nequeant: secus enim de facili Paroeciam resignare teneretur; 3° Iudicium de dandis licentiis pro casibus istis ultra menses conciliares S. Sedi reservari videtur (*Bouix l. c.* § IV. *pr.* VIII. *not.* 1); 4° Licentia dari solet primitus non ultra sex menses; 5° Interim Parochus in loco (quantum potest) viciniori commoretur, et omnis lapis moveatur ut inimicitiae sedentur. 6° Fortasse aliae prorogationes obtineri poterunt; sed, si inimicitiae essent verisimiliter duraturae, inducendus erit Parochus (quamvis eius culpae imputari nequirent) ad resignandum (cum pensione) vel permutandum. *Lucidi* (*l. c. n.* 233) *et Reiff.* (*l. c.* 92).

601. *Quid notandum circa necessitatem discedendi propter litem?* Utendum est mensibus conciliaribus; sed, si Parochus illis iam usus fuerit, licentia hac etiam de causa ei discrete concedi poterit. *Cf. Bened.* XIV. *Const.* Ad universae.

602. *Quid notandum circa persecutionem?* Persecutio constitueret iustam causam discedendi in duobus casibus; scil. 1° Si solam Parochi ipsius personam respiceret; 2° Si esset quidem communis, sed iam Parochus (absque hallucinationis periculo) nullo modo ovibus suis opitulari posset. Si autem ex una parte persecutio esset communis, et ex alia Parochus sive publice sive saltem in abscondito parochianos suos confortare et adiuvare posset; tunc certe ei fugere non liceret; secus enim esset casus dicendi: « Videt lupum venientem et dimittit oves et fugit, quia « mercenarius est... Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus « suis ». *Cf. Lugo* (*De fid.* XIV. II. 42) *et Reiff.* (III. IV. 103).

603. *Pestis constituitne rationem urgentis necessitatis* (*aut saltem rationabilis causae in mensibus conciliaribus*); *ita ut scilicet Parochus tunc possit discedere propter periculum contrahendi contagium?* Negative; nec sufficeret quod Vicarios idoneos domi relinqueret, imo nec quod Episcopus discedendi licentiam ei concessisset. *Casus conscientiae* (*Cas.* II); *Bened.* XIV (*De Syn.* XIII. XIX. 2); *Lucidi* (*l. c.* 232), *et De Angelis* (*l. c. n.* 11).

604. *Quid de Parocho qui ingruente bello vel obsidione etc. fugeret?* Certe delinqueret; bella enim et obsidiones non efficiunt ut Parochus inutilis evadat; sed e contra eius opera magis utilis et necessaria esse potest. (*Reiff. l c.* 102-105).

605. *Quid si Paroecia in loco palustri et sub coelo insalubri sita esset?* Haec causa non sufficit ut Parochi abesse et Episcopi licentias (saltem ultra menses conciliares) dare possint. Quum enim Paroeciae innumerae in his conditionibus versentur, S. C. C. definivit hanc causam non excusare Parochos a residentia. Difficile etiam in re ista conceditur gratia a S. Sede; quae tamen interdum data fuit, sed solum pro mensibus magis periculosis, substituto Vicario idoneo, et cum obligatione commorandi in loco viciniori, nec non ad paroeciam se conferendi diebus festivis, et quavis occurrente necessitate. *Cf. Lucidi* (*l. c. n.* 229-230) *et De Angelis* (*l. c. n.* 11).

606. *Quid significatur nomine* DEBITAE OBEDIENTIAE*?* Causa ista quoad Parochos vix unquam potest habere locum extra menses conciliares, nisi de obediendo Summo Pontifici ageretur. Episcopus enim (exceptis dictis mensibus) neque pro pastorali visitatione, neque pro aliis servitiis, Parochorum opera uti potest. *Reiff.* (*l. c. n.* 94. 95).

607. *Quid significatur nomine* EVIDENTIS ECCLESIAE VEL REIPUBLICAE UTILITATIS*?* 1° Interventum legitimum ad Synodum sive Generalem, sive Provincialem, sive Dioecesanam; 2° Discessus pro lite aut alio momentoso Paroeciae propriae negotio. *Reiff.* (*l· c. n.* 96).

608. *Potestne Parochus* (*intellige semper de iure et ex sola licentia Episcopi*) *abesse ratione perficiendi studia sacra?* Negative. *Cf. Bouix* (*l. c.* § 4. *pr.* 2) *et De Angelis* (*l. c. n.* 11).

609. *Potestne Parochus ruralis maiori anni parte abesse, ad docendum vel aliud officium momentosum sustinendum in civitate?* Negative. (*Bouix l. c.*). Si quilibet alius idoneus deesset, forsan obtineri posset indultum apostolicum; attamen sub quibusdam conditionibus, et speciatim ut diebus festis aut solemnioribus ad Paroeciam suam se conferret.

610. *Quales essent casus, in quibus Parochi ultra menses conciliares abesse possent propter utilitatem non Ecclesiae sed Reipublicae?* Casûs isti dari quidem possunt quoad Episcopos; sed non (de iure) quoad Parochos. Qua de re, et de quaestione adimplendi munus deputati in guberniis constitutionalibus, vide Lucidi (I. II. n. 4).

611. *Quid 1° si Parochiani essent paucissimi, qui commo-*

dissime a Parocho vicino servitium habere possent, nec de proprii Parochi residentia ullo modo curarent? 2° Si Parochus iam esset senex et haberet Coadiutorem? 3° Si Paroecia tenuissimos redditus haberet? 4° Si Parochus ultra menses conciliares abesse praetenderet, eo quod praecedentibus annis eis usus non fuisset? 5° Si causa canonica non equidem subsisteret, sed nihilominus Episcopus dispensasset? 6° Denique si non residendi consuetudo adesset et Parochi antecessores nunquam resedissent? Nulla ex his rationibus valeret. Patet ex decisionibus authenticis. Quoad primam, apud Lambertini (*Not.* XVII. *n.* 16) et Acta S. Sedis (II. *pag.* 295); quoad secundam, apud Bouix (*l. c. pr.* 4); quoad tertiam apud Acta (*l.* c.); quoad quartam. apud Bened. XIV (Const. *Ad universae*); quoad quintam, apud Bouix (*l. c.* § V. *in fin.*). Attamen licentia Episcopi sufficeret, si Parochus de iustitia causae dubius esset. Quoad sextam, apud Trid. (XXIII. I) et Acta (*l. c.*). Vide etiam De Angelis (III. IV. 4), qui notat, solum Parochum habitualem de iure a residentiae obligatione perpetuo eximi.

612. *Si Paroecia domum parochialem* (*vulgo* canonica) *habeat, teneturne Parochus in ea residere?* Affirmative, nisi legitime dispensetur. (*Bouix l. c.* § VII. *pr.* 2).

613. *Potestne dispensari ab Episcopo?* Utique; sed solum ex iusta causa, quae difficile aderit.

614. *Essentne causae iustae* 1° *Si Parochus inhabitare vellet potius domum paternam quae intra Paroeciae fines sita esset? 2° Si alia domus esset magis centralis, seu maiori parti parochianorum magis commoda? 3° Si domus parochialis esset insalubris?* Negative. Vide Acta (II. *pag* 290).

615. *Quid si domus parochialis esset fatiscens?* Tunc poterit quidem Episcopus concedere ut Parochus alibi resideat; sed praefigere deberet ei congruum terminum pro restauratione. qua executa, ad illam redire teneatur. Acta (*l. c.*).

616. *Si Parochus nequeat residere in aede parochiali, sive quia non adsit, sive ex alia cogenti causa; tunc quid iuris?* Debet conducere aliam domum Ecclesiae viciniorem quantum fieri poterit; et, si Parochiani essent partim in civitate et partim ruri, domus conducta esse deberet in civitate. Denique si intra fines Paroeciae domus congrua non inveniretur, posset eligi etiam in alia Paroecia; sed hoc solum in casu extremo. Acta (*l. c. pag.* 291), Barbosa (*De Par.* I. VIII. 38), et Bouix (*l. c. pr.* IV).

617. *Quandonam defectus residentiae peccatum mortale con-*

stitueret? Peccatum mortale oriri potest 1° Ex detrimento gregis: 2° Ex diuturnitate absentiae; 3° Ex defectu licentiae.

618. *Quandonam adesset peccatum mortale ex detrimento gregis?* Hoc pendet a gravitate non solum detrimenti hic et nunc positive orituri, sed etiam periculi et scandali. Hinc graviter peccaret Parochus, si, nullo relicto Vicario, moribundum sine Sacramentis et assistentia desereret; aut duobus vel tribus diebus abesset, quamvis nemo aegrotaret, aliique Sacerdotes deessent in illo loco (*D' Annib.* III. 525); item si tempore pestis fugeret, quamvis Vicarios relinqueret. Vix dabitur causa urgentissima quae in casibus huiusmodi a mortali excuset; qua seclusa, ipsa licentia Episcopi nihil suffragaretur.

619. *Quandonam adesset peccatum mortale ex diuturnitate absentiae?* Si absentia ultra menses conciliares, seclusa causa absolute gravi, protraheretur (Trid. XXIII. I). Tunc pariter licentia Episcopi nihil prodesset. Si tamen Parochus mensibus conciliaribus (vel etiam ultra ipsos) abfuisset quidem, sed omnino legitime; postea autem illegitime absentiam protraheret, non statim peccaret mortaliter. Excessus duorum vel trium dierum; imo (iuxta alios) octo vel decem dierum, maxime si interpolationes adessent, venialem culpam non excederet (*Cf. Diana* III. III. 71).

620. *Quandonam interveniret peccatum mortale ex defectu licentiae?* Si lex dioecesana districte et sub gravi exigeret ut pro absentia etiam valde modica (v. g., bidui vel tridui) licentia peteretur, et Parochus illam non peteret; tunc certe mortaliter peccaret. S. Lig. (IV. 123), Lhemkuhl (II. 644), Berengo (*n.* 45) etc. Praescindendo ab hoc casu, aliqui dicunt quod peccatum mortale interveniret solum, si Parochus ultra menses conciliares sine licentia abesset (Bonacina *De on. et obblig. beneficior.* V. III. 6; Croix III. I. 741 aliique). At vero sententia ista hodie communiter reiicitur, atque ad summum conceditur ut duabus vel tribus hebdomadis Parochus absque peccato mortali sine licentia abesse possit (*D' Annibale, Lhemkuhl ll. cc.*). Decisio, meo sensu, pendet a circumstantiis. Firma manente conditione quod nullum gregis detrimentum suboriturum esset, starem cum sententia benigniori 1° Si absentiae (quamvis ultra biduum vel triduum synodale paullulum protraherentur) essent interpolatae; 2° Si ageretur quidem de bimestri non interpolato, sed causa absentiae iam esset evidenter gravissima et cogentissima, nullumque hallucinationis periculum subesse posset; speciatim si insuper notoria foret; 3° Si

non adeo commode licentia peti posset. In aliis casibus starem cum sententia rigidiori; imo etiam pro discessu praedictis hebdomadis breviori, peccatum mortale admitterem, si licentia expresse et firmiter denegata fuisset, maxime vero si (Episcopo ita renuente) Parochus iam evidenter absque ulla causa rationabili, aut diebus quoque solemnissimis, abesse praetenderet.

621. *Propter defectum residentiae quaenam poenae incurruntur?* Distinguendum est inter poenas de iure communi et de iure particulari.

622. *Quaenam sunt poenae de iure communi?* Imprimis Parochus non residens non facit fructus suos, unde in conscientia eos retinere nequit. *Trid.* (XXIII. I). Insuper iudicis sententiâ non solum fructibus sic male perceptis privari, sed etiam aliis poenis mulctari potest. *Trid.* (*l. c. et Sess.* VI. I).

623. *Quid observandum circa praedictam fructuum amissionem in conscientia?*

I° Haec poena (intellige semper inspecto dumtaxat iure communi) non incurritur propter solam habitationem extra domum parochialem (*S. C. apud Lucidi n.* 220).

II° Item non incurritur propter solum defectum petitionis licentiae in mensibus conciliaribus. Tridentinum enim vult quidem ut tunc quoque licentia petatur; sed non satis apparet quod ad hunc casum poenam extendat. *Croix* (III. I. 743), *Scavini* (I, 443), *D' Annibale* (III. 526) *etc.*

III° Incurreretur tamen, etiam pro sola absentia in mensibus conciliaribus, si cum gregis detrimento aut sine aequa causa Parochus abesset; tunc enim vere ageret contra illam dispositionem, de qua loquitur Tridentinum (XXIII, I), dum poenam istam infligit. *D' Annibale* (*l. c.*).

IV° Pro absentia ultra menses conciliares poena incurreretur non solum si subsisteret gregis detrimentum et causa proportionata deficeret, vel si expositis falsis causis licentia obtenta fuisset (*Croix* III. I. 738); sed etiam si causa gravissima, iustissima et manifestissima interveniret, et defectus unice in hoc consisteret quod licentia et approbatio Vicarii petita non fuisset. *S. C. C.* (*apud Lucidi l. c. n.* 222), *S. Lig.* (*Hom. Ap. de* 4. *praec. n.* 21), *D' Annibale* (*l. c. etc.*; contra Viva (*Opusc.* III. *q.* 3. *a.* 3. *n.* 7), Frassinetti (*not.* 47) et Scavini (I. 441. *not* 2), qui dicunt, poenam tunc esse solum ferendae sententiae.

V° Si Parochus bona fide licentiam petere omiserit, S. C. C (*apud Lucidi l. c.*) dixit, eum nihilominus a poena amissionis fructuum liberum non esse; sed hoc videtur intelligendum pro

solo foro externo, in quo bonae fidei (utpote internae) ratio non habetur. Imo (*contra S. Lig.* IV. 127) plures censent quod, supposita bona fide, Parochus in conscientia hanc poenam non incurreret, quamvis sine causa sufficienti discessisset. *Viva* (*l. c. n.* 10) *Frassinetti* (*l. c.*), *Scavini* (*l. c.*) *Garcia etc.*

VI° Fructus, quos Parochus illegitime absens suos non facit, computandi sunt pro rata absentiae, et pars ista non ex integro, sed solum pro quanto residentiae correspondet, aestimari debet. Beneficium enim datur non solum propter residentiam, sed etiam propter Horarum recitationem, Missae *pro populo* celebrationem, manutentiones, stipendium Vicarii etc. *S. Lig.* (*l. c. n.* 127. *dub.* 4.) *aliique communissime.*

VII° Fructus isti non quomodolibet, sed praecise pro Ecclesia parochiali aut pro pauperibus loci, erogari debent. *Trid.* (*l. c.*).

VIII° Adeo rigide Parochus hac poena mulctatur, ut compositiones (vulgo *pro fructibus male perceptis*), quae in aliis casibus per organa consueta obtineri possunt, prohibeantur. *Trid.* (*l. c.*).

624. *Quid de defectu residentiae non materialis sed formalis? Quid scilicet si Parochus resideret quidem personaliter; sed operam suam non praestaret? Teneretur ne tunc quoque ad restitutionem fructuum in conscientia?*

R. Non loquor de casu, in quo Parochus sic residens neque per se neque per alios quidquam omnino faciat; hic enim casus practicus minime est; bene vero facile contingit quod Parochus omnia faciat per Vicarium, aut plus vel minus muneribus suis deficiat.

Si ipse quidem operam suam non praestet, sed procuret ut munera parochialia sufficienter vice sua ab aliis adimpleantur; tunc aliqui quidem censent quod nihilominus ad fructuum restitutionem teneatur (*S. Lig.* IV. 127. *dub.* 3); sed alii existimant quod de hoc non constet. *Reiff.* (III. IV. 87; *Pichler* (III. IV. 5); *Lambertini* (*Notif.* XVII 6); *Vecchiotti* (I. § 85); *D' Annibale* (III. 526. *not.* 72) *etc.* Si autem haec sententia benigna limitetur ad solos menses conciliares (in quibus Parochus sit quidem praesens, sed per se nihil faciat), alios quoque fautores habet (*cf. S. Lig. l. c.*).

An autem Parochus, qui neque per se neque per alios sufficienter muneribus suis satisfaciat, sed plus vel minus deficiat, teneatur ad fructuum restitutionem pro rata defectus, D' Annibale (*l. c.*) censet non teneri de iure positivo. Aliqui tamen sentire videntur quod teneatur de iure naturali, eo quod be-

neficium detur propter officium, atque adeo fructus beneficii dentur beneficiato solum sub conditione (sine qua non) quod muneribus suis congrue satisfaciat (*Cf. Viva Opusc.* III. III. III. 1). Alii e contra (v. g. P. Segneri *Parr. istr. V.* 2) de hoc etiam non constare censent, et Garcia (*De Benef.* 1. III. 53) absolute dicit: « Qui male facit suum officium, Parochus seu « Episcopus, non ideo amittit fructus ipso iure ». Sane in praxi de obligatione restituendi fructus in casibus huiusmodi cogitari non solet; unde dicendum videtur quod fructus beneficii quoad aliqua (nempe horas canonicas et residentiam personalem) sub vera conditione; quoad alia vero sub sola obligatione dentur. Adde quod, si prima sententia teneri deberet, heu quot scrupulis et conscientiae angustiis aditus aperiretur!

625. *Quibus poenis mulctari potest per iudicis sententiam Parochus personaliter non residens de iure communi?*

I. Damnari potest ad restituendos illos fructus, quos (ut supra) pro rata absentiae suos non fecit. *Trid.* (*XXIII.* I).

II. Insuper Episcopus potest 1° illum citare ut redeat intra terminum designatum; 2° non redeuntem punire censuris; 3° post sex menses absentiae continuae subtrahere ei quartam partem fructuum unius anni quos residendo suos fecerat; elapsis autem aliis sex mensibus absentiae, subtrahere ei aliam quartam partem fructuum eorundem (applicando illos fabricae Ecclesiae aut pauperibus loci, ut supra); et tandem ad Paroeciae privationem devenire. *Trid.* (*VI.* I, XXIII. I), *et S. C. C. apud Lucidi* (*l. c.* 239).

III. Episcopus potest etiam alia via magis expedita procedere; potest nempe unico vel trino edicto (secundum quod scitur vel non scitur ubi habitet) illum citare ad redeundum, congruo termino assignato; eoque transacto, eundem Paroecia privare. Attamen (*iuxta Lucidi n.* 235-238 *et De Angelis n.* 12 *contra Bouix l. c. n. VII*) prius per sex menses post dictum terminum adhuc expectare debet.

626. *Quibus poenis mulctari potest Parochus ob defectum residentiae de iure particulari, aut arbitrio Episcopi?* 1. Episcopus prohibere potest ne Parochus discedat a paroecia ultra biduum sine licentia, non quidem sub excommunicatione latae sententiae, sed sub poena pecuniaria, quae tamen dimidiam partem fructuum tali brevi absentiae correspondentium non excedat (*Reiff. III.* IV. 84). 2. Parocho residenti extra domum parochialem intimare potest; ut in illa resideat, utendo iuris

remediis, atque etiam fructibus illum privando, si post admonitionem non obediat (*Lucidi l. c.* 220).

627. *Quid possit Episcopus quoad Parochos, qui resident quidem personaliter; sed Paroecia ab ipsis scandalum vel non sufficiens servitium recipit?* Iuxta diversas facti species diversis modis responderi debet. Contingere enim possunt sequentes casus:

I. Casus Parochi, qui sit reus alicuius criminis, cui de iure privatio beneficii adnectitur.

II. Casus Parochi, qui scientia vel peritia necessaria careat.

III. Casus Parochi, qui deliquerit quidem, sed ita ut de iure privationis poena mulctari nequeat.

IV. Casus Parochi, qui sit corpore aut mente infirmus.

V. Denique casus Parochi, qui ob numerosiorem populum solus non sufficiat.

628. *Loquendo de primo casu, quid est privatio beneficii?* Est ablatio beneficii ipsius perpetua et absoluta. Distinguitur non solum *ab exilio* seu *remotione oeconomica temporanea* (qua iubetur ut Parochus ad tempus discedat a Paroecia), et *a suspensione a beneficio* (sic enim suspensus eius fructibus et administratione ad tempus dumtaxat, aut donec absolutionem obtineat, privatur); sed etiam (N. B.) *a remotione oeconomica perpetua*, qua Parochus privatur quidem prorsus illo beneficio, sed pensio aut aliud beneficium illi datur *.

629. *Potestne Episcopus infligere poenam privationis sine processu, nempe ex informata conscientia?* Negative. *Bouix* (*III* IV. II. § 1). Aliud est de sola suspensione ab exercitio Ordinis aut curae (*Trid. XIV.* I. *et Bened. XIV. De Syn. XII.* VIII. 5), quae sic infligi potest, dummodo ex una parte delictum sit occultum (*Lucidi I.* III. 273) atque certum (*D' Annibale I.* 358. *not.* 14), et ex alia parte suspensio solum ad tempus infligatur (*Lucidi l. c.* 267). Ut tamen Episcopus ad privationem procedere valeat, sufficere potest quod delictum sit plene probatum per iudicium summarium, scilicet per testes iuratos aut alia documenta certa, et ad suam defensionem citato reo (*Acta V.* 40. 46, *et XIII.* 324).

630. *Facto processu et probato delicto, cui de iure privatio*

* Distinguitur etiam *a depositione* (qua beneficiatus fit insuper inhabilis ad alia beneficia obtinenda), et *a degradatione* (qua Sacerdos omnibus facultatibus, privilegiis et insignibus clericalibus perpetuo privatur, et, dempto charactere, ad statum laicalem reducitur). *Bouix III.* IV. II.

adnectitur, potestne Episcopus impedire ne reus poena ista afficiatur? Videndum an ius ipsum per se hanc poenam infligat (dicendo, v. g., *ipso iure*, vel *eo ipso*, vel *ipso facto privatus existat*); an vero relinquat Episcopo facultatem eandem poenam infligendi (dicendo, v. g., *privetur*, vel *privari possit*).

In primo casu Episcopus, emissa sententia declaratoria criminis, impedire nequit quin reus privationis poena afficiatur. Notari potest quod sententia huiusmodi ad tempus delicti perpetrati retrotrahitur, et reus amittit fructus interim perceptos, quamvis ante sententiam (quum talis sit regula quando agitur de privando aliquem iure quaesito, nisi lex disertis verbis contrarium disponat) eos restituere non teneretur, nec actus iurisdictionis parochialis interim exerciti invalidi fuerint. *Bouix* (*l. c. II.* § 1. *reg.* v.), *Schmalzgrueber* (*III.* I. II. 13), *Vecchiotti* (*II* II. 30), *Salmanticenses* (*XXVI.* VII. 125) *etc.*

In secundo casu autem (nisi lex vigens omnino exigat ut haec poena rigide applicetur) in Episcopi facultate erit mitius contra reum procedere. *Vecchiotti* (*l. c.*).

631. *Quibusnam delictis privationis poenam ius ipsum per se infligit?* Haec sunt 1. Haeresis; 2. Procuratio abortus foetus animati, effectu secuto; 3. Duellum; 4. Alienatio rerum Ecclesiae sine beneplacito Ap., vel earundem rerum iniusta occupatio; 5. Simonia; 6. Occisio vel percussio Episcopi aut Cardinalis; 7. Assassinium, nempe homicidium, dato vel recepto pretio; 8. Sodomia frequentata. Nonnulla alia delicta et declarationes videri possunt apud Bouix (*l. c.* § *II.* III), Vecchiotti (*l. c et* IV. 57), Bened. XIV. (*De Syn. IX.* VI. 7), et Salmant. (*l. c.*).

632. *Quando Episcopo relinquitur facultas procedendi ad privationem, sufficitne semper quod delictum probatum fuerit?* Pro quibusdam delictis sufficit. Pro aliis vero exigitur, ut monitiones iuridicae praemissae fuerint. *Acta* (*V. pag.* 76).

633. *Quaenam sunt delicta pro quibus sufficit quod probata fuerint?* Sunt praecipue 1° Sollicitatio; 2° Homicidium; 3° Fornicatio cum Moniali. Bouix (l. c.), Vecchiotti (II. 30), et Reiffenst. (III. II. 53) nonnulla alia delicta aut declarationes addunt.

634. *Quaenam sunt delicta, pro quibus exigitur, ut monitiones iuridicae praemissae fuerint?* 1° Omissio residentiae personalis (loquendo tamen de privatione beneficii, non vero de fructibus, ut supra explicavi); 2° Depositio habitus clericalis (*Vecchiotti l. c.*); 3° Concubinatus, et fornicatio frequentata,

sint saltem post monitionem iterata. *Trid.* (XXI. vi). *De Angelis* (III. n. 2. 3), *Bouix* (*l. c.* § IV. vii). 4° Fornicatio etiam qualificata cum adulterio S. C. C. *apud Pallottini* (*v. Beneficia* § XX. *n.* 15), contra Reiffenst. (l. c.), qui censet, pro fornicatione sive adulterio, sive stupro, sive incestu qualificata, monitionem non exigi. 5° Quodlibet delictum propter quod beneficiatus non solum admonitus, sed etiam censura mulctatus fuerit, et ipse saltem per annum in illa insordescerit. *Bouix* (*l. c.* § III). Monitio autem debet esse trina et personalis; non vero sufficit quod in lege contineatur. (*De Angelis l. c. n.* 3).

635. *Quid speciatim notandum circa concubinatum, fornicationem vel adulterium?*

I. Ad probationem delicti sufficiunt ea indicia, quae validam praesumptionem inducunt, ut puta, si Parochus cum foemina merito suspecta cohabitaret. *Trid.* (XXV. xiv).

II. Sufficeret etiam, si modo cum una modo cum alia delinqueret. *Trid.* (XXI. vi) et *Bouix* (*l. c.* § *IV.* vii).

III. Circa simplices beneficiatos Trid. (XXV. xiv) statuit, praemittendam esse graduatoriam privationem fructuum, antequam ad beneficii ipsius privationem procedatur. Sed quoad Parochos (XXI. vi) graduatoriam istam non statuit, et exigit solum ut prius moneantur, et arbitrio Episcopi castigentur. *Acta* (XI. 490).

636. *Potestne Episcopus ad privationem procedere propter delicta, contra quae in iure haec poena non statuatur?* Negative. *Acta* (*II.* 283. *V.* 76).

637. *Potestne privationis poena infligi a Vicario Generali?* Negative, nisi de speciali Episcopi mandato. *Bouix* (*l. c.*).

638. *Loquendo de casu Parochi, qui scientia vel peritia necessaria careat, quid iuris de casu isto?*

I. Distingui debet inter defectum scientiae speculativae, quae in libris et scholis addiscitur, et defectum scientiae practicae (seu peritiae), quae potius a subiecti ipsius prudentia pendet.

II. Si agatur de defectu scientiae speculativae, Episcopus, etiam extra-iudicialiter, et quamvis ipse prius Parochum approbaverit, potest illum ad novum examen revocare. Oportet tamen 1. ut de tali defectu saltem indicia gravia habeantur; 2. ut agatur de defectu non tolerabili; 3. ut habeatur ratio loci: si enim de parva paroecia rurali ageretur, scientia minor sufficere potest. *Acta* (V. 13). Si Parochus ad examen vocatus inhabilis resultet, tunc Episcopus pro ratione defectus illum suspendere, et coadiutorem, donec de sua idoneitate argumentum

praebeat, ei dare debet. *Trid.* (*XXI.* vi), *Lucidi* (*I.* III. 275. *et seqq.*). Si autem Parochus examen subire recusaret, tunc potiori iure suspensione, aut etiam temporaneo exilio (deputato pariter Coadiutore), illum coercere posset. *Acta* (*IV.* 27).

III. Si agatur de defectu scientiae practicae, seu peritiae, quatenus Parochus, v. g. ex indole iracunda, abnormi, cerebrosa etc. vel ex habituali defectu reflexionis, extraordinarium in modum populi odium sibi comparaverit, errores intolerabiles passim committat, et, amissa quavis existimatione et confidentia, ab omnibus spernatur etc.; tunc videndum utrum in correctionibus, vel (si casus ita ferat) aliquibus poenis, aut remotione temporanea, aut spontanea resignatione et acceptatione pensionis etc., remedii spes collocari valeat; an vero casus sit adeo extremus ut ad perpetuam et coactivam remotionem oeconomicam devenire oporteat. In primo casu remedia illa tentari debebunt. In secundo autem ad dictam remotionem (facto processu) deveniendum erit; ita tamen ut, constituto Coadiutore ab Episcopo designando, Paroeciâ non privetur, donec ope pensionis vel alterius beneficii ei provideatur. Patet ex Trid. (*XXI.* vi), ex Innoc. III. (c. 10 *De Renunt.*), et ex stylo S. C. C. Vide Acta (*XII.* 563-568).

639. *Quid de Parocho quem mala plebs odit, quamvis ille in culpa minime sit?* Diu expectandum et omnis lapis movendus ut res componantur; aut ope coadiutoris, sive ad tempus sive etiam (ex indulto Apostolico) in perpetuum, remedium apponatur. Sed in casu extremo, si nulla alia mitior compositio fieri posset, Parochus ad permutationem vel acceptationem pensionis (facto iuridice comprobato) cogendus esset. Removeretur enim sine culpa quidem sed non sine causa, et Paroeciae sunt pro populo non vero pro Parochis. Patet etiam ex cit. Cap. 10 Innoc. III. Vide Acta (XII. 568. 569). Tunc autem maxime curandum esset, ne Parochus quoad existimationem et alias utilitates detrimentum pateretur.

640. *Quid de Parocho, qui delicta commiserit, sed non illa quibus de iure privationis absolutae poena adnectitur; aut, si eadem commiserit, propter defectum probationum aut propter aliquam formam canonicam (v. g., admonitionem) omissam, dictâ poenâ plecti nequeat; constet tamen ex processu quod ad regendam utiliter Paroeciam iam amplius aptus esse nequit?* In his casibus a fortiori valent principia supra indicata, atque ad remotionem oeconomicam perpetuam (scilicet assignata pensione) procedi poterit. *Acta* (*I.* 513. *II.* 276. *V.* 68. *XI.* 143).

641. *Quid de Parocho, qui ob corporis vel mentis habitualem infirmitatem, muneribus suis amplius satisfacere nequeat?* Episcopus illum cogere potest ut Vicarium acceptet; quo acceptato, ad paroeciam resignandam (ne afflictio afflicto superaddatur) illum cogere nequit. *Lucidi* (*l. c.* 274).

642. *Quid de Parocho, qui ad praestandum servitium Paroeciae necessarium solus non sufficiat?* Tunc habet locum Decretum Tridentini (*XXI.* IV), quo Episcopus 1. Adigere potest Parochum ad tot Sacerdotes sibi associandos, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum; 2. Ad Subsidiariam erigendam vel ad Paroeciam dismembrandam, etiam invito Parocho, devenire posset. quatenus tamen (attentis distantia, incommodo Parochianorum aliisque circumstantiis) id necessarium esset. Vide Lucidi (*l. c. n.* 280. 290).

§ II.

De Missa pro populo celebranda.

643. *Quid est Missa pro populo, et unde oritur obligatio illam celebrandi?* Est Missa quae celebratur et applicatur pro parochianis vivis et defunctis. Obligatio autem illam celebrandi oritur I. Ex iure divino atque ex ipsa indole officii pastoralis, declarante Apostolo (*Hebr. V.* I. *et VIII.* 3) quod omnis Pontifex debet offerre *dona et sacrificia pro peccatis*. Quae obligatio absolute residet in Episcopis, et devolutive (nempe ex Ecclesiae commissione) in Parochis. *Acta* (*I.* 390-392). II. Ex iure ecclesiastico, nempe ex Trid° (*XXIII* I.); ex Const. *Nuper* Innocentii XII (an. 1699); ex Const. *Cum semper* Benedicti XIV (an. 1744); denique ex Const. *Amantissimi* Pii IX (an. 1858). Cf. *De Angelis* (*III.* XXIX. 5. 8) *et Lucidi* (*III. Doc.* XXIII. XXXVII).

644. *An haec obligatio sit onus imprimis reale, quod omnibus et singulis beneficiis parochialibus adnectatur?* Affirmative. *Acta* (*VII.* 191), *et De Angelis* (*I.* XXVIII. 6). Hoc melius patebit ex infra dicendis circa Parochos qui duas Paroecias habent.

645. *Si de Paroecia non agatur, potestne adesse onus celebrandi Missam pro populo, si forte res sit de officio, quo cura animarum exerceatur?* Onus istud adnectitur solum Poroeciis et Episcopatibus. Hinc Capellani hospitalium aut carcerum, et Missionarii (nisi forte Paroecias canonice erectas regant) hanc

obligationem minime habent. Decisum. *Acta* (I. 389-408); *De Angelis* (*l. c.*) *et Lucidi* (I. III. 352 *et* 361-364).

646. *Quibus diebus Missa pro populo celebrari debeat?* Imprimis distinguendum est inter Ecclesiam orientalem (de qua vide *Acta* I. 408), et Ecclesiam occidentalem.

Loquendo de occidentali, notanda sunt sequentia:

I. Ante Const. *Universa* Urbani VIII (an. 1642), praeter festa de praecepto quae ubique servabantur, non pauca huc illuc festa particularia (pariter de praecepto) celebrari solebant. Urbanus haec festa suppressit: attamen cum duabus exceptionibus. 1. Reliquit facultatem celebrandi festum duorum dumtaxat Sanctorum Patronorum, nempe Patroni totius Regni vel status, et Patroni sive Dioecesis sive Civitatis vel Oppidi (non vero Titularis Ecclesiae): qua de re vide *Scavini* (IV. 69. 70) *et Bouix* (V. VI. *pr.* IV. 3). 2. Quoad festa, quae voto populi statuta fuerint, declaravit (organo S. R. C. 18 Apr. 1643) ea fore duratura non vi praecepti sed vi voti, et solum donec viverent personae quae actu voverunt (et proinde non ultra illam generationem). Caeterum iussit ut, praeter dies dominicos et festa Patronorum, festa de praecepto restringerentur ad sequentia: Nativ. Circumcis. Epiph. Ascens. et Corporis D. N. I. C.; Purif. Annunt. Assumpt. et Nativ. B. M. V; Apostolorum; Fer. 1. et 2. post Pascha et Pent.; SS.mae Crucis; S. Mich. Arcang.; S. Io. Bapt.; S. Steph.; SS. Inn; S. Laurentii; S. Silv. P.; S. Ioseph.; S. Annae; et Omn. Sanctorum. (His Clemens XI. an. 1708 addidit Festum Imm. Concept. B. M. V. Alicubi autem auctoritate apostolica concessa fuerunt alia festa particularia). Festis de praecepto ita determinatis, Urbanus enixe monuit Ordinarios, ne in posterum nova festa (nisi merae devotionis) introducerent. *Cf. Salmant.* (XXIII. 1. v).

II. Praedictis diebus Parochi Missam certe celebrare debebant, sed quid de applicatione? Quum Trid (*XXIII.* I) verba quidem fecerit de obligatione offerendi sacrificium pro populo, sed de modo et frequentia nihil dixerit; hinc iis temporibus magna indeterminatio et dissensio hac in re non solum speculative sed practice aderat; unde multi existimabant, de iure communi sufficere, si solum aliquoties in anno et in praecipuis solemnitatibus Parochi ita applicarent pro populo, ut stipendium pro alia applicatione accipere nequirent; idque maxime si redditus valde tenues haberent. *Cf. Salmant.* (V. v. 50-54).

III. Indeterminationem et dissensionem istam magna ex parte e medio sustulit Innocentius XII. (Const. *Nuper* die 24 Apr.

1699): decrevit enim quod Parochi omnino deberent applicare pro populo omnibus diebus dominicis et festis (quamvis eorum redditus ad congruam non pertingerent), nec possent iisdem diebus aliam eleemosynam recipere. Intacta autem remansit quaestio, utrum tenerentur celebrare et applicare saepius, si pinguiores redditus haberent: et certe Ordinarii identidem ad frequentius applicandum huiusmodi Parochos adigebant.

IV. Postea diversis temporibus et varie pro variis locis festa non pauca ab Urbano designata ex Apostolica Indulgentia cessaverunt esse de praecepto: ita tamen ut Christifideles, dum operibus servilibus attendere poterant, Missam audire tenerentur. Hoc autem obligationem Parochorum applicandi Missam pro populo nullatenus immutavit. Benedictus XIV (Const. *Cum semper*) id expresse declaravit; simulque monuit, ultra hos dies et dies dominicos et alia festa adhuc plene de praecepto, obligationem celebrandi Missam pro populo, etiam quoad illos qui pinguiores redditus haberent, non esse extendendam.

V. Denique plurimis in locis festa praedicta, in quibus operibus servilibus vacare licebat, ita sublata fuerunt, ut Christifideles ne Missam quidem audire tenerentur. Sed hoc etiam obligationem Parochorum applicandi Missam pro populo nullatenus immutavit. Patet non solum ex tenore uniuscuiusque indulti apostolici: sed etiam ex Const. *Amantissimi* Pii IX. *Cf. De Angelis* (III. XXIX. 5. 8ª).

647. *Quid de festis, quae alicubi servantur ex consuetudine vetustissima, aut etiam inducta fuerunt a populo cum intentione se obligandi, atque adeo habentur tamquam de praecepto; sed in Urbani VIII catalogo non comprehendantur?* Reducenda esse ad normam Constitutionis Urbani respondit *S. R. C.* (16 *Martii* 1805). Hinc videtur quod tamquam de devotione considerari debeant, et proinde Parochi Missam quidem ad populi commoditatem celebrare, sed non pro populo applicare teneantur.

648. *Quid si huiusmodi festa instituta fuissent post Const. Urbani ex voto populi?* Etiam post Const. Urbani festa sic institui possunt. Attamen haec quoque (tamquam de praecepto) vigent solum pro iis qui votum actu emiserunt: non vero pro successoribus eorum. *S. R. C.* 15 *Febr.* 1659 *et* 1 *Febr.* 1744. Videtur itaque quod Parochi, durante quidem generatione quae votum emisit, Missam pro populo (ex Const. *Nuper* Innoc. XII) applicare teneantur; sed non ultra. Videtur, inquam: et proinde, si adesset consuetudo Missam applicandi, casus S. Sedi exponi deberet.

649. *Quid si in festo perpetuo instituendo lex Episcopi*

accessisset? Si hoc ante Const. Urbani (an. 1642) accidisset, tunc lex episcopalis vi dictae Constitutionis abrogata fuisset. *S. R. C.* 19 *Nov.* 1650. Si vero accidisset postea, tunc lex (saltem si accedente Cleri et populi consensu condita fuisset) valere posset. *Salmant.* XXIII. I. VI. *et S. Lig.* III. 166. Quum tamen Urbanus enixe dissuaserit Episcopos, ne nova festa instituerent, difficile erit quod Episcopus veram legem (sine confirmatione apostolica) facere intenderit; unde lex ipsa obligare non posset nisi clarissima esset.

650. *Ut festum Patroni civitatis sit de praecepto, sufficitne consuetudo; an vero exigitur ut saltem extet memoria traditionalis quod eiusdem Patroni electio a S. Sede confirmata fuerit?* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam *Vide Decr. S. R. C.* 12 *Aug.* 1854.

651. *Quid si alicubi ex consuetudine immemorabili non celebraretur festum, quod iuxta Const. Urbani celebrari deberet?* S. R. C. (12. *Nav.* 1806) respondit: Citra approbationem consuetudinis consulendum esse SS.mo pro dispensatione.

652. *An Parochi a Missa applicanda pro populo excusentur ratione solius translationis, quatenus scilicet festum, in quo applicare debent, ad aliam diem transferatur?* Negative. Tunc autem applicare debent pro populo *in die propria* tum quando solum officium et Missa transferuntur (*Acta* VIII. 605); tum quando transfertur solum festivitas popularis (*Acta* VIII. 36); si autem simul cum officio et Missa etiam festivitas transferatur, tunc in die festivitatis applicare tenentur (*Acta* VIII. 605).

Aliud est de concurrentia (ut omnes norunt). Hinc, si festum de praecepto transferretur quoad *omnia* in diem dominicam, tunc (ut supra dictum est) haec ipsa evaderet dies applicationis; et proinde (propter concurrentiam festi cum die dominica) unica applicatio sufficeret (Pius IX. Const. *Amantissimi*). Idem dic si, concurrente festo de praecepto cum suppresso, Missam et officium festi suppressi in diem ferialem transferre oporteret; tunc enim Parochi, in die propria (ut pariter supra dictum est) applicando, applicationi utriusque unicâ Missâ satisfacerent (*Acta l. c.*).

653. *Quid si alicubi antiquissima adesset consuetudo non applicandi Missam pro populo, v. g., in festis suppressis?* Consuetudo ista esset abusus nullo modo tolerandus, et conscientiae Parochorum nihil suffragaretur. Patet ex Const. *Cum semper* Benedicti XIV; ex declaratione S. C. C. 25 Sept. 1847 (apud Bouix); et ex Const. *Amantissimi* Pii IX.

654. *Quid si alicubi Parochi nec per se nec per alios (propter penuriam aliorum Sacerdotum) possent satisfacere aliarum Missarum oneribus, nisi Missas pro populo praetermitterent?* Debent abstinere a nimiis suscipiendis oneribus; et, si absque Christifidelium turbatione id facere nequirent, aut si de oneribus fixis ageretur, debitâ (si opus sit) licentiâ impetratâ, Missas extra Dioecesim celebrare facere deberent. Caeterum ex causa huiusmodi ne indultum apostolicum quidem omittendi Missas pro populo obtineretur. (*Acta* II. 205-208)

655. *Qua de causa, et a qua Congregatione obtineri potest Indultum Apostolicum praetermittendi plus vel minus applicationem Missae pro populo?* Propter magnam Parochi paupertatem; et facilius si de solis festis suppressis, maxime vero si de Parocho duas paroecias regente ageretur, atque identidem contingeret quod ad Missam celebrandam in secunda Paroecia (binando) se conferre non posset. (*Acta* VIII. 33-38 *et* 701-706). Indultum autem a sola Congr. Concilii (exceptis casibus, qui ad Congreg. Propagandae pertinent) obtineri potest (Pius IX. Const. *Amantissimi*). Si tamen ageretur de sanatoria, pro casu occulto, ad S. Poenitentiariam (tacito nomine poenitentis) recurrendum esset. *Praxis* (*n.* 1277).

656. *An Missa pro populo possit anticipari vel posticipari (v. g., ratione celebrandi pro defuncto, praesente cadavere)?* Negative. *S. C. C.* 26 *Ian.* 1771 (*apud Lucidi* I. III. 370). Attamen ubi Christifideles solent die festo offerre eleemosynam pro Missa eodem die celebranda, Episcopus dispensare poterit Parochos pauperes: ita tamen ut infra hebdomadam pro populo applicent. Benedictus XIV. Const. *Cum semper*.

657. *Potestne contingere quod Parochus teneatur ad celebrandam Missam pro populo aliis quoque diebus?* Affirmative; nempe ex particulari legato pio ad hoc adigente. *S. C. C.* (29 *Maii* 1886).

658. *Quid si legatum ad hoc adigeret Parochum iis diebus, in quibus iam ex lege generali ad id tenetur, eo quod dictum legatum ante hanc legem factum fuerit?* Non ideo tenetur Parochus aliam Missam celebrare pro populo infra hebdomadam; sed muneri suo (ad quod tunc fortius adstringitur) satisfacit, quamvis iisdem diebus unicam Missam pro populo celebret. *S. C. C.* (*die cit.*).

659. *Potestne Parochus celebrare Missam pro populo in alia Ecclesia, quae non sit sua parochialis?* Negative regulariter (*Cf. Bouix* V. VI. *pr.* 8). Dixi *regulariter;* posset enim

ex necessitate (intellige curando ut alius Sacerdos ad populi commoditatem Missam celebret); imo etiam aliquando ex causa aequa et rationabili, v. g., si legitime abesset (ut infra videbimus); aut si deceret ut ratione festi aliqua rara vice Missam celebraret in alia Ecclesia, maxime si intra Paroeciae suae limites sita esset. Si tamen ageretur de festis ita suppressis, ut populus nec teneretur nec soleret Missam audire; tunc obligatio celebrandi praecise in Ecclesia Parochiali, aut curandi ut alius ibi celebret, urgenda non esset. *Cf. Acta* (VII. 193. *not.*) *et Lhemkuhl* (II. 196).

660. *Quinam* (*ratione huius obligationis*) *veniant sub nomine Parochi?* 1. Parochi proprie dicti sive saeculares sive regulares, quamvis essent amovibiles; 2. Vicarii, qui pro Parochis habitualibus actu Paroeciam regunt, quamvis pariter essent amovibiles; 3. Oeconomi paroeciae vacantis, aut, vivente quoque Titulari, ex delegatione Episcopi Paroeciam regentes, si Titularis ipse Missam non celebret. Uno verbo, quicumque ad regendam Paroeciam sine dependentia a Parocho actuali (eoque non celebrante) canonice constituti sunt. *Benedictus XIV. Const.* Cum semper. *Cf. de Angelis* (I. xxviii. 6) *et Lucidi* (I. iii. 356).

661. *Quid si Vicarii vel Oeconomi praedicti retributionem congruam non haberent, ut hoc onus sustinere possent?* Deberent nihilominus applicare pro populo; sed augmentum congruae exigere possent. Decisum. *Lucidi* (*l. c.*).

662. *Quid si Parochus duas Paroecias unitas regeret?* Deberet non solum applicare pro populo ipsemet in Ecclesia ubi residet; sed etiam providere ut alius Sacerdos similiter applicet in Ecclesia alterius suae Paroeciae; idque verum est sive aeque principaliter sive subiective dictae Paroeciae unitae sint (Idem dic de Parocho qui simul alterius Paroeciae Oeconomus esset). Unica tamen Missa sufficeret, si unio esset plenaria et extinctiva; quatenus scilicet una ex iis Paroeciis alteri ita incorporata fuisset, ut suum titulum amisisset. Decisum. *Lucidi* (*l. c.* 357). *Vide etiam Const.* In suprema *SS mi D. N. Leonis XIII* (*Ann.* 1882).

663. *Quid si Episcopus esset etiam Parochus?* Deberet applicare Missam pro Dioecesi: simulque providere ut Sacerdos celebret et applicet pro populo in Ecclesia Parochiali. Decisum. *Acta* (I. 405 - 408).

664. *Obligatio celebrandi Missam pro populo estne personalis?* Affirmative, exceptis casibus verae necessitatis, aut con-

currentibus causis canonicis ; ita tamen ut tunc Missa pro populo ab alio celebretur et nunquam desit. Decisum. *Cf. Lucidi* (I. III. 371), *Acta* (XIV. 333) *et S. R. C.* (22. *Iul.* 1848. *n.* 5129).

665 *Explica magis distincte quinam sint casus exceptionales in quibus sufficit ut Missa pro populo ab alio celebretur?* 1. Si Parochus infirmitate vel suspensione detentus Missam celebrare non posset; 2. Si esset etiam Canonicus et Missam conventualem canere teneretur (tunc enim nedum posset sed vere deberet Missam conventualem canere, et pro Missa Parochiali alium sibi substituere. Bened. XIV. Const. *Cum semper*); 3. Si Episcopus esset etiam Parochus, aut si Parochus duas Paroecias regendas haberet (aut supra dicebam); 4. Si adesset consuetudo ut loco Vicarii Parochus habitualis pro populo applicaret, vel ut Coadiutores ex fundatione vicissim cum Parocho eandem Missam celebrarent. Decisum. *Lucidi* (I. III. 375). 5. Si Parochus hac de re indultum Apostolicum haberet. 6. Si Parochus a paroecia sua legitime abesset. In hoc casu poterit pro libitu vel applicare ipse pro populo (*contra Bouix* V. VI. *pr.* 8); vel Sacerdoti in Paroecia celebranti committere ut id praestet. Decisum. *Acta* (VII. 189-193).

666. *Possetne Parochus committere alteri Sacerdoti applicationem Missae pro populo* 1. *quia ipse velit canere Missam pro defuncto, praesente cadavere?* 2. *Quia Missa, quae a populo appellatur et creditur parochialis, celebretur summo mane, aut etiam decantetur; Parochus autem non nisi alia hora et privatim celebrare possit?* 3. *Quia in loco adsit consuetudo ut Missa pro populo applicetur a Capellanis, Parochus autem pro piis benefactoribus applicet?* Causae istae non sufficiunt. Quoad primam, vide responsum S. C. C. apud Lucidi (*l. c.* 370); quoad secundam, vide Acta (XIV. 332); quoad tertiam vide Lucidi (l. c. 373). Imo ne indultum apostolicum quidem his de causis vel similibus facile obtineretur. *Acta* (*l. c.*).

667. *An Parochus obligari possit non solum ad applicandam Missam pro populo diebus designatis personaliter, et in sua Parochiali; sed etiam ad celebrandum tali vel tali hora, aut cum cantu etc.?* De iure communi ad nihil huiusmodi obligatur. Adesse tamen possent leges particulares; quibus si Parochus, iusto impedimento detentus, obtemperare nequiret, non ideo (ut patet ex supradictis) posset applicationem pro populo alteri committere, si ipse alia hora et privatim in ecclesia sua celebrare valeret. *Bouix* (V. VI. *pr.* 9).

668. *Qualiter peccet Parochus si Missam pro populo (ut supra) non celebret, aut celebrare non faciat?* Si agatur de substantia, nempe de omissione applicationis, peccatum esset certe mortale, quamvis de Missa unica ageretur; et omissio (etiam involuntaria) sub gravi supplenda foret. Trangressiones etiam aliarum circumstantiarum, si essent frequentes, grave peccatum constituerent. Pro casu autem raro, Lhemhuhl (*II.* 196. *ad IV.* 4) stat pro culpae levitate. Ex mente tamen S. C. C. (vide supra n. 666), si Parochus non applicaret personaliter (et a fortiori si die festo de praecepto applicationem prorsus omitteret atque in diem ferialem transferret), a peccato gravi excusari non posse videretur.

§ III.

De obligatione orandi pro populo.

669. *An Parochus teneatur orare non solum in genere (prout facit, v. g., recitando horas canonicas), sed etiam in particulari, nempe praecise pro populo sibi commisso?* Affirmative. Patet ex Suarez (*De Rel. Tom.* II. I. *in fin.*) cum communi. Vide etiam Const. cit. *In suprema* SS.mi D. N. Leonis XIII.

670. *Si Parochus omnibus et singulis diebus ab Ecclesia designatis Missam pro populo celebret et applicet personaliter, obligationi orandi pro populo satisfacitne sufficienter?* Ordinarie videtur affirmandum; ex una parte enim praeceptum istud quoad frequentiam non est determinatum, et ex alia Sacrificium Missae *est praestantissimum precationis genus* ut legitur in Const. cit.; imo in Missa (nempe in *memento* vivorum et mortuorum) Parochus pro parochianis suis vivis atque defunctis explicite orabit. Dixi *ordinarie;* si enim populus extraordinariis tentationibus et periculis exponeretur, aut si aliqua specialis occurreret orandi necessitas, tunc Parochus ad aliquid amplius teneretur *Cf. Suarez* (*l. c.* 17).

671 *Quid si Parochus (v. g., propter infirmitatem) raro aut nunquam Missam pro populo celebraret?* Tunc (relate ad obligationem orandi) non sufficit quod alter Sacerdos pro populo applicet; obligatio enim orandi est personalis, et saltem singulis diebus festis urgere videtur. *Cf. S. Lig.* (VI 327), *Acta* (I. 402), *et Const. cit.*

§ IV.

De obligatione sermonem habendi ad populum.

672. *Quo iure tenentur Parochi ad sermonem habendum ad populum?* Iure divino et ecclesiastico; naturali quoque propter acceptationem officii Pastoris. *Berengo* (*n.* 56). *Cf. Trid.* (V. II. XXII. VIII. XXIII. I. XXIV. IV. XXIV. VII.).

673. *Obligatio ista afficitne Parochos dumtaxat?* Afficit etiam Oeconomos (paroecia vacante), et quotquot regunt sive Paroecias, sive alias Ecclesias quibus cura animarum adnectitur. *Trid.* (V. II.).

674. *Sermo ad populum in quo consistit?* In duobus; nempe 1. in explicatione catechismi; 2. in explicatione Evangelii. Patet apertissime ex Trid. (*ll. cc. et praecipue* XXIV. VII.) *Cf. Scavini* (I. 640).

675. *Quid itaque si Parochus Evangelium dumtaxat explicaret?* Non satisfaceret 1. si lex aut consuetudo dioecesana sermonem catecheticum omnino distinctum exigeret: 2. si explicationem Evangelii ita perageret, ut populus circa multas vel aliquas res necessarias in ignorantia remaneret, ut notat Soetler (*Mon. ad Par.* III. V. § 6 *n.* 23). Praescindendo autem a lege dioecesana, satisfacere posset 1. si, dum rite explicat catechismum pueris, populus quoque adesset, eique pro re nata monita specialia dirigeret; 2. si ex ipso Evangelio occasionem sumeret ita instruendi populum, ut in decursu unius vel alterius anni in substantia totum catechismum explicaret (quod, si Parochus sit diligens et vero zelo praeditus, forte veluti sponte sua continget). Patet tum ex Catech. Rom. (*in proemio*): tum ex praxi; tum ex pluribus libris in huiusmodi finem compositis (inter quos videri possunt sermones parochiales Io. Bap.tae Guidi Benedicto XIV dicati); tum denique ex Auctoribus Theologiae Pastoralis, inter quos citari potest Berengo (*n.* 38).

676. *Teneturne Parochus ad concionem formalem atque ad amussim iuxta eloquentiae regulas elaboratam et declamatam?* Negative; sed sufficit sermo paternus et familiaris. *Bened. XIV* (*Notif.* X. *n.* 3). Imo ordinarie oportet ut Parochus, sermonis unitatem atque idiomatis puritatem minus respiciendo, eo modo procedat quo filiis suis magis utilis esse possit. Trid. dicit: *salutaribus verbis* (V. II), *etiam vernacula lingua, si opus sit* (XXIV. VII). Idque pluries decisum fuit in terminis. *Lucidi* (*I.* III. 308). Dixi *ordinarie;* interdum enim (v. g., occasione magnae festi-

vitatis aut magni concursus) concio formalis expedire potest. *Bouvier* (*De Ordine* VII. II. III).

677 *Si non exigitur concio formalis, sufficitne sermo qualiscumque; quod scilicet Parochus de Evangelio vel Catechismo aliquid quovis modo dicat?* Negative; bene vero necesse est ut praedicet 1. ad captum; 2. diligenter; 3. breviter atque ita ut libenter audiatur; 4. ita ut praedicatio decursu temporis ad illa omnia quae de iure sunt extendatur; 5. succose; 6. cum zelo; 7. cum prudentia; 8. iuxta veritatem et sanam doctrinam: 9. convenienter et opportune.

678. *Quid notandum circa primam dotem sermonis parochialis* (*ad captum*)? Id significat quod Parochus, communi intelligentiae se accomodare debet; ita ut non solum ab eruditis sed etiam a rudibus (qui maiorem populi partem efformare solent) bene intelligatur. Patet tum ex natura rei; tum ex Trid. (V. II. XXIV. VII); tum ex Bened. XIV. Const. *Etsi minime;* tum ex Pio IX. Const. *Qui pluribus.* Hoc autem est ita necessarium, ut qui secus agere soleret perinde esset ac si sermonem prorsus omitteret, et sic mortaliter peccaret. Gury (II. 112). D' Annib. (III. 519. 10), Scavini (I. 448), Bouvier (l. c.), S. Lig. (Hom. Ap. VII. 36) etc. Claritas autem exigitur 1. quoad conceptus et argumenta; et, si quando aliquid difficile enunciandum sit, explicationibus vel similitudinibus populo obviis statim recurrendum; 2. quoad verba et phrases. Si tamen populus (prout in civitatibus et oppidis) personis etiam cultioribus coalesceret, tunc idiomatis proprietati esset attendendum: non enim deest modus proprie simulque clare loquendi. In quovis casu textus latini, sin minus prorsus evitentur, saltem breves et paucissimi sint.

679. *Quid notandum circa secundam dotem* (*diligenter*)? Quod diligentia necessaria sit, patet 1. ex Bened. XIII Const. *In supremo*, et Bened. XIV. Const. *Etsi minime.* Patet 2. quia ex una parte agitur de re valde momentosa, et ex alia sermo non potest esse praeditus dotibus supra indicatis et infra explicandis, nisi prius diligenter praeparatus fuerit. Defectus seriae praeparationis (maxime quoad Parochos iuniores) facile efficere potest, ut sermo parum vel nihil sit fructuosus, multaque necessaria populo non explicentur: et sic ut Parochus contra munus suum laetaliter delinquat. *Gury*, *D' Annib.*, *Scavini* (*ll. cc.*). Neque valet quod populus sit rudis; tunc enim ut intelligat magis laborandum erit.

680. *Quid notandum circa tertiam dotem* (*breviter*, *atque*

ita ut libenter audiatur)? Brevitas cadit sub praecepto ex ipso Trid. (V. II.); et est necessaria; secus enim multi sermonem parochialem declinarent, aut propter taedium sine fructu illum audirent. Hinc sermo parochialis (etiam quia agitur semper de voce eadem) mediam horam ordinarie excedere non debet. *S. Lig. apud Scavini* (I. 639). A repetitionibus etiam nimis frequentibus, a titubantiis (eo quod sermonem non bene memoriae mandaverit), a confusione, a monotonia, a quadam cantilena, a tenore vocis non naturali, a gestibus inconditis etc. Parochus (quantum poterit) cavebit; et e contra, aptis similitudinibus utendo, brevia exempla adducendo, sermones (ope studii et librorum) variando, identidem populum laudando, maxime vero paternum amorem ostendendo, atque expedite et ex toto corde loquendo, eidem placere studebit.

681. *Quid notandum circa quartam dotem* (*nempe ut praedicatio ad illa omnia quae sunt de iure extendatur*)?

I° Parochus instruere debet populum circa omnia quae sunt necessaria ad salutem; nempe 1. Circa fidem, ostendendo fidei necessitatem et explicando singillatim omnes fidei articulos (Ben. XIV Const. *Etsi minime*); 2. Circa legem, ostendendo necessitatem illam observandi, loquendo de essentia peccati, et explicando omnia mandata Dei et Ecclesiae, nec non obligationes statuum particularium magis communium (scilicet genitorum, aliorumque rectorum familiae, coniugum, filiorum, dominorum, famulorum etc.); 3. Circa media et impedimenta salutis, nempe orationem, Sacramenta, Sacrificium Missae, verbi divini auditionem, pravorum habituum abruptionem, fugam occasionum, humanorum respectuum victoriam, considerationem aeternarum veritatum etc.

II° Explicare debet Evangelium, ut dixi; sed notandum 1. esse satis si explicetur aliquid de Missa, et proinde interdum, loco Evangelii, epistola, v. g, explicari posset (*Trid.* XXII. VIII). Notandum 2. posse etiam Parochum identidem pertractare argumenta Missae illius dici prorsus extranea. *Cf. Trid.* (*l. c.*) *et Berengo* (*n.* 58).

III. Merae instructiones non sufficiunt, sed congruae exhortationes (ad movendos affectus et salutares determinationes obtinendas) exiguntur. *Trid.* (XXIV. VII), *Barbosa* (I. XIV. 14), *et Scavini* (I. 448. 3). Hinc sermo parochialis quid mixtum catechismo et concione esse debet.

IV° Res quae magis necessariae sunt non una vel altera vice dumtaxat, sed frequenter (maxime in fine sermonum) ad

populi memoriam revocari et inculcari debent. Huiusmodi sunt 1. veritates aeternae (*it. i novissimi*); 2. emendatio a peccatis gravioribus; 3. praecipua media salutis.

V. Alicubi ex legibus synodalibus materiae speciales tali vel tali sive tempore sive modo pertractari debent.

682. *Quid notandum circa quintam dotem* (*succose*)? Dos ista exigitur a Trid. (XXIV. VII), et ex ipsa rei natura; quum enim sermo debeat esse brevis, quae parum utilia sunt, facile in causa esse possunt cur necessaria aut magis utilia (quae profecto plurima sunt) omittantur. Haec dos plus vel minus deficeret 1. Si materia totius sermonis, aut eius partium principalium, esset ex se, vel attenta conditione audientium, nihil aut parum, aut vix alicui, utilis; 2. Si, loco solidarum, et brevium et perspicuarum probationum, argumenta inania, aut infirma, aut superflua, vel repetitiones inutiles vel flosculi rethorici aut vani strepitus, adhiberentur.

683. *Quid notandum circa sextam dotem* (*cum zelo*)? Cum zelo praedicabit Parochus, si pro sermonum suorum scopo salutem spiritualem populi sui unice sibi praefigat, eamque ex corde desideret et totis viribus procuret; atque adeo instruat, applicationes faciat, adhortetur, ad peccatorum contritionem inducat; uno verbo fructum practicum serio et efficaciter intendat. Etiam dos ista a Trid. (XXIV. VII) exigitur; et principalissima est; ex ea enim aliae sponte sua profluunt, et sine illa vix quidquam fructus obtineri poterit. Parochi zelo carentes, dum potius quae sua sunt, quam quae Iesu Christi, quaerunt, heu quam facile modo sermonem omittunt; modo negligenter, sine ulla praeparatione (quin considerent quid magis prodesse possit) et sine ullo spiritu procedunt, solumque pro forma aliquid dicunt; modo vana gloria ducti, instructiones magis necessarias (eo quod nimis elementares et humiles sint), itemque motiva magis efficacia, scilicet mortis, iudicii, inferni etc. (eo quod nimis communia sint) dedignantur, et solum de rebus inauditis in sublimitate sermonis verbis altitonantibus (quidquid sit de fructu) loqui volunt; modo denique tunc solum verba clara et argumenta ad captum promunt, quando agitur de eleemosynis quaerendis, aut de impediendis murmurationibus contra se ipsos. *Cf. Barbosa* (I. XIV. 4).

684. *Quid notandum circa septimam dotem* (*cum prudentia*)? Trid. (XXIV. VII) dicit loquendum esse *caute;* et profecto imprudentiae non solum aliquod malum, sed etiam interdum magnam ruinam producere possunt. Speciatim adhibenda est cau-

tela 1. in loquendo de sexto praecepto, aut de muneribus coniugum, aut de impedimentis matrimonii; 2. in exponendis doctrinis, quae consequentias ruinosas facile habere possunt, v. g., circa praedestinationem, exiguum numerum electorum, compensationem etc.; 3. in polemica, quae longe magis noceret quam prodesset, si obiectiones contra fidem exponerentur et vivaciter ac triumphanter non resolverentur; 4. in redarguendis vitiis divitum; 5. in loquendo de vanis observantiis aliisque similibus rebus, quae bona fide a populo fere toto fiant. Cavendum est 6. ab indicationibus particularibus, expresso nomine, v. g., talis vel talis collegii, scholae, et multo magis personae, quod severissime prohibitum fuit a Concil. Lat. V, et poenae quoque civiles incurri possent. (In dubio de modo se gerendi in quibusdam circumstantiis extraordinariis et valde momentosis, consulatur Episcopus). Cavendum est 7. ab obiurgationibus vel allusionibus circa facta recentia et ad paucas personas restricta, maxime si personae ipsae concioni praesentes essent. Imprudentissimi sunt etiam qui 8. obiurgationes continuas contra parochianos suos in ore habent, et maxime si 9. delationes ad auctoritatem civilem vel ad eorundem dominos illis minitarentur. Idem dic 10. de illis qui, loquendo de ornatu foeminarum, de choreis, de visitationibus adamantium etc., excessive procedunt; maxime vero si dicant hos non posse absolvi. Cautelae speciales adhiberi debent etiam 11. si catechismus a duobus (nempe magistro et discipulo in forma dialogi) peragatur.

685. *Quid notandum circa octavam dotem* (*iuxta veritatem et doctrinam sanam*)*?* Trid. (XXV) dicit: « Sanam doctrinam... « praedicari diligenter studeant .. Incerta item vel quae specie « falsi laborant.... tractari non permittant ». Nihil itaque falsi, nihil exaggerati, dici debet. Nec bonus finis excusaret; mendacium enim est malum intrinsece, et non sunt facienda mala ut eveniant bona. Praeterea maiora mala sequerentur.

686. *Quid notandum circa nonam dotem* (*opportune*)*?* Habenda est ratio loci, temporis et circumstantiarum.

Loci; considerando vitia quae in paroecia magis et foedius grassantur, pericula particularia (si quae ibi sint), parochianorum conditionem, educationem, occupationes etc.; ut scilicet Parochus digitum in plaga ponat, inutiliter non loquatur, libenter audiatur, intelligatur etc. *Ben.* XIV (*Const. Etsi minime*) *et Cat. Rom.* (*in proem.*).

Temporis. Antiquae instructiones et homiliae non amplius plene satisfaciunt. Incredulitas, impiae sectae, impii libri, im-

piae ephemerides, impia comitia, impiae ad populum allocutiones, obiectiones sparsae contra religionem et contra auctoritatem Romani Pontificis, principia subversiva, impiae scholae, impiae repraesentationes, templa protestantica, matrimonium civile, sepulturae civiles, crematio cadaverum, novae superstitiones (tabulae rotantes, evocatio spirituum, usus magnetismi ad morbos curandos, ipnotismus etc.), inobservantia adeo magna mandatorum Ecclesiae etc.; sunt mala nova, et pericula nova, quae nova monita novaque remedia exigunt.

Circumstantiarum. Ante bacchanalia: ineunte Quadragesima; appropinquante Paschate; ingruente aliqua publica calamitate; ineunte et finiente anno; appropinquantibus maioribus anni solemnitatibus; occasione Rogationum, aut visitationis episcopalis, aut publicae administrationis Sacramenti Confirmationis; ineunte tempore hyemali (quando serotinae conversationes incipere solent); tempore aestivo, si forte tunc speciatim (prout ruri contingit) furta committantur, dies festi parum observentur, aut occasione triturationis (*colle trebbiatrici*) diebus vetitis carnes comedantur etc.; in his, inquam, et similibus circumstantiis expedit ut Parochus monita praeventiva non omittat, quae valde salutaria et fructuosa esse solent.

687. *Quid si Parochus contra regulas expositas plus vel minus deficeret?* Si deficeret ex negligentia et incuria, facile peccaret; et quidem, si defectus esset valde perniciosus, mortaliter. Si vero defectus solum ex naturali ingenii, memoriae etc. penuria procederet, tunc nihil delinqueret. Tridentinum dicit: *Pro sua capacitate.*

688. *Quid de Parocho, qui sermonem non memoriter recitet, sed illum legat?* Si absque causa cogente ita se gereret, non satisfaceret. Consuetudo quippe sic Tridentinum interpretatur, et sermo memoriter recitatus maiorem vivacitatem et efficaciam habet. Qui tamen ob memoriae defectum solum legere posset, tunc sic quoque satisfaceret, atque (per se loquendo) ad hoc teneretur. Oporteret tamen ut meliori modo possibili defectui suppleret; nempe 1. advocando identidem, sin minus Sacram Missionem, saltem aliquem zelantem Concionatorem; 2. seligendo et cum quadam declamatione recitando homilias magis fructuosas typis editas (si proprio studio illas componere nesciat), atque addendo monita specialia a circumstantiis requisita; 3. non librum legendo, sed sermonem a se ipso scriptum (vel transcriptum) et populo suo accomodatum ante oculos habendo. *Cf. P. Segneri* (*Rammemoraz. in fin. del Crist. istr.*) *Gury* (*II.*

112), *et Bouvier* (*De Ord. de Par. de obl. praed. n.* 8). — Hic ultimus Auctor notat, Sacerdotem huiusmodi impedimento detentum curam animarum suscipere non posse, nisi monito Episcopo; qui tamen non equidem ordinarie, sed in quibusdam circumstantiis, illum nihilominus eligere posset.

689. *Quid de Parochis, qui a sermone habendo se excusant eo quod, v. g.,* 1. *Conciones et Catechismi abundent in aliis Ecclesiis eiusdem civitatis;* 2. *Satis provideatur per Praedicatores Quadragesimales;* 3. *Paroecia exiguissima sit;* 4. *Adsit consuetudo immemorabilis in ea Paroecia sermonem non habendi?* Excusationes istae nihil valent. Decisum. *Vide Lucidi* (*I.* III. 313).

690. *Quid de Parocho, qui ad se excusandum diceret:* 1. *Praedico ope boni exempli;* 2. *Instruo pueros;* 3. *Populus non correspondet, non intervenit, non libenter me audit;* 4. *Nescio praedicare?* Hae quoque rationes practice nihil estimari debent. *Cf. Segneri* (*Rammem. cit.*).

691. *Quibus diebus sermonem ad populum Parochus habere tenetur?* Diebus dominicis et festis de praecepto. *Trid.* (*V.* II. *XXII.* VIII. *XIV.* IV. VII), *Bened. XIV.* (*Const.* Etsi minime, *et Inst. X*) *et S. C. C. pluries.*

Episcopus potest etiam praecipere (si ita oportere duxerit) ut Parochi sive per se sive per alios praedicent diebus quoque ferialibus in Quadragesima et Adventu; imo et alias, quotiescumque id opportune fieri posse iudicaverit. *Trid* (*XXIV.* IV).

692. *Quid de Parocho, qui identidem praedicationem omitteret, sed postea praedicationibus, ad quas non teneretur, suppleret?* Excusari posset (*S. Lig. III.* 209); sed dummodo raris vicibus et rationabili de causa (eo quod, v. g., quibusdam diebus Parochiani indigeant cito expediri) ita se gerat. *Salmant.* (*De III. praec. I.* 138)

693. *Ut Parochi concionem interdum omittere possint* (*quin postea suppleant*), *valentne sequentes excusationes, nempe*

I. *Si in civitate vel dioecesi adsit consuetudo praedicandi solis diebus dominicis, non vero aliis diebus festis de praecepto?* Negative. *S. C. C. apud Acta* (*IX.* 468).

II. *Quando in Paroecia aliquod festum cum magna pompa solemnizatur, aut etiam in duabus vel tribus maioribus anni solemnitatibus?* Excusarentur ex dispensatione Episcopi. *Acta* (*l. c.*). Dispensatio tacita (quod scilicet Episcopus videat et taceat) tunc sufficere videtur.

III. *Parochi in Cathedralibus, quando ibi praedicet Episco-*

pus, vel fiant lectiones Sacrae Scripturae, vel uno verbo aliae sacrae conciones habeantur, saltem si adsit consuetudo tunc sermonem parochialem ad populum non habendi? Negative. *Acta* (*XV.* 323) *et Lucidi* (*II.* IX. 99. *I.* 310).

IV. *Una vel altera vice infra annum propter brevem infirmitatem?* Affirmative. *Bouvier* (*l. c.* 4).

V. *In Quadragesima, si in eadem Ecclesia Concionator Quadragesimalis praedicet?* Affirmative sub duabus conditionibus; nempe 1. si adsit consuetudo (quae in tali casu tolerabilis videtur); 2. dummodo Episcopus aliud non decernat. *S. C. C. apud Lucidi* (*I.* III. 316).

VI. *In Quadragesima, si non in eadem sed in alia Ecclesia* (*v. g. in Matrice*) *conciones quadragesimales locum haberent, et consuetudo esset ut alii Parochi tunc Evangelium non explicarent?* Parochi possunt certe, non obstante tali consuetudine, Evangelium in Missa explicare (*S. C. C. apud Lucidi I.* III. 315); imo sine dubio ad id tenentur.

694. *Parochi tenenturne praedicare personaliter?* Affirmative, nisi iusta de causa excusentur. *Trid.* (*V.* II), *Innoc. XIII, Const.* Apostolici Ministerii, *et S. C. C. apud Lucidi* (*I.* III. 312).

695. *Quaenam sunt causae iustae propter quas Parochus a praedicando in Paroecia personaliter excusari potest?* 1. Infirmitas aut defectus loquelae (ut per se patet); et idem dic de incapacitate loquendi iuxta populi idioma (prout in locis Missionum interdum accidere potest); 2. Absentia legitima; 3. Obligatio canendi Missam conventualem, si Parochus esset etiam Canonicus; 4. Si ageretur de Episcopo - Parocho (intellige quoad praedicationem in Paroecia); vel de Parocho qui regeret etiam aliam Paroeciam vacantem aut unitam non extinctive (intellige quoad praedicationem in hac secunda Paroecia) 5. Maior populi utilitas. Attamen in 4° et 5° casu, sicut etiam in casu parum firmae valetudinis, non putet se liberum Parochus, nisi saltem interdum vocem suam audire faciat (*Bouvier l. c. n.* 4). Praeterea (nisi forte de paucissimis vicibus ageretur, aut nisi Parochus per se ipsum suppleret, iuxta dicta n. 692) oportet ut praedicationem (si possit) alteri committat. *Trid.* (*V.* II) *Ferraris* (*v. Parochus II.* 81). Neque hac in re facultas abessendi in bimestri conciliari quidquam suffragaretur. *Bouix* (*l. c. IX.* 10) *et P. Segneri* (*Parr. istr.* 1. *ult*). Necessitas autem attendendi aliis officiis, et defectus temporis ad se praeparandum poterit quidem excusare Parochum pro aliqua vice, non vero frequenter. Idem dic de adhibenda voce nova ad maiorem

populi utilitatem, nisi forte Parochus ex naturali defectu male praedicaret et aegre audiretur. Caeterum maior populi utilitas valde attendi debet; et proinde, si forte Parochus, propter male firmam valetudinem, primam Missam (in qua maior populi concursus adesset) celebrare non posset, facile excusaretur si Sacerdoti eandem Missam celebranti praedicationem quoque committeret. Caeterum sola consuetudo sive semper sive alternatim alium sibi substituendi legitimam excusationem minime constitueret. Decisum (*Cf. Lucidi I.* III. 312).

699. *Circa hanc substitutionem quid insuper notandum?* Substitutus debet esse 1. idoneus (*Trid. V.* II); 2. Ab Ordinario *loci* approbatus. Seclusa approbatione ista (saltem praesumpta), ne unica quidem vice potest Parochus alium sibi substituere *Bouix* (*l. c. IX.* 6) *et Berengo* (*n.* 61).

700. *Quandonam approbatione solum praesumpta uti poterit Parochus?* Quando ex una parte non de Clerico aut Diacono, sed de Sacerdote noto atque idoneo; et ex alia de raris vicibus agatur. Si vero de casu frequenti aut de praedicatione satis diuturna (v. g., Quadragesimae, Adventus, Sacrae Missionis etc.) ageretur; tunc approbatio expressa necessaria esset. *Lucidi* (*I.* III. 320 321), *Ferraris* (*v. Parochus II.* 79), *Barbosa* (*XIV.* 8), *Bouvier* (*l. c.*) *etc.* Caeterum leges et consuetudines Dioecesanae (si quae essent) attendi deberent.

701. *Quid de Parocho, qui ex una parte propter chronicam infirmitatem, aut magnam balbutiem, aut timorem panicum invincibilem, sermonem ad populum* (*ne legendo quidem*) *habere posset; et ex alia ope substituti stabilis providere impossibile aut plus vel minus difficile ei esset?* P. Segneri (*Rammemor. cit.*) dicit, Paroeciam tunc esse resignandam; sed ordinarie temperamentum advocandi identidem alios Concionatores vel Sacram Missionem sufficere videtur. In dubio Episcopus vel S. Sedes consuli posset; cui etiam in quovis casu spectabit iudicare, utrum defectus adeo damnosus sit, ut Parochus sive ad acceptandum Coadiutorem sive etiam ad resignandam Paroeciam cogi debeat. *Vide supra* (*n.* 634-641).

702. *In Paroeciis, ubi adest consuetudo advocandi Praedicatorem Quadragesimalem, si Parochus praedicet per se ipsum, potestne praetendere emolumentum, quod a Communitate dicto Praedicatori dari soleat?* Negative. *Cf. Bouix* (*l. c. IX.* 4).

703. *Potestne velle semper praedicare per se ipsum?* Affirmat Bouix, eo quod Praedicator Quadragesimalis non pro Episcopo, sed pro Parocho impedito, praedicet. Sed haec doctrina

certa non est (*Cf. Lucidi I.* III. 316); et Tridentino quidem, sed non praesenti disciplinae conformis esse videtur; qua de re indicia sunt sequentia. Hodie, quoad praedicationem quadragesimalem ab alio peragendam, 1. non respicitur an Parochus sit impeditus necne; 2. Emolumentum non a Parocho vel eius Parochianis, sed a Communitate, vel a Parochianis (etiam aliarum Paroeciarum, saltem in multis locis) Concionatori Quadragesimali dari solet; 3. Alii Parochi limitrophi vel eiusdem Plebanatus, non equidem in Missa parochiali, sed hora concionis quadragesimalis a concionando aliave sacra functione perficienda (pariter in multis locis) abstinere debere censentur.

704. *Debentne Parochi praecise intra Missam et post lectum Evangelium sermonem ad populum habere?* Affirmative regulariter. Patet 1. ex generali et antiquissima Ecclesiae consuetudine; 2. ex Trid. (*XXII.* VIII); 3. ex ratione, quia tunc (propter praeceptum audiendi Missam) Christifideles cuiuslibet generis (non vero solum personae magis devotae) adesse solent. *Cf. Lucidi* (*I.* 317).

705. *Notandumne est aliquid circa horam, in qua Missa parochialis celebrari debeat?* De iure communi positivo hac de re nihil statuitur. Alicubi tamen leges dioecesanae praecipiunt, ut sermo ad populum habeatur in prima Missa; imo haec videtur esse consuetudo communis a quovis Parocho valde attendenda; tunc enim maior rudiorum pars intervenire maiorque populi concursus haberi solet. Laudandus tamen Parochus, qui, ad maiorem populi sui utilitatem, iis etiam, qui ultimae Missae intervenire solent, vocem suam interdum audire faceret.

706. *Possuntne unquam impediri Parochi ne intra Missam praedicent?* Negative. Quamvis Urbanus VIII mandaverit, ut, cum Episcopus praedicat, silere debeant eo tempore alii Concionatores; lex ista ad Parochos intra Missam sermonem habentes non extenditur. *Cf. Lucidi* (*I.* III. 318). A fortiori (non obstante consuetudine) nequeunt impediri quin praedicent, eo quod horis pomeridianis Concionator Quadragesimalis, sive in Matrice (*Lucidi l. c.* 315) sive in eadem Ecclesia, praedicare debeat.

707. *Qui simul esset Canonicus et Parochus in Cathedrali possetne, invito Capitulo, sermonem habere ad populum intra Missam conventualem, quando ipse illam celebrare debet?* Affirmative, dummodo praedicet e suggestu et non ultra mediam horam. Decisum. *Cf. Lucidi* (*l. c.* 328).

708. *Potestne Parochus invertere ordinem, et, loco praedicandi*

mane intra Missam, praedicare post meridiem, idque habitualiter propter maiorem populi sui utilitatem? Affirmative. *Berengo* (*n.* 58). Attamen de huius maioris et habituatis utilitatis existentia non praepropere iudicare debebit; considerandum est enim quod viri (et maxime illi qui verbo Dei magis indigent) post meridiem fortasse non veniunt, aut, dum Parochus concionem facit, extra Ecclesiam morantur.

709. *Ab hac ordinis inversione excusaturne Parochus ratione solius consuetudinis?* Negative. *Cf. Lucidi* (*I.* III. 317).

710. *Possuntne Parochi praedicare extra Missam vel post meridiem ea ipsa hora qua praedicat Episcopus?* Negative. *Vide supra* (*n.* 706).

711. *Possuntne praedicare extra Missam et tali hora, ut populus ad concionem quadragesimalem, sive in Cathedrali sive in Matrice, concurrere nequeat?* Negative, si obstet consuetudo quae in loco pro lege habeatur. Quum enim valde intersit, ut conciones quadragesimales (quae ad supplendum Parochorum defectibus ab Ecclesia exiguntur) sustineantur; difficile constabit quod consuetudo ipsa pro abusu haberi debeat. Si tamen ageretur de Paroecia a Matrice dissita, cuius Parochus vere zelans esset, facile contingeret quod Episcopus ad tempus dispensare posset vel etiam deberet.

712. *Quid iuris contra Parochos, qui sermonem ad populum habere negligant?* Trid. (V. II) dicit: « Id vero si quis eorum « praestare negligat....., Episcoporum sollicitudo non desit ne « illud impleatur: — Parvuli petierunt panem, et non erat qui « frangeret eis —. Itaque, ubi ab Episcopo moniti trium mensium « spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu « alias ad ipsius Episcopi arbitrium, cogantur; ita ut etiam, si « ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, « qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec « principalis ipse resipiscens officium suum impleat ».

713. *Potestne Episcopus recurrere ad mulctas pecuniarias?* S. C. C., etsi de potestate Episcopi non dubitaverit, id tamen fieri non decere respondit. *Bened. XIV* (*De Syn. X.* IX. 8).

714. *Utrum hac in re detur parvitas materiae; an vero, sicut Parochus peccaret mortaliter si vel unicam Missam pro populo sive per se sive per alium applicare praetermitteret, ita mortaliter peccet si vel unica vice concionem omitteret?* Ex communissima Theologorum sententia datur parvitas materiae; et ratio differentiae forsan est, quia praedicare aut substituere sibi alium qui praedicet non est res ita facilis sicut applicatio Missae;

unde Parochi nimis gravarentur nimisque conscientiae scrupulis exponerentur, si praeceptum praedicandi personaliter, aut in casu impedimenti alium substituendi, semper urgeret sub gravi.

715. *Quandonam igitur Parochus negligens peccabit mortaliter et quando non?* Regula communior dicit, Parochum peccare mortaliter, si sermonem omittat uno mense continuo, vel tribus mensibus discontinuis (nempe 14 vel 15 vicibus interpolatis in toto anno). Argumentum sumitur ex praedicta poena statuta a Tridentino contra omittentes praedicationem tribus mensibus post monitionem; sed argumentum istud (ut unusquisque facile perspicere potest) rem non evincit. Alii Theologi autem (v. g. Salmanticenses) strictius; et alii (v. g. Suarez De Relig. I.ˇ ii. xvi; Bouvier l. c.; Ballerini II. 112; Lhemkuhl II. 645) mitius loquuntur. Meo sensu, considerandae sunt circumstantiae; et speciatim quanta populus adstringatur necessitate audiendi verbum Dei et praecise in Paroecia; quanti valoris Parochi conciones futurae essent: an agatur de Paroecia magna vel parva; an Parochus ullo detineatur impedimento; an et quantum de Parochi omissionibus Parochiani scandalizentur etc. Parochus, v. g., uno quidem mense continuo sermonem omittit, sed aliis undecim mensibus continuis populum suum diligenter instruit et cum zelo adhortatur; vel omittit quidem sermonem quindecim vicibus interpolatis in toto anno, sed reliquis quinquaginta quinque vicibus cum diligentia et zelo concionem facit. In his casibus peccatum mortale ego non admitterem; populus enim magnam instructionem plurimasque exhortationes a tali Parocho haberet, neque facile de ipso graviter scandalizaretur. Parochus e contra non solum omittit praedicare uno mense continuo vel tribus discontinuis, sed etiam, quando aliis vicibus praedicat, leviter, negligenter, et sine zelo id praestat. In hoc casu grave peccatum facile admitterem. Parochus denique non ex culpabili negligentia, sed ex naturali et invincibili ineptitudine ita praedicat, ut eius sermones parum (ne dicam nihil) valere possint. Tunc omissiones (etiam ultra unum mensem continuum, vel tres menses discontinuos) fortasse de gravi culpa non erunt redarguendae; speciatim si populus iam in aliis Ecclesiis sufficiens pabulum habeat, atque cognoscat quod Parochus non ex mala voluntate sed ex mera ineptitudine praedicare omittit; maxime vero si ille (ad quod caeteroquin sub gravi teneri posset) identidem Missiones aut Exercitia spiritualia aut quid simile populo ipsi procuret.

716. *Quid notandum circa monita (it. avvisi) ?* Parochus debet 1. admonere populum de festis, vigiliis aliisve ieiuniis intra hebdomadam occurrentibus, 2. Proclamare matrimonia; 3. Denunciare nomina eorum qui ad aliquem Ordinem Sacrum proxime promoveri desiderant; 4. Appropinquante tempore administrationis Sacramenti Confirmationis, aut visitationis Episcopalis, de his quoque debet populum admonere; 5. Item de quacumque alia re, quae iussu Episcopi publicari debeat. — Monita de rebus mere saecularibus non fiant, nisi sint de consuetudine, aut ex Episcopi licentia expressa vel saltem certe praesumpta. Notat Bouvier (l. c.) quod nova miracula, aut novae revelationes vel prophetiae, ante S. Sedis recognitionem, annuntiari prohibentur.

§ V.

De instructione et cura puerorum.

717. *Tenenturne Parochi et sub qua culpa instruere pueros?* Utique, et certe sub gravi. *Praxis n.* 731.

718. *Quibus diebus ?* Saltem dominicis et aliis festivis de praecepto. *Trid.* (*XXIV.* IV).

719. *Quid de consuetudine immemorabili catechizandi pueros solum diebus dominicis ?* Parochi non possunt in conscientia tali corruptelae se accomodare. Excipe 1° nisi defectus suppleretur, v. g., diebus ferialibus quadragesimae; 2° nisi (ex discordia) mala maiora provocarentur. *Praxis n.* 733.

720. *Concedunturne feriae?* Negative. *Praxis l. c. et Lucidi* (*I.* 339).

721. *Quantum temporis spatium in catechismo insumendum?* Regulariter una hora circiter.

722. *Qua aetate pueri advocari debent?* Ab anno septimo (et etiam prius, si prius usu rationis potiantur) usque ad annum duodecimum inclusive (quantum fieri possit). *Praxis n.* 735.

723. *Quaenam industriae deserviunt ut pueri assidue et libenter interveniant?* 1° Hora eis magis commoda eligatur. 2° Eorum elenchus quotannis conficiatur, et singulis vicibus advocentur, et qui desunt notentur; aut quotannis cuilibet puero libellus tribuatur, qui singulis vicibus ad Ecclesiam portetur, in eoque (ad interventus testimonium) finito catechismo parochiale sigillum imprimatur. 3° A percussionibus, vituperiis, publicis

irrisionibus etc., quae tam pueris quam genitoribus odiosa sunt, Parochus abstineat; sed ad obtinendum silentium atque attentionem, aliis mediis, quae non desunt, ut infra explicabitur, utatur. 4° Non permittat ut unus contra alium delationes publice sibi faciat. 5° Si divites concurrant, eos cum plebeis et sordidis non confundat. 6° Quae pueris placent adhibeat; cuiusmodi sunt speciatim boni modi; laudes et praemia iuxta meritum, aut sortitio (quae plurimum iuvat) nonnullorum munusculorum (pro interventu) singulis vicibus; cantica spiritualia; exempla etc. 7° Nihil dico de admonitionibus sive in genere, sive in particulari, sive obsecrando, sive etiam increpando et comminando (iuxta prudentiam) quoad genitores, si forte in mittendis filiis ad catechismum negligentes essent.

724. *Potestne Parochus facile condescendere genitoribus, qui dicunt se instruere filios in catechismo per se ipsos, vel per magistros?* Negative; instructio enim, quae a personis saecularibus datur, magisterium Ecclesiae supplere non potest; pueri enim ex una parte in Sacerdotibus (non item in saecularibus) vocem Dei venerantur; et ex alia explicationes (in quibus solis vera instructio consistit, ut infra videbimus) aut nullas, aut insufficientes, aut cum erroribus commixtas habituri essent. Parochus itaque curabit (intellige tamen quantum fieri potest) ut pueri ad se mittantur.

725. *Si genitores dicerent, se mittere filios ad alios Parochos vel Sacerdotes, possetne saltem tunc Parochus facile acquiescere?* Negative. Rationes sunt sequentes. 1° Valde expedit ut parochiani iam inde a pueritia ad paroeciam propriam accedere se assuescant. 2° Si pueri ad ecclesiam propriam accedunt, parochus de accessu ipso eiusque assiduitate certam cognitionem habebit; secus, ut plurimum, in incertitudine versabitur. 3° Pueri maiorem parochi proprii timorem (et proinde maiorem addiscendi curam) habere solent. Familiae quoque magis curabunt ut filii ad catechismum accedant, ne de negligentia a parocho proprio redarguantur. Adde quod parochi proprii maiorem parochianorum suorum curam habere solent. 4° Parochus de facto suo, nempe de diligentia in instruendis pueris, nec non de instructionis ordine, copia et perfectione, certus erit; et non item (ut plurimum) quomodo alii se gerant cognoscere poterit. 5° De hoc extat responsio S. C. C. ad Card. Lambertini. Excipe nisi, attentis circumstantiis (v. g., difficultate itineris) omnino expediret ut facultas adeundi aliam paroeciam vel habendi instructionem ab alio Sacerdote (saltem sub conditione ut i-

dentidem propria paroecia adeatur) tribueretur. *Casus Consc.* (*Cas.* 1. *in fin.*).

726. *Quid agendum ut pueri non evagentur et attentionem praestent?* 1. Pueri sedeant. 2. Sedilia (si fieri possit) ita collocentur, ut pueri nec ad Ecclesiae ianuam oculos vertere tententur, nec invicem se inspiciant. 3. Ad minus tres classes efformentur, et (si fieri possit) unaquaeque in locis separatis proprium instructorem (quoad formulas) habeat. Pueri 7 et 8 annorum in infima; 9 et 10 in media; 11 et 12 in superiore classe regulariter constituantur. 4. Instructor non deambulet, sed eo loco se collocet ut semper unico intuitu pueros omnes inspicere possit. 5. In exigendo silentio firmissimum se esse demonstret. 6. Si quem paullisper evagatum deprehendat, nulla interiecta mora, illum ad attentionem revocet. 7. Si quoad aliquem id non iuvet, illum in loco separato aut prope se collocet. 8. Benevolum quidem se ostendat, sed gravitatem praeseferat; ita ut pueri, dum illum amant, eum etiam timeant ac revereantur. 9. Catechismum explicando, ad modum non concionis sed dialogi procedat, pueros scilicet interrogando, ita ut ex continuis interrogationibus et responsionibus tota instructio perficiantur. (Hoc monitum magni momenti, et, pene dixerim, prorsus substantiale est). 10. Interrogationes ad pueros omnes in globo dirigantur, ita tamen ut non omnes respondere debeant; sed exigatur ut hic vel ille respondeat (ordine non servato), atque etiam interdum exigendo responsum ab illis qui paullo antea responderunt, saepiusque interrogando eos qui facilius evagantur. 11. Instructio sit brevis, et proinde succus attendatur et vana eruditio resecetur. 12. Denique exempla, similitudines, sermonis claritas et familiaritas, laudes, praemia etc., sicut deserviunt ut pueri libenter adveniant, sic proderunt ut attentionem praestent.

727. *Quid agendum ut pueri bene addiscant formulas?* 1. Unicuique classi propria materia intra duos annos evolvenda designetur. 2. Utendum catechismo dioecesano. 3. Curandum ut qui legere sciunt, catechismum ipsum domi habeant; ut sic citius illum memoriae mandent. 4. Curandum ut in familiis zelus docendi catechismum promoveatur. 5. Pauca intra eandem diem Instructor doceat; ordinatim procedat; nec transeat ad sequentem interrogationem, nisi maior puerorum pars bene responderit ad praecedentem. 6. Responsionem ipse prius enuntiet; postea efficiat ut omnes in globo illam secum clare et distincte iterum iterumque repetant; dein singulos (ut supra n. 726. 10) interroget; atque denuo omnes in globo etc. 7. Sub initio ca-

techismi repetantur interrogationes dominicae praecedentis; et in fine proponatur materia dominicae sequentis.

728. *Sufficitne quod pueri formulas bene addiscant?* Negative certe. Patet ex Bened. XIV (Const. *Etsi minime*), et ex ipsa rei natura. Parochi qui catechismum (quoad fidem, atque legem Dei et Ecclesiae, nec non Sacramenta aliaque media salutis) pueris non explicant, sine dubio mortaliter delinquunt. Quid profecto proderunt formulae, si pueri earundem sensum non intelligant? (*Cf. Cas. consc. Cas.* 1).

729. *Quid agendum ut pueri sensum bene intelligant?* 1. Non sufficit suggestum ascendere et instructionem ad populum facere, quamvis tunc pueri quoque praesentes essent. Explicatio pueris facta populo quoque (si praesens sit) deservire potest; sed non viceversa. Instructio ad modum concionis fere nihil pueris deservit. (Recole supra dicta n. 726. 9); 2. Summam claritatem tum quoad ideas et rationes, tum quoad verba, parochus servet. 3. Explicationem valde dividat, atque (ut ita dicam) panem per frustula porrigat; unde (ut supra dicebam) ad modum dialogi (et quidem minuti) procedat; semperque curet ut, quod pueri sensum bene intellexerint, tutus evadat. 4. In hunc finem, non iam interrogationibus iuxta catechismi formulas (dum explicationem facit) sed aliis verbis utatur. 5. Postquam puer interrogatus responderit sive bene sive male, Parochus interroget alium dicendo: *Quid tibi videtur? Rectene respondit?* Dein declaret an bene an vero male responsum fuerit; et, si male, dicat quomodo respondendum fuisset; et, si opus sit, rem melius explicet. Denique eadem super re plures pueros interroget; donec certus evaserit quod omnes satis intellexerint.

730. *Tenebiturne parochus singulis vicibus explicationes facere singulis classibus?* Si hunc laborem susciperet, valde esset laudandus; sed bonum effectum sufficienter obtineret, si singulis vicibus pueris classis superioris instructionem faceret; seriam scilicet et completam instructionem tum circa fidem, tum circa legem Dei et Ecclesiae, tum circa media salutis (Sacramenta, orationem etc.) in biennio eis tribuendo. Imo (in rigore) forte non esset culpandus Parochus, si dictis pueris non singulis vicibus instructionem faceret; dummodo in substantia efficeret, ut (secluso periculo hallucinationis in re tanti momenti) circa omnia praedicta sufficienter instructi remaneant.

731. *Nunquid ergo Parochus a quavis explicatione facienda pueris classium inferiorum se eximere poterit?* Negative. Res enim magis necessariae, quoad fidem, mores, et media salutis,

eis quoque explicari debent. Id autem praestabitur 1. dum ad sacramentum confirmationis praeparantur; 2. identidem infra annum, et saltem (si fieri possit) aliqua vice in quadragesima, ut ipsi quoque ad confessionem disponantur. 3. designando aliqua documenta magis necessaria, quae Instructores (iis classibus praepositi) pueris saepe commemorent.

732. *Quid agendum ut pueri profectum faciendi desiderium habeant?* 1. Imprimis curet Parochus ut percipiant quid sit doctrina christiana; quomodo scilicet distinguatur a scholis profanis, quatenus agitur de verbo Dei, et de via salutis aeternae. 2. Aemulationem excitare satagat; in quem finem (iustitia semper et quadam parsimonia servata) distinctiones, laudes, munuscula maxime vero publica praemiorum distributio (post examen in fine anni) valde deserviunt. Quoad haec praemia, bene esset si in decursu anni distribuerentur singulis vicibus puncta bona ab hoc vel illo promerita propriis genitoris ostendenda, atque ad praemii regulam desumendam in fine anni. Praemia non solum pro scientia, sed etiam pro diligentia, attentione, devotione etc. assignari debent. Non plurima sint, sed nequidem ita pauca ut paucissimi illa sperare possint. Non in pecunia aut dulciariis; sed in imaginibus, coronis, numismatibus etc., maxime vero in libris devotis, consistant. Ad excitandam aemulationem iuvat quoque, si, puero grandiore respondere nesciente, parochus efficiat ut puer minoris aetatis (quem magis instructum dignoscit) respondeat. 3. Ut pueri addiscendi maiorem curam habeant, deservit etiam si moneantur, quod, nisi talem vel talem catechismi partem bene sciverint, ad Confirmationem, vel Communionem non admittentur etc.

733. *Sufficitne curare ut pueri catechismum addiscant?* Negative; Parochus enim eorum mores respicere debet; cavendo imprimis ne occasione catechismi in aliquod spirituale offendiculum incurrant; et dein procurando ut iam inde ab iis teneris annis vitia declinent, virtutes exerceant, et uno verbo in vita vere christiana assuefieri incipiant.

734. *Quomodo cavebit Parochus, ne pueri occasione catechismi in aliquod spirituale offendiculum incurrant?* 1. Explicationes, quae spectarent ad sacramentum matrimonii, virginitatem Mariae SS.mae et sextum praeceptum, qua parte in malitiam coniicere possent, praetermittat. Dixi *qua parte*; oportet enim summopere ut pueri etiam contra peccata in materia sexti praemuniantur. Sed hoc ita praestari debet, ut, si adhuc innocentes sint, malitiam non addiscant; quod obtinetur loquendo

in genere de signis (e. g., erubescentiae, timoris punitionis etc.), quibus dignoscitur aliquid esse malum et peccatum. 2. Loquendo de defectibus qui ordinarie solent esse veniales, caveat ne istorum malitiam ita exaggeret, ut pueri exinde colligere possint esse mortales. 3. Non solum pueros a puellis separatos servet, sed etiam curet ne in sedilibus ita collocentur, ut illi istas in facie conspiciant. 4. Dum ad Ecclesiam venire incipiunt, curandum ut aliquis sit praesens eisque invigilet, ne in ipsa ecclesia aliquid mali faciant, maxime vero ne duo eodem tempore ad loca secreta se conferant. 5. Curandum est etiam ne extra ecclesiam, dum ad catechismum veniunt aut ab ipso recedunt, per viam immorentur. Monita hac de re pueris, et aliquando genitoribus dentur. Ruri aliqui boni parochi exigunt, ut pueri processionaliter et recitando rosarium veniant et redeant, aliquo cum cruce praecedente. Certe optima regula est prius foeminas, et dein solum circiter post horae quadrantem masculos domum mittere. Bona regula est etiam (intellige semper ruri) campanae sonitu significare genitoribus catechismum esse finitum, ut, si forte pueri in via immorentur, id cognoscere eosque punire possint. 6. Puellae, speciatim grandiores, clericis instruendae non dentur.

735. *Quomodo procurabit Parochus, ut pueri iam inde a teneris annis vitia declinent, virtutes exerceant, et vitae vere christianae assuefieri incipiant?* 1. Monita moralia maioris momenti (circa fugam peccati et occasionis peccati; poenitentiam post peccatum; orationes matutinas et vespertinas nec non adveniente tentatione; memoriam praesentiae Dei et aeternarum veritatum; frequentiam Sacramentorum etc.) antequam discedant, semper vel fere semper illis dabit. 2. In exhortationibus non remisse sed ita ferventer loquatur, ut pueri etiam ex eius vultu, voce, gestibus etc. cognoscant quod ex corde loquitur et de rebus magni momenti agitur; neque solum intellectu addiscant, sed etiam affectu moveantur. 3. Explicando catechismum, pro re nata ad applicationes morales (etsi breviter) descendat. 4. In ipsis correctionibus advertentias morales immisceat (v. g.: Itane timorem Dei habes?... Nonne scis quod ecclesia est domus Dei etc.?) 5. Efficiat ut in Ecclesia non solum sint devoti, sed semper occupati in piis operibus; v. g., visitando SS. mum Sacramentum, peragendo *Viam Crucis*; et speciatim ut Missam reverenter audiant, rosarium recitando, aut librum devotum legendo; praecipue vero ut ad Confessionem iam inde ab anno septimo frequenter accedant; ad quod

obtinendum optime deserviret, si quolibet mense fixus designaretur dies, in quo (post missam parochialem) omnes ad confessionem (piis foeminis eos praeparantibus) accedere possent. 6. Si Parochus exercitia spiritualia aut missionem paroeciae procuraret, valde expediret si pueri separatim a populo advocarentur.

736. *Obligatio catechizandi pueros estne personalis, an vero posset parochus id muneris alteri committere?* Quoad formulas certe potest Parochus aliena opera uti; dummodo sit certus quod bene praestetur. Quoad explicationem vero, iuxta praesentem disciplinam, obligatio est Parocho personalis. Patet ex declaratione Inn. XI. dicentis: « teneri per se ipsos docere (pueros) ». *Cf. Lucidi* (*I. n.* 338). Si sit impeditus, curet ut Sacerdos bene instructus eius vices suppleat; sed clericis non fidat.

737. *Quid si ob Paroeciae vastitatem oporteret ut aliqua puerorum pars alibi instrueretur?* Tunc etiam Parochus non omnino eximeretur ab illorum puerorum instructione; sed identidem, et speciatim occasione admittendi eos ad Confirmationem et primam Communionem, eos non solum quoad formulas, sed praecipue quoad sensum, instruere vel examinare deberet. Idem dic de pueris divitibus, qui alicubi solum ea occasione ad Parochum mitti solent. *Cf. Bened. XIV. Const.* Etsi minime.

738. *Quid notandum circa primam Communionem?* 1. Apud nos expedire non solet ut pueri ad primam Communionem admittantur, nisi prius catechismum didicerint; frustra enim speraretur ut illum postea addiscerent. Ad summum admitti poterunt pro una vice, persoluto primo anno in classe superiori, dum admittentur absolute in fine secundi anni (*Cf. Bened. XIV. Const.* Etsi minime *et Praxis* 742). Attamen si iam adolescere inciperent, admittendi essent ad Communionem, etsi adhuc catechismum non bene didicissent. Certe non ultra an. 14. expectari posset. *Frass.* (*Man. n.* 335). 2. Uno anno priusquam ad Communionem admittantur, expedit admonere illos ut in talem finem frequentia maiori (v. g., bis in mense) ad confessionem accedant. 3. Duabus vel tribus hebdomadis ante primam Communionem quotidie ad Ecclesiam vocentur, et non solum circa ea quae ad hoc Sacramentum spectant, sed etiam circa necessitatem perseverandi, necnon circa pericula et media salutis, instruantur. Si forte in loco impiae sectae vigerent, parochus specialissimo modo contra easdem illos praemunire deberet. 4. Triduo proxime praecedenti curet ut exercitia spiritualia eis suppeditentur, cum exhortatione ut non iam consuetam, sed generalem confessionem peragant, nullum grave peccatum ex

verecundia reticendo. 5. Expedit ut confessarius non eiusdem loci eorum confessiones audiat. 6. Non expedit ut moneantur de venia petenda genitoribus. 7. Sacra functio cum pompa (quantum poterit) peragatur. 8 Curandum ut eidem functioni puerorum genitores intersint, qui ferventissime adhortandi sunt ut filiolos suos a periculis custodiant, et speciatim absolute impediant ne in praedictarum sectarum abyssum se coniiciant. Hoc in puncto verba gravissima necessaria sunt. 8. Denique pro memoria diei adeo solemnis (qui expedit ut sit festivus etiam in familia) munusculum pueris dare convenit.

739. *Quid si in paroecia adesset aliquis surdo-mutus?* Surdo-mutus ex una parte est doli capax, et quidem probabiliter peccato mortali gratiam Dei amittere potest; et ex alia maximum subit periculum, ne divinae revelationis ideâ, et proinde fide actuali et iustificatione post culpam, perpetuo careat. Facile quidem actus religionis exercebit et fortasse magnae devotionis signa dabit; sed maxime verendum est, ne rerum sacrarum sensum non percipiat, et ex mero imitationis instinctu omnia peragat. Curabit itaque parochus ut surdo-mutus iuxta modernas methodos verba scripta intelligat; sic enim ope scripturae tuto et sufficienter de omnibus rebus fidei et religionis instrui poterit. Si autem id fieri nequeat, tunc curabit ut a matre (quae forsan aliis omnibus aptior erit) instruatur, attamen sub sua directione, et (saltem identidem) se praesente. Instructio autem dabitur ope gestuum et imaginum, modo sequenti. Imprimis dabitur surdo-muto aliqua idea Dei, ope imaginis SS.mae Trinitatis (in qua tamen Filius non repraesentetur ut crucifixus; quae idea opportunius dabitur ei postea). Dein curandum ut intelligat aliquo modo non solum tres illas personas esse unum Deum; sed etiam Deum creasse coelum et terram (deserviet imago Aeterni Patris exequentis creationem, indicando quod omnia ab illo facta fuerunt). Postea ei significabitur Deum esse infinite bonum, hominum amantissimum, sapientissimum et veracissimum. Dein dabitur ei idea Dei loquentis cum hominibus et dicentis 1. bonum esse faciendum, et malum (v. g., furtum, homicidium, mendacium etc.) esse vitandum; 2. adesse paradisum (seu locum delitiosissimum in coelo) pro bonis; et infernum (seu locum ignis et tormentorum sub terra) pro malis; 3. Filium Dei descendisse in Mariam Virginem, et ex ea natum fuisse etc., ut tandem moreretur in cruce ad paradisum nobis aperiendum (Deserviunt imagines; quae nativitatem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem et ascensionem

D. N. I. Christi, atque iterum SS.mam Trinitatem, repraesentant, curando ut surdo-mutus semper intelligat Christum esse Deum); 4. Deum condonare nobis peccata, si ea detestemur eaque amplius committere non velimus, atque Sacerdoti confiteamur; 5. Dominum N. I. C. esse in hostia consecrata.

740. Supposita hac instructione, surdo-mutus non solum absolvi poterit (saltem sub conditione) toties quoties sua peccata confitebitur; sed etiam ad Communionem poterit admitti; et, uno verbo, non erit cur ab aliis christifidelibus distinguatur. *Cf. Roetti*, *Del Vecchio* (*I.* 285), *et Frassinetti* (*Man. in fin.*).

741. *Potestne contingere quod Parochus teneatur docere vel examinare in particulari alios quoque praeter pueros?* Affirmative; scilicet 1. Sponsos ante matrimonii publicationes; 2. poenitentes de quibus animadvertat vel dubitet quod necessaria ignorent; 3. si in paroecia adesset aliquis, qui ex una parte ad Ecclesiam nunquam venire posset, et ex alia instructione indigeret, eamque a parocho suo libenter excepturus esset. *Cf. Bened. XIV. Const.* Etsi minime; *S. Lig.* (*Hom. ap. VII.* 35), *D' Annib.* (*III.* 519), *Lhemkuhl, Croix etc.*

§ VI.

De Sacramentis
Quoad ea quae praecise ad solum parochum spectant.

PUNCTUM I.

De parocho quoad baptismum.

742. *Debetne parochus et quomodo instruere populum circa baptismum?* Affirmative. Instructio versabitur 1. circa essentiam, effectus et necessitatem baptismi; 2. (quatenus opus sit) circa obligationem deferendi infantem ad sacrum fontem quamprimum (*Rituale*), scilicet ad summum intra triduum. 3. Circa obligationem et modum baptizandi puerum privatim si in mortis periculo versaretur, deferendo postea illum, si supervivat, ad sacrum fontem pro coeremoniis. (Haec instructio repeti debet pluries singulis annis. *Frassinetti, Man.* 294). 4. Circa patrinos eorumque munus, et speciatim circa cognationem spiritualem constituentem impedimentum matrimonii, quae exinde derivat.

743. *Potestne parochus habere ullam obligationem circa obstetrices?* Utique; eas scilicet examinandi accurate 1. circa

formam et materiam baptismi, notando speciatim ne unus proferat verba et alter aquam infundat. 2. Circa baptismum conferendum (saltem conditionate) foetibus immaturis et abortivis etc. Examen istud fieri debebit quoad illas, quae nunc primum tale officium exercere incipiunt, speciatim ruri. Quoad alias vero sufficiet si examinentur, insurgente dubio; aut (nisi iam constet de earum peritia) dum infantem deferunt pro coeremoniis et dicunt se domi illum baptizasse. Haec omnia intellige, nisi obstetrices ab episcopo iam fuissent approbatae, prout fieri deberet. *Cf. Baruffaldi* (*Tit.* 93. *n.* 19).

744. *Potestne parochus baptizare pueros alienae paroeciae?* Seclusa consuetudine, negative; et graviter peccaret.

745. *Debetne parochus sacramentum istud conferre personaliter; an vero potest delegare alium sacerdotem aut diaconum?* Potest delegare sacerdotem; sed non diaconum, nisi de expressa episcopi licentia. *Berengo* (*n.* 78).

746. *Quid notandum circa residentiam si in ecclesia parochiali adsit fons baptismalis?* Tunc parochus ad residendum sive personaliter sive per vicarium, speciatim ruri, strictius tenetur, ut per se patet.

747. *Quid si neonati parentes ex aliqua causa peterent licentiam differendi baptismum ultra triduum?* Alicubi leges synodales ex causa permittunt dilationem, v. g., octo dierum (intellige semper speciali adhibita vigilantia ne infans interim sine baptismo moriatur). Caeterum Parochus nulla potitur facultate ultra legum statuta concedendi licentiam; et proinde in casu parentes dissuadere deberet; valde interest enim (maxime hodie) ne in re adeo periculosa abusibus ianua aperiatur. Si autem parentes insisterent, episcopus interpellandus esset.

748. *Quid si parentes peterent ut neonatus* (*qui caeteroquin in periculo mortis non adsit*) *domi baptizetur?* Exceptis filiis Principum, Rituale vetat, ne quisquam sive privatim sive solemniter baptizetur domi extra casum necessitatis. Parochus itaque vel parentes dissuadebit, vel saltem (ut in casu praecedenti) interpellabit episcopum. Quomodo autem episcopus se gerere debeat, vide Decr. 5688. S. R. C. (27. *Apr.* 1877), et Frassinetti (*Man.* 299).

749. *Quid si parentes infantem baptizare nollent?* Parochus omnem curam adhibere teneretur, ut impii parentes a tam nefario proposito desisterent. Si nihil proficeret, rem deferre deberet ad episcopum; vix unquam enim expedire potest ut baptismum utroque parente reluctante (nisi puer hic et nunc in

periculo mortis versaretur) conferatur (etsi secreto). *Gousset* (*II.* 81) *et Del Vecchio* (*II.* 443).

750. *Quid si, solo patre fortiter reluctante, mater baptismi collationi consentiret?* Tunc puer baptizari deberet. *Cf. Lhemkuhl* (*II.* 84) *et Bened. XIV.* (*Const.* Postremo mense *n.* 16). Caute tamen procedi, et episcopus tunc etiam consuli deberet; pater enim (nisi secreto et caute administratio fiat) de violatione patriae potestatis querelas interponere posset. Adde discordiam etc.

751. *Si duo coniuges protestantes, deficiente ministro proprio, exhiberent parocho proprium infantem baptizandum, declarantes, sese per hoc haud intelligere obstringi ad eum educandum in religione catholica, poteritne parochus eum baptizare, ut interim in tuto ponat innocentis infantuli aeternam salutem, praescindendo ab eo quod in futuro evenire possit, quando ad aetatem discretionis pervenerit?* Negative, praeterquam in periculo mortis. *S. C. S. O.* (26. *Aug.* 1885), *apud Acta* (*XVIII. pag.* 343).

752. *Quid si pater sectae acatholicae nomen dedisset, et vellet ut filius a ministro haeretico omnino baptizaretur; mater autem catholica vellet ut prius a catholico baptismum reciperet?* Si baptismum ab haeretico conferendum impediri non possit, tunc si futurum sit validum, non erit prius ab alio conferendum (secus enim rebaptizatio locum haberet). Si autem baptismum haereticorum, esset invalidum vel dubium; tunc puer sive a sacerdote catholico sive a matre ipsa, sive ab alio (prout prudentius fieri poterit) erit administrandum, episcopo consulto. *Del Vecchio* (*II.* 445).

753. *Quid si infidelis adultus baptizari peteret?* Standum Rituali; et maxime notandum quod, si commode possit, episcopus tunc quoque consuli debet. Specialis autem prudentia exigitur, si qui petit sub patria potestate adhuc existat. *Del Vecchio* (*II.* 444).

754. *Quid si mulier gravida in periculo mortis versetur?* Si nulla adsit spes extrahendi foetum vivum post mortem matris per operationem caesaream (si nempe iudicio medicorum iam sit mortuus; aut, ut dicit Capellman, non adhuc tres menses a conceptione transierint), tunc parochus ad nihil tenebitur. In casu contrario, tempestive curare debebit ut actu mortis medicus interveniat et operam suam praestet; ad quam praestandum iuridice quoque cogi posset, si foetus maturus foret aut saltem vitabilis septimo mense iam incoepto. Mortua matre et

medico non adhuc veniente, venter defunctae calidus interim servari deberet. Caeterum parochus ad operationem adeo sibi indecentem per se exequendam, meo iudicio, non teneretur, et poenis quoque a lege civili comminatis subiici posset. *Cf. Praxis* (*Ed. I. pag.* 675).

755. *Quid notandum circa inscriptionem baptismorum in libro parochiali?* Parochus observare debet normam indicatam a Rituali (*Tit.* Formulae scribendae); et si proles ex legitimo matrimonio nata non fuisset, parentibus ignotis illam adscribere deberet. Si tamen de matre certe constaret, ei adscribenda esset, dummodo (N. B.) absque ulla infamiae occasione (atque adeo ea ipsa petente) id fieri posset. Patris illegitimi nomen ex sola matris petitione scribi non debet (saltem modo absoluto); sed oportet ut ipse praecise id petat; imo theologi aliqui volunt insuper ut se subscribat; quod tamen in praxi difficile esse solet. *Cf. Baruffaldi Tit.* 93. *n.* 7), *Berengo* (*n.* 88), *et Monit. Eccl.* (*IV.* II. *pag.* 16). Caeterum regula optima est sequens:

Praeter librum consuetum, habeatur alter liber pro notitiis secretis. Si infans sit filius matris coniugatae cum marito conviventis, coniugibus semper adscribatur, et nulla instantia in contrarium audiatur; sed, si quis reclamet, ad iudicem mittatur. Si genitores civili dumtaxat matrimonio iuncti essent, id notari deberet. Si ambo genitores sint ignoti, aut non consentiant ut eorum nomina ullo modo appareant, tunc solum in libro consueto baptismus adnotetur sub formula *ex ignotis parentibus*, seu *de domo Dei.* Si autem deferatur quidam infans tamquam illegitimus et natus ex matre non coniugata vel non convivente cum marito, sed ita ut illa consentiat aut exigat ut proprium nomen indicetur; tunc duplex fiat inscriptio. Prior in libro consueto sub formula *de domo Dei*, et altera in libro secreto indicando nomen matris. Si vero, qui puerum deferunt, patris quoque nomen denuntient; tunc in libro secreto illud quoque indicari poterit, sed caute (dicendo v. g., *ut dicitur, ut aiunt, ut relatum fuit*, *ut instituerunt scribi* etc.), nisi de patris ipsius consensu vel instantia certitudo omnimoda habeatur. Inscriptione autem facta in libro secreto, spatium relinquatur, ut prolis legitimatio (si forte in posterum subsecutura esset) adnotari valeat.

PUNCTUM II.

De parocho quoad sacramentum confirmationis.

756. *Quales sunt parochi circa sacramentum istud obligationes?* Debet instruere populum circa naturam, et effectus huius sacramenti; circa obligationem illud suscipiendi; circa aetatem; dispositiones; patrinos etc. Debet insuper specialem adhibere curam 1. (certiorem faciendo episcopum) si in paroecia sua multi sine hoc sacramento iam adolescere inciperent; 2. si aliquis iam adultus neque adhuc confirmatus esset (maxime occasione sacrae visitationis); 3. si puer esset moribundus, et episcopus soleret ad privatas domos in hunc finem accedere, idque facile obtineri posset. Debet etiam disponere pueros ad hoc sacramentum, speciatim occasione illius publicae administrationis. Debet denique inscribere confirmatos in libro parochiali (si in dioecesi talis sit consuetudo) iuxta formulam in Rituali praescriptam. *Cf. Frassinetti* (*Man. n.* 302).

PUNCTUM III.

De parocho quoad sacramentum Eucharistiae in ecclesia administrandum.

757. *Quid de instructione circa sacramentum istud populo danda?* Agendum est 1. de institutione; 2. praesentia reali; 3. obligatione; 4. effectibus; 5. dispositionibus a parte corporis; 6. dispositionibus a parte animi; 7. frequentia. Instructioni autem fervidas exhortationes (maxime circa frequentiam et dispositiones) parochus superaddat.

758. *Quandonam tenetur parochus Eucharistiam administrare?* Non solum in paschate, sed toties quoties communicandi adsint.

759. *Quid de gradu culpae si recusaret?* Etsi absque magna petentis turbatione, bonis modis, et solum rarissimis vicibus se eximeret, certe aliquo modo peccaret (intellige nisi iustâ causâ impediretur). A culpa mortali autem excusari non posset 1. si ex systemate solum in paschate Eucharistiam distribuere vellet; 2. si, denegando grave scandalum suscitaret; 3. si denegatio in petentis infamiam et iniuriam redundaret; 4. si magnam turbationem petenti inferret.

760. *Obligatio ministrandi Eucharistiam estne personalis;*

an vero parochus potest delegare alium, sive sacerdotem sive diaconum? Die paschatis debet ministrare Eucharistiam personaliter, nisi legitime impediatur. *Rituale.* Infra annum potest delegare alios sacerdotes; sed non diaconum, nisi deficiente sacerdote. *S. Lig.* (*VI.* 237).

761. *Quid de parochis, qui non equidem prorsus recusant, sed petentes ut expectent cogunt, vel ad communionem frequenter accedentes irrident, spernunt etc.?* Peccant, ut per se patet.

762. *Debetne parochus repellere aliquos a sacra mensa?* Repellere debet actu et certe indignos, si absque infamia eos repellere possit. Casum habes 1. in muliere quae valde immodeste accederet; 2. in publico peccatore, cui si Eucharistia administraretur, christifideles de hac ipsa administratione valde scandalizarentur; prout contingeret in publica lupanaris meretrice; in publicis concubinariis cum filiis modo uxorio conviventibus, aut matrimonio civili coniunctis; in publicis excommunicatis si manifeste sint adhuc impoenitentes etc. 3. etiam in peccatore occulto, seu (ad rectius loquendum) impoenitente occulto, si occulte peteret et absque ullo infamiae periculo repelli posset: quod (uti patet) in praxi vix unquam accidit. *Cf. De Occas.* (*n.* 149).

Attamen, si parochus praevideret quod parochianus omnino repellendus Eucharistiam esset publice petiturus, tempestive procurare deberet ne id accideret. In casibus dubiis consulat episcopum; et, si tempus non suppetat, Eucharistiam potius ministret quam deneget.

763. *Potestne parochus titulo nimiae frequentiae aliquem repellere?* Negative. Patet ex Decr. S. C. C. (12 *Febbr.* 1669) dicente: « Nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie « accesserit, repellatur ». Iudicium de hoc ad confessarium, non ad parochum spectat.

764. *Quid de iis qui, etsi proprie infirmi non sint neque in lecto decumbant, tamen fere quovis momento per modum cibi vel potus aliquid sumere indigent, et sic ieiunium ad Communionem requisitum nunquam servare possunt?* Hi certe (secluso indulto apostolico) infra annum communicare nequeunt; obstant enim leges ecclesiae 1. de ieiunio naturali, 2. de non administranda Eucharistia horis nocturnis (*S. R. C. Decr.* 4526. *ad* 37, *et Bouix de Par. V.* v. 2). Quum tamen Communio annua (seu paschalis) probabiliter sit de praecepto divino (quod praevalet ecclesiastico), Eucharistia ministrari potest praedictis ieiunis statim post mediam noctem (*Gury II.* 334). Si autem

id quoque moraliter impossibile esset, tunc etiam (eadem vigente ratione) lex ieiunii cessare videretur. Attamen (ad scandalum avertendum) licentia episcopi peti deberet.

765. *Quid de semifatuis?* Hodie theologi dicunt, solum in paschate communionem eis concedi posse (*S. Lig. VI.* 303). Alii vero indulgentiores sunt (*Lhemkuhl II.* 147, *Ballerini II.* 321. *a*). Non loquendo de confessario sed de parocho, dicerem parochum semifatuos a sacra mensa reiicere nec debere nec posse, nisi irreverentias committant aut constet quod panem a pane non distinguant. Eos itaque admittat, speciatim si consuetudo loci talis sit, maxime vero si secus turbationes provocarentur.

766. *Quid de surdo-mutis methodice non instructis?* De his quoque rigidius loquuntur theologi (*cf. S, Lig.* l. c. *et D' Annib. III.* 133); maxime quia hodie fere certum est quod fidem actualem, ad iustificationem post mortale peccatum necessariam, habere nequeunt. Meo sensu scrupuli hac in re iniici non debent, etsi non solum in paschate sed etiam infra annum surdo-mutus Eucharistiam petat; supposito tamen semper quod reverenter accedat. Rationes sunt sequentes. 1. Non est prorsus indubitatum qnod surdo-muti fide actuali careant, maxime quia interna illustratione donari possent, dicente D. Th. (*De verit. XIV.* XI. *ad* 1): « Certissime tenendum est quod ei Deus vel « per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad creden- « dum necessaria ». 2. Quis scit an surdo-mutus peccato mortali gratiam amiserit? 3. Eucharistia antiquitus dabatur etiam infantibus ad gratiae augmentum. 4. Reverenter accedendo, iam ex hoc ipso surdo-mutus panem a pane distinguit. 5. Hae miserae creaturae tot aliis auxiliis spiritualibus privantur. Eccur itaque hoc etiam sacramento destituentur, quod illis utile esse posset? 6. Nullam habemus ecclesiae prohibitionem (*cf. Rituale*). 7. Praxis est ut etiam infra annum surdo-muti (etsi non instructi) ad sacram mensam admittantur (*Roetti pag.* 32). 8. Repulsio non solum eosdem sed etiam eorundem familias facile offenderet.

767. *Quid de obsessis aut infestatis a daemone?* Ab hoc sacramento, quo plurimum et longe magis aliis indigent, arceri non debent (*S. Lig. VI.* 303). Excipe nisi irreverentiae intolerabiles locum haberent; ut puta, si daemon ad ieiunium prius frangendum, ad os diu obserandum (ne sacra particula recipi possit), ad sacras species expuendas etc., eos cogeret; aut si eorum os stercore conspurcaret, vel illos (cum turbatione devotionis) in terram coniiceret, ad clamorem excitaret etc.

768. *Quid deservit (maxime in civitatibus et oppidis) ut personae piae diebus quoque ferialibus ad sacram mensam accedant?* Praeter exhortationes (ut supra), deservit speciatim 1. si Missae summo mane horisque fixis quotidie celebrentur, et SS.ma Eucharistia, quin personae expectare cogantur, administretur; 2. si Confessariorum copia praebeatur; 3. si virtutes (speciatim castitas) floreant; 4. si SS.ma Eucharistia convenienti decore conservetur et distribuatur. Quid enim si, v. g., conopoeum esset deforme et lacerum, stola succida, tobalea sordida? Personae, speciatim civilis conditionis, ab his abhorrent.

PUNCTUM IV.

De Parocho quoad Sacramentum Poenitentiae in Ecclesia administrandum.

769. *Quid notandum circa confessionalia aut alia loca confessionibus destinata?* Confessionalia collocentur in loco patenti, atque ita, ut nimis prope nec sedilia nec genuflexoria adsint. Bene est si cortinis (quae confessarium obtegant) muniantur, dummodo loci consuetudo id patiatur. Curandum ut ostiola bene et facile claudi possint; secus enim poenitens, ab alia parte genuflexus et expectans, verba confessarii audiret. Si confessionalia nova fieri debeant, curandum ut tam pro confessario quam pro poenitentibus commoda sint, atque ut foramina cratum sint minutissima et rotunda, non vero oblonga.

Locus aptus et specialis ad excipiendas confessiones virorum semper erit utilis, et poterit quoque esse necessarius. Confessionale etiam, aut tabula cum crate pro mulieribus surdis, ut sic melius modestiae consulatur, in sacristia aut alio loco congruo, valde conveniens esset.

770. *Quid notandum circa parochi iurisdictionem?* Iurisdictio in parochis ex ipso officio provenit quoad parochianos, nec respicit territorium bene vero personas; unde parochus etiam extra dioecesim parochiani sui confessionem valide semper (atque etiam licite si privatim, aut de consensu rectoris ecclesiae) excipere potest. Dixi *quoad parochianos;* nam quoad alios iurisdictio est delegata. Haec tamen delegatio alicubi semper subintelligitur, non solum quoad eos qui ad ecclesiam parochialem se conferunt, sed etiam pro tota dioecesi.

771. *Quid notandum circa auditionem confessionum foeminarum in ecclesia quoad tempus et decentiam?* « Confessarii

« sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post « crepusculum vespertinum et ante auroram » S. C. Epp. 21 Ian. 1620. Data necessitate, vel causa iusta (maxime pro casu extraordinario), lumina apponantur, et saltem aliquae aliae personae adsint in ecclesia. Diurno quoque tempore nullius foeminae confessio audiatur, ianuis *omnibus* ecclesiae clausis.

772. *Quid notandum circa obligationem, quam parochus habet, audiendi confessiones; et parochianos suos ad confessionis frequentiam adhortandi?* Obligatio audiendi confessiones in parocho est personalis; imo, dicit Croix (III. I. 752), hanc praecipuam existimari pastoralis curae partem. Ille saepe saepius in concione parochianos (iam a se, ut suppono, rite instructos), et speciatim viros, ferventer adhortabitur ut (maxime si in peccato mortali versentur) sacramenta frequentent; monendo etiam genitores et heros, ut filios (iam inde ab anno septimo) et famulos suos ad confessionem mittant. Ipse autem ad minus diebus festis promptus atque assiduus operam suam praestabit. Certe a gravi peccato excusari nequeunt parochi, qui solum in paschate ad confessionale se conferunt. Dicunt: poenitentes non adsunt. Sed cur non adsunt? Utique quia sciunt ecclesiam esse clausam, aut parochum dormire, vel utcumque ad confessionale se conferre nolle. Dixi *ad minus diebus festis;* speciatim enim in magnis paroeciis, oppidis et civitatibus, potest esse valde laudabile (aut etiam necessarium et obligatorium) ut parochus diebus quoque ferialibus in confessionali praesto sit. Certe si sit requisitus, quacumque die et hora, parochianorum (si tamen indiscrete et irrationabiliter non petant) confessiones audire tenetur.

Muneri autem suo deficeret parochus non solum si recusaret; sed etiam si poenitentes expectare cogeret, vel taedium ostenderet etc.

773. *Quid notandum circa sacerdotes in auxilium pro hoc officio adhibendos?* Quamvis parochus personaliter se praestare debeat, id non impedit quominus adiutores sibi adsciscat. Hoc semper laudabile erit, imo passim plus vel minus necessarium. Ubi difficile est quod parochiani alibi se conferant, oportet omnino ut parochus identidem confessarium extraordinarium paroeciae suae procuret; idque speciatim in paschate. In paroeciis satis amplis vicarius stabilis (etiam in hunc finem) exigi poterit; et interdum ille non sufficiet, sed alii confessarii quoque procurari debebunt. Videndum tamen quales sint, ne forte potius nocumentum quam adiumentum afferant. Caeterum pa-

rochus omnimodam libertatem parochianis relinquat, ut etiam ad alias ecclesias se conferant pro confessione; et hac de re nullam nec publice nec privatim querimoniam moveat, aut displicentiae signum praebeat. Si tamen fere nemo ad illum accederet, valde attendere ne ex aliquo magno defectu proprio id accideret, et (quatenus ita esset) se emendare deberet.

774. *Quid speciatim notandum circa viros?* Magna commoditas viris praestari debet; ipsi enim expectandi patientiam non habent, graviora peccata habere solent, et, si quando accedunt commoditatem non inveniant, difficile cito redibunt. Optimum factu erit, si singulis diebus festis (et maxime tempore paschali) prius viri omnes (qui valde diluculo venire solent) in sacristia audiantur, et postea (missâ celebratâ) in confessionalibus audiantur foeminae. Pessime se gerunt illi parochi qui viros despiciunt, aut eos aegro animo audire palam faciunt, aut totam eos audiendi provinciam (quae profecto maioris momenti est) vicario relinquunt.

775. *Quid notandum a parocho circa personas devotas?* Hae (quantum fieri potest) diebus ferialibus (speciatim in oppidis et civitatibus) audiantur, ne diebus festis alii qui magis indigent audiri vel nullo modo possint vel solum perfunctorie. Dictae personae devotae solent esse matres familias aut aliae foeminae pauperes, quae necessitatem habent se cito expediendi, atque ordinarie summo mane dumtaxat venire possunt, et illucescente die domum redire coguntur, ut rebus familiaribus consulant, aut laborando victum sibi comparent. Ex sacramentorum frequentia in his personis magnum bonum sine dubio provenit; sed, uti patet, necesse est ut parochus (cui tale bonum cordi sit) semper citissime e lecto surgat, et sic (magnum meritum sibi comparaturus) non leve incommodum subeat. Curet ut vicarius idem faciat. Orationem autem et meditationem ad aliud tempus differat.

776. *Quid notandum a parocho circa usum scientiae in confessionali habitae ad externam gubernationem, et circa sigillum?* Caveat solertissime parochus ne scientia confessionis ad aliquam externam paroeciae gubernationem utatur; nec facile roget poenitentes ut eorum dictis ad aliquod monitum vel aliquam correctionem uti possit; quamvis enim poenitens consentiret, de re periculosa semper ageretur. Insuper non debet uti confessionali ad inquirendum de parochianorum moribus; huiusmodi enim praxis pessimas habet consequentias, ut videbimus infra (*De correctionibus*). In acceptando onere exequendi

restitutiones pro parochianis (maxime vero in illis reapse exequendis) cautissime procedat, propter periculum ne is cui restitutio fit, aut cui efficienda committitur, in cognitionem vel suspectum personae devenire possit. Notandum denique quod, si forte ex scientia externa iam aliquid sciat atque ad remedium apponendum procedere debeat, adveniente delinquente pro confessione, prudentia exigere potest, ut (antequam confessionem incipiat) dictam suam scientiam illi significet. Si vero solum post auditam confessionem ea de re scientiam externam acquirat; tunc maxime caveat ne violati sigilli suspectum ingerat, et proinde (nisi factum iam notorium evaserit) aut externe non procedat, aut differat, aut saltem circumstantias confessioni auditae extraneas indicet, ut scilicet delinquens cognoscat quod parochus de re illa post confessionem suam ab aliis notitiam acquisivit.

777. *Debetne parochus in confessionali esse benignus, an vero rigidus?* Omnia extrema sunt vitiosa; sed caveat speciatim (maxime hodie) a rigiditate, quae peiores effectus habere solet. Parochi confessionale desertum remaneret, et ille quoad sacramenti poenitentiae administrationem (quae, ut dixi, censetur praecipua eius ministerii pars) inutilis redderetur, ut optime dicit Frassinetti (*Man. n.* 391).

PUNCTUM V.

De parocho quoad primas infirmorum visitationes, et sacramentum poenitentiae iisdem administrandum.

778. *Debetne parochus docere populum solum de modo bene vivendi?* Negative; sed oportet etiam ut identidem de modo quoque bene moniendi parochianos suos doceat.

779. *Quid procurare debet ut fiat imprimis, eveniente casu periculosae infirmitatis?* Ut sive ab infirmo ipso, sive saltem ab eius familiaribus, cito advocetur. De hoc populum admonebit. Benedictionis (quae pro infirmis a rituali praescribitur) utilitatem ostendet. Medicos quoque et phlebotomos, qui ad paroeciae suae infirmos advocari solent, sibi benevolos reddat, curando ut ab iis certior reddatur de periculose decumbentibus, maxime si agatur de familiis hac in re parum sollicitis. Infirmis pauperibus eleemosynas dare aut saltem procurare studeat; id enim ut cito advocetur non parum iuvabit. Curet ne suae visitationes quasi pro nuntio certae mortis habeantur. In hunc finem etiam

infirmos morti non vicinos, aut illo morbo non morituros libenter visitet; et, si curam hospitalis habeat, etsi nemo extremis subsidiis indigeat, illuc identidem se conferat.

780. *Vocatus quomodo se gerere debet?* Sive die sive noctu et non obstantibus incommodis, ad infirmum se conferat, et quidem statim. Nullam autem querimoniam moveat, si forte infirmitas leviuscula fuerit, neque illum advocandi necessitas adfuisset. Hae querimoniae in causa essent cur pro aliis vere indigentibus non advocaretur.

781. *Potestne parochus uti hac regula: ibo si vocatus fuero?* Negative generatim. Rituale dicit : non expectabit ut vocetur. Prudentia tamen necessaria erit; accessus enim non libenter acceptus praeiudicare potest, et quidem interdum gravissime, maxime si de divitibus agatur.

782. *Quomodo itaque se gerere debet parochus si resciat aliquem esse infirmum, et non vocetur?* Imprimis de morbo eiusque statu, sive a medico sive a familiaribus aut vicinis, informationes capere procurabit. Expedit autem ut ipse diversorum morborum aliquam cognitionem habeat; et speciatim ut cognoscat quaenam sint mortis vicinae signa, unde sine mora de infirmo adeundo eique sacramentis ministrandis sollicitus sit.

783. *Quinam morbi solent esse mortis nequaquam periculosi?* Sunt praecipue 1. Dolores ventris (*coliche*); 2. Febris reumatica articularis (nisi pulmonem aut cerebrum afficiat); 3. Respirandi difficultas (*asma*); 4. Herisipolae; 5. Convulsiones epilepticae; 6. Convulsiones hystericae.

784 *Quinam est cursus morborum magis communium, qui plus vel minus mortis periculum inducere solent?* Apoplexia; vulnera in cavum penetrantia; magna haemorragia (v. g., in puerpera); febris perniciosa palustris (maxime in secundo accessu), insolatio (*colpo di sole*); asphisia; venenum ex arsenico vel acido nitrico (*acqua forte*); cholera; hi morbi paucis horis aut citius mortem afferre possunt.

Inflammatio retis rapida et totalis (quam medici italice vocant *peritonite acuta e diffusa*); inflammatio acutissima membranae cerebralis (*meningo-encefalite-siero-fibrinosa*); carbunculus malignus, si cito adustione non curetur; hernia incarcerata, si cito remedium apponi non possit; hi morbi cursum brevissimum, nempe duorum vel trium dierum, habent.

Varidae arabae (*vaiuolo nero o maligno*); angina (*croup*); idrofobia; tetanus; intestinorum occlusio (*mal del miserere*) intra septem aut quinque aut etiam tres dies occidere possunt.

Inflammatio pulmonis (vulgo *polmonite*, *pneumonite*, *pleurite*, *peripneumonite*, *cattarrale*, *malattia di petto*, *attacco di petto*, *doglia di costa*, *mal di punta*) regulariter septem vel novem dierum cursum habet; et interdum quatuor, interdum duodecim. In senibus est fere semper lethalis, quamvis forte mitis videretur.

Febris putrida (vulgo *tifo*, *sinoco*, *febbre tifoidea*, *mal maligno*) regulariter duabus hebdomadis durat, et interdum tribus; sed surditatem et delirium adducere solet, atque interdum habet cursum (uti aiunt) *tumultuarium*, et intra paucos dies ad mortem ducit; unde cito administranda sunt Sacramenta. Si tamen infirmus delirio non subiiciatur, tunc quatuor etiam aut quinque hebdomadis morbus durare potest; ita ut ex lenta consumptione mors sequatur.

Infirmitates, quae tempore magis diuturno durare solent, sunt speciatim paralisis (dummodo organa ad vitam necessaria non afficiat); hydropisis; chancrum stomachi (*callo al piloro*), et phthisis. Tertium (seu ultimum) stadium in phthisi indicatur praecipue a sudoribus solum in media parte personae, nempe a ventre usque ad caput et in palmis manuum post somnum, nec non ab alvi profluviis praecipitosis, febri pluries in die exacerbata, et sputis copiosis, fere liquidis, purulentis atque assiduis.

785. *Quidquid sit de genere morbi, quaenam sunt signa mortis vicinae?* Sunt 1. Si inflatio a cruribus iam ad pectus procedat; 2. Si infirmus cibum amplius non sumat; 3. Si eructiones (v. g.; *la migliare*) rapide dispareant et intus redeant; 4. Somnolentia continua; 5. Singultus; 6. Si diebus criticis (nempe septimo et quarto decimo) febris adaugeatur; 7. Respiratio frequentissima (*affanno*) cum multo catharro, qui vix aut ne vix quidem expelli possit; 8. Si personae iam seni, aut vitio organico vel magna gibbositate vel morbo chronico affectae, infirmitas acuta nempe cum febri superaddatur; 9. Si in morbo acuto remedia nihil profuerint; 10. Si infirmus in osso sacro aut coxendicibus plagari incipiat; 11. Si involuntarie urinam et excrementa emittat; 12. Si febris sit ardentissima, nempe 41 graduum centigradi, aut 130-150 pulsationum in singulis minutis. Attamen ultima tria signa in tipho non essent attendenda; bene vero in hoc fere semper mortalis est gradus 42, aut rapidus descensus ad gr. 37 vel 36.

786. *Quid igitur si Parochus non vocetur, sive morbus dilationem patiatur sive non?* Si morbus dilationem patiatur et nihil aliud clamet ut sollicitudo adhibeatur, parochus pedeten-

tim procedere poterit, atque interdum (si familia Dei timorem habeat) expectare ut vocetur. E contra si morbus iam ad ultimum stadium processerit, vel suapte natura cursum brevem habeat, vel cito loquelam et cognitionem adimat; tunc sollicitudo necessaria erit. Idem dic si non quidem mors adeo vicina esset, sed notabile tempus, sive ad procurandum accessum, sive ad disponendum aegrotum, sive ad eius conscientiae negotia componenda, exigeretur.

787. *Sed quomodo accedendum?* Si res sit de rusticis aut pauperibus adhuc sincere catholicis, accessus non solet esse difficilis. Imo ordinarie nullum sequitur inconveniens si parochus sic et simpliciter domum infirmi ingrediatur dicendo, v. g., se intellexisse infirmum adesse, et, ad notitiam de eo habendam vel ad benedictionem ei dandam, divertisse. Ordinarie, inquam, parochus ita se gerens benevole tam a familia quam ab aegroto excipitur.

Si autem de familia sincere quidem catholica, sed nec rustica nec paupercula agatur: tunc facile melius erit si parochus non sic et simpliciter se praesentet, sed potius ut vocetur procuret. In hunc finem rogare poterit personam familiae amicam, ut quasi sponte sua familiam ipsam sollicitet ad parochum advocandum et religionis subsidia aegroto procuranda. Sed, si persona ista non inveniatur, tunc parochus cum aliquo de ipsa familia colloquium habeat, et sic accessum ad infirmum obtinere satagat.

788. *Quid si aegrotus esset de illis, qui parum aut nihil religionis habent, et sic difficile sit quod ad acceptandum sacerdotem atque ad recipienda Sacramenta disponantur? Quomodo tunc accessus obtineri poterit?* Quoad huiusmodi homines, caveat imprimis parochus ne cum ipsis, dum adhuc sani sunt, quasi inimicus procedat. Potius vultum hilarem eis ostendat eosque salutet, et pro opportunitate illos alloquatur atque invisat. Eveniente lethali infirmitate, si non vocetur, tunc quoque medium magis aptum esse solet, uti personis familiaribus infirmi, quae illum disponant. Aliquando loqui poterunt de confessione facienda; sed ut plurimum melius erit si agant dumtaxat de recipienda simplici parochi (aut alterius sacerdotis magis benevisi) visitatione, dicendo, v. g., illum habere Imaginem vel Reliquiam prodigiosam eiusque benedictionem etiam pro recuperanda sanitate valde efficacem esse posse: aut (si infirmus esset pauper) dictum sacerdotem largas eleemosynas fore largiturum; aut venire debere ad vicinam familiam pro

tali vel tali negotio: aut iam venisse et licentiam visitandi infirmum petiisse; aut fuisse invitatum, quia auditum fuit eum habere cognitiones medicas, quae prodesse poterunt. Aegroti praedicti difficultates adducere solent, quae ordinarie fundantur 1. in respectu humano; 2. in timore amittendi subventiones quas a sociis percipiunt; 3. in iuramento emisso nihil commune habendi cum sacerdotibus et ecclesia; 4. in defectu fidei; 5. in praetextu quod sufficiat omnia componere cum Deo, quin necesse sit confiteri apud sacerdotem; 6. in falsa fiducia recuperandi sanitatem; 7. in desperatione obtinendi veniam a Deo; 8. in rubore tot scelera confitendi. Parochus itaque curabit ut dictae personae familiares eliminent difficultates ab aegroto adductas aut verisimiliter adducendas, dicendo, v. g., parochum venturum esse noctu et nullam publicitatem esse faciendam; si quid forte amittatur, aliis mediis haberi posse tantundem et amplius; dictum iuramentum nullam vim habere, imo maximam esse iniquitatem illud servare; veritates fidei esse certissimas, et, si per impossibile dubiae forent, maximam esse stultitiam malorum aeternorum adeo horribilium periculo se exponere; confessionem apud solum Deum peractam non sufficere; mortem supervenire posse sanis, et multo magis infirmis; aut etiam infirmitatem esse gràvem, et periculum dissimulari non posse; Divinam Misericordiam nullos limites habere; sacerdotes nullam de sceleribus admirationem concipere, semper enim scelera audiunt; neque oportere ut confessio apud parochum fiat, sed quemlibet alium sacerdotem seu religiosum advocari posse; demum ex rebus cum Deo rite compositis magnam pacem et consolationem exoriri, quae etiam ad vim morbi imminuendam valde deservire potest. Si morbus dilationem patiatur, interdum melius erit non loqui statim de sacerdote advocando, sed incipere a longe, procurando ut infirmus sacrum numisma (v. g. *la medaglia miracolosa*) ad obtinendam gratiam sanitatis accipiat et osculetur, aut unam *Ave Maria* vespertinis horis recitet ut dolores leniantur et quiete dormire possit. Si infirmus alicui sectae adscriptus fuerit et socii illum assistant, tunc curandum ut dictae personae familiares impediant quominus illi ad eius lectum accedant, dicendo quod indiget quiete et expedit ut cum nemine loquatur. Si parochus ope consanguineorum nihil obtinere potuerit, videat an ope amicorum, aut vicinorum, vel etiam famulorum, aut alicuius personae, cui infirmus difficile contradicturus sit, aliquid obtinere possit. Foeminae praesertim valde bene deservire solent; idque quamvis non multum reli-

gionis habeant. Interdum habetur auxilium ab iis, in quibus nulla spe collocari posse videretur; imo nonnunquam ab aliquo ex ipsis sociis efficacissimum adiumentum habitum fuit, quandoquidem non in omnibus sectis receptio sacramentorum in extremis vetatur; et non omnes socii statuta propriae sectae ex corde servant. Aliquando praecipuum impedimentum provenit ab ipsis familiaribus infirmi, qui, propter timorem aegrotum turbandi et terrefaciendi, sacerdotis ingressum firmiter impediunt. Tunc parochus bonis modis eos persuasos reddere conabitur, quod tam caute et pedetentim processurus erit, ut infirmus nullo modo turbetur; sed potius magnam pacem, tranquillitatem et consolationem ipsi eius saluti corporali valde proficuam, experiatur. Si haec non prosint, tunc dicere debebit, quod agitur de aeterna salute illius miseri infirmi; quod morbus ita processit, ut nullam dilationem amplius admittat; quod sacramenta administrata quando aegrotus nihil intelligit, nihil iuvant; et demum quod de illo aegroto miserrimo sine sacramentis morituro aeternum remorsum habebunt. In his autem et similibus casibus valde difficilibus orationi est incumbendum; atque interdum pro auxilio vel consilio recurrendum ad illos Sacerdotes vel Religiosos, qui speciali peritia et dexteritate hac in re praediti sunt, et ab huiusmodi infirmis multo facilius excipiuntur.

789. *Quid si accessus concederetur solum cum pacto ut parochus ad modum amici; non vero ad modum sacerdotis, accedat, quia infirmus nec de benedictionibus nec de confessione quidquam audire velit?* Parochus acceptet; quandoquidem amicus aditum confessario forsan aperire poterit.

790. *Sufficitne quod parochus de aditu ad infirmum habendo sollicitus sit?* Negative; sed, si casus sit difficilis, oportet 1. ut prius bene se praeparet; 2. ut (quatenus opus sit) facultatibus necessariis se muniat; 3. ut tempus magis aptum eligat, quod esse solet post horam nonam antemeridianam et circa penultimam ante solis occasum, quando nempe foeminae res domesticas composuerunt et febris remissior esse consuescit. Interdum potest esse necessarium ut tempus nocturnum eligatur; et semper cavendum ne socii impii tunc adsint.

791. *Quid si parochus praeter praevisionem eosdem socios impios ad lectum infirmi reperiat?* Benevolentiam hilari vultu eis ostendat; sed pro tunc de fine religioso, propter quem advenit, nihil dicat. Postea autem ope familiarium curabit ut secedant etc.

792. *Quid si infirmus, sacerdotem videns, imprecationes et*

improperia contra illum evomeret? Patientia adhibenda esset, neque statim terga ei verti deberent. Incusetur vis morbi et delirium; sermo blande ad aliud divertatur, et sic paullisper (si fieri possit) omnia benevole componantur. Si autem infirmus in sua malevolentia perseveret; tunc parochus, quod praeter intentionem fuerit occasio huius turbationis, displicentiam ostendat; dicat se offensum non remansisse et esse amicum sicut antea; recedens infirmum (si expediat) salutet illumque postea familiaribus commendet eisque patefaciat desiderium redeundi, si forte miserrimus ille ad meliores sensus rediturus esset. Dein oret, orare faciat, et videat an alia media adhiberi valeant.

794. *Obtento aditu ad infirmum, quidnam imprimis curare debet Parochus?* 1. Ut nullam aversionis occasionem ei praebeat; 2. ut eiusdem benevolentiam positive sibi procuret.

795. *Quomodo nullam aversionis occasionem aegroto praebebit?* Caveat imprimis ab eo terrefaciendo. Dicat, v. g., se illinc transisse, aut morem sibi esse infirmos visitandi quamvis graviter non decumbant. Caveat insuper ne taedium vel displicentiam aliquam ei afferat. In hunc finem voce submissa loquatur; nec longos sermones neque cum infirmo (maxime in anhelus aut valde debilis sit), neque cum assistentibus habeat; aut saltem petat an vociferationes ei fastidium afferant; risui aut facetiis non indulgeat; si infirmus lamenta emittat, id non vetet. Non dicat: Haec infirmitas pro te est magnum bonum, pulcherrimum donum Dei, fortuna ingens. Personae quidem perfectioni attendentes verba huiusmodi in bonam partem accipere possunt, sed non personae mundanae aut rudes, quae pro crudelitate id acciperent (quasi sacerdos de earum infirmitate gaudeat). Fere omnes aegroti de salute recuperanda sibi blandiuntur, idque avidissime cupiunt. Hinc caveat Parochus ne infirmitatem iam esse sine remedio et mortem esse certam declaret; sic enim infirmus magnam aversionem contra illum conciperet, eius praesentiam invisam haberet, et forsan visitationes illius absolute respueret. Ad minus itaque dissimulet; et caveat etiam ne, dum in sua spe aegrotum relinquit, rem esse sine remedio eius uxori aut filiis declaret, si timendum sit ne clamoribus domum repleant et sic infirmus quod dictum fuit resciat; neque fidendum si profunde sopitus videretur; contingere enim potest quod omnia (quamvis submissa voce dicta fuerint) perfecte audiat. Denique visitatio sit brevis; infirmi enim plures necessitates habere solent et in libertate relinqui debent. Dum tamen parochus prima vice recedit (ne visitationes

sequentes aegrotum terreant) dicat: Si tibi non displicet, veniam iterum; in more enim mihi est ut meos infirmos, donec convaluerint, frequenter visitem.

796. *Quomodo parochus infirmi benevolentiam positive sibi procurare poterit?* In hunc finem (discretione tamen servata) maxime deservire solent sequentia: 1. Amice cum eo loqui, proprio nomine eum vocando, et dicendo, v. g.: Ad te invisendum veni: a longo tempore te cognosco: patrem tuum cognoscebam: reminiscor adhuc de tali vel tali eventu in tua familia etc. Saepe bene erit de aliqua bona qualitate aut habilitate eum laudare; et, si pueros habeat, munuscula eis praebere etc. 2. Sollicitudinem pro ipso ostendere, v. g., (quatenus opus sit et deceat) potum manu propria ei dare; sudorem ab eius fronte abstergere; operimenta aptare; muscas ab eius vultu arcere; consilia igienica ad cubiculi aerem purificandum (ope aceti vel nonnullorum granorum cafaei in ferro candenti) praebere; dulciaria ei dare; maxime vero (si esset pauper) inquirere an necessaria habeat, atque eleemosynam ei largiri. 3. Si spes recuperandi salutem ei dari possit, hoc est medium optimum obtinendi benevolentiam ab aegrotis quibuscumque; unde saepe expedit ut parochus spem istam aegroto adeo caram positive nutriat, adducendo, v. g., exempla aliorum qui a simili infirmitate, vel a morbis adhuc gravioribus, optime convaluerunt. Sic infirmus gaudebit, et de facili, ut parochus iterum iterumque redeat, desiderabit.

797. *Estne statim in prima visitatione de confessione loquendum?* Negative; nisi circumstantiae aliud suadeant, ut puta, si infirmitas dilationem non pateretur, aut visitationes facile repeti non possent, vel infirmus esset valde devotus et ipse sacerdotem ad confessionem faciendam vel benedictionem habendam accersivisset etc. Ordinarie praestat ut aliqua visitatio praemittatur, non solum ad infirmi benevolentiam (ut supra) captandam, sed etiam ut sic magis fructuose et bono animo ad confessionem praeparetur.

798. *Monitum de confessione facienda quomodo ordinarie dari debet?* Modo ita blando et industrioso, ut infirmus libenter obsecundet. Ordinarie res bene succedit, si dicatur: — Fili mi, sanitas est in manu Dei: medici nihil poterunt, nisi Deus illos illuminet. Consilium tibi do, fili mi: Fac tibi Deum amicum, fac ut sis in eius gratia; ille enim poterit te adiuvare longe plus quam alii omnes. Esse in gratia Dei semper est necessarium, sed multo magis, quando infirmi sumus. Eia age

itaque, confitere corde contrito omnia peccata tua; et proiice te intra brachia Dei tui, qui solus omne bonum quoad animam et quoad corpus tibi dare potest. A multo tempore non es confessus; volo ut nunc bonam confessionem facias; quanta frueris consolatione etc.! — Saepe iuvat sumere occasionem a benedictione danda (maxime si petita fuerit, dicendo quod longe magis proderit iis qui bene confessi in gratia Dei sint); vel ab aliqua indulgentia lucranda; vel ab aliqua festivitate appropinquante. Interdum etiam (maxime in hospitalibus) iuvat dicere: — Cras distribuitur Eucharistia infirmis ex devotione communicantibus, et SS. Sacramentum transit prope tuum lectum; volo ut tu quoque communices etc. — Si forte infirmus reluctet vel taedium demonstret, nec periculum sit in mora, sacerdos dicat: — Nolo ut turberis: nolo ut confitearis per vim sed libenter —. Si aegrotus dicat: — Veniam ad Ecclesiam et tunc confessionem faciam —, sacerdos reponat: — Nonne melius esset quod nunc (quandonam tanta adest commoditas) confitearis, ut Deus gratiam convalescendi et te ad ecclesiam conferendi tibi concedat? — Si dicat: — Confessionem facere volo, sed in posterum; — sacerdos annuat; ita tamen ut tempus vicinum determinet. Si difficultates in medium adducat vel nimiam dilationem petat, et periculum sit in mora; tunc iuvare solet si sacerdos (maxime si prius de eius moribus informationem habuerit) dicat: — Fili mi, iam scio peccata tua; tu blasphemasti; tu Missam non audisti; tu iam inde a decem vel viginti annis praecepto paschali non satisfecisti; tu amicitiam cum foemina non tua habuisti etc. Nonne haec est confessio tua? Eia age itaque, parum remanebit; ego te adiuvabo: In Nomine Patris et Filii etc. Dic; sunt ne viginti an vero triginta anni ex quo non es confessus? — Difficultas interdum non respicit confessionis substantiam, sed Confessarii personam, quatenus multi, speciatim proprio parocho, peccata (maxime furti vel turpitudinum) confiteri nolunt. Si ergo parochianus admonitionem de confessione facienda non libenter audiat, parochus experiri debebit an ope vicarii vel alterius sacerdotis sive saecularis sive regularis illum ad confessionem disponere possit; imo, toties quoties de dicta verecundia et repugnantia suspicandum sit, parochus (antequam ipse cum infirmo de confessione verba faciat) curare debebit ope familiarium ut infirmus, apud Sacerdotem cum quo maiorem confidentiam habeat, confiteatur. Tandem si, omnibus cautelis modisque suavioribus adhibitis, infirmus adhuc reluctaret; tunc parochus horrificum

aeternae damnationis periculum ei exponere deberet; sed potius ad modum supplicantis, quam obiurgantis; cavendum est enim ne ob id clamores suscitentur et maiora mala provocentur. Iuvare poterit si prius apertis verbis vicinae mortis nuntium ei datum fuerit; sed saepe bona cautela erit, ut ope tertiae personae id peragatur.

799. *Quid si moribundus diceret se nolle confessionem facere quia non credit?* Parochus dicere poterit, v. g.: — Miser infernus adest etiam pro iis qui non credunt...... Fides est necessaria ad salutem.... Solis credentibus repromittitur praemium vitae aeternae...... Nonne vis salvari?...... Deprecare Deum ut fidem habere possis.....; et tamquam bonus christianus fac confessionem tuam —. Si moribundus annuat, veniam Deo petat, et sua peccata accuset, absolvatur (sub conditione tamen, si de eius fide dubia supersint).

800. *Quid notandum circa confessionem infirmorum actu excipiendam?* Sequentia monita passim dantur. 1. Confessarius inter suum et infirmi vultum (ad minuendam verecundiam) manum interponat. 2. Dicat ut situ commodo remaneat et pausas faciat, ne defatigetur. 3. Si assidua siti vexetur, confessarius identidem quaerat utrum bibere velit eique potum porrigat. 4. Si difficile loquatur, sacerdos interrogationibus illum adiuvet, ita ut fere id unum infirmo reliquum sit ut affirmative vel negative respondeat. 5. Si omnino necesse sit ut confessio valde in longum protrahatur (quod tamen raro continget), ad aliud tempus complementum remittatur, ut infirmus non defatigetur et familiares sinistros suspectus non concipiant. 6. Si ex una parte oporteat ut absolutio statim detur, et ex alia confessio integrari nequeat, confessarius confessione dimidiata (quali nempe iuxta circumstantias sine gravi incommodo fieri potest) contentus sit, et quietum reddat poenitentem dicendo quod Deus pro tunc confessionem integram non exigit, remanente tamen obligatione illam perficiendi, si postea poterit. 7. Si inservientes infirmum relinquere nequeant, tunc alicuius peccati venialis confessionem, et aliorum in genere dumtaxat, exigi debebit. 8. Exhortatio ad contritionem sit succosa et affectuosa; sed brevis. 9. Brevissima quoque et levissima poenitentia detur, indictâ tamen aliâ, exequendâ si convaluerit. 10. Si infirmus (prout in publicis hospitalibus contingere potest) nolit ut pateat se fuisse confessum, propter timorem ne, ob factam confessionem, a sociis occidatur si convalescat, sacerdos

ita se gerat ut non confessionem audire aut absolutionem impertiri, sed simpliciter cum eo loqui videatur.

801. *Quid si infirmus gravem aliquam obligationem habeat?* Theologi dant regulas sequentes. Si concubinam teneat, illam eiiciat vel in matrimonium ducat, si possit; et si non possit, saltem eam a proprio cubiculo arceat, nisi adeo derelictus sit, ut (praeter illam) neminem habeat, qui ei necessaria ministret. Si civile dumtaxat matrimonium contraxerit, actum religiosum exequatur. Si bona ecclesiastica emerit, haeredem moneat et syngrapham ab ecclesia requisitam subsignet. Si aliquid restituere debeat, personae probae rem restituendam tradat (confessarius tamen hoc onus periculi plenum declinet), aut in testamento sub forma legati restitutionem adimpleat, nec facile haeredibus (nisi sint meticulosae conscientiae) oretenus illam committat. Si famam reparare teneatur, illam reparet (et hoc onus facile acceptare poterit confessarius). Si ad aliquam scandali reparationem vel retractationem teneatur, illam (saltem apud duos testes) exequatur. Si impiis sectis nomen dederit, ab illis se separet, et duces occultos episcopo denuntiandos manifestet.

802. *In praxi obligationes istae suntne semper moribundis intimandae?* Negative; sed prudentia adhiberi debet. Moribundi enim saepissime credunt sufficere propositum easdem exequendi in posterum, quando (prout fere semper confidunt) convaluerint. Imo aliquas ex his obligationibus facile non cognoscunt, aut de illis non cogitant, aut non credunt esse graves. Aliunde si talis vel talis obligatio, tamquam hic et nunc sub gravi omnino exequenda, declararetur, non semper speratur fructus; et saepe moribundus a peccato materiali in formale, et in maximum (ne dicam certissimum) periculum imminentis et aeternae damnationis, coniiceretur absque ullo bono effectu; nisi etiam ipse parochus (quoad casum syngraphae subsignandae circa bona ecclesiastica) familiae odium contra se concitet et in gravissimas tricas (prout in praxi facillime accidit) se coniiciat. Quomodo itaque agendum? Si poenitens iam *certe* in mala fide sit, omnis lapis moveri debet ut obligationi suae (in quantum ab eo cognoscitur et practice adimpleri possit) satisfaciat; et, si obstinate recusaret, absolvi nequiret. Attamen, quamvis forte etiam extra confessionem eius obstinatio cognita fuisset, secreta teneri deberet; idque non solum ratione scandali, quod ex tali impoenitentia suscitaretur vel augeretur; sed etiam ne propter sepulturam ecclesiasticam tricae postea exorirentur. Si autem moribundus esset in bona fide, et de malo exitu admonitionis

timeri deberet; tunc silendum esset; nisi forte 1. res a moribundo exequenda (v. g. retractatio) fortiter reclamaretur a bono publico; 2. Viaticum administrari deberet, nec absque scandalo administrari posset, nisi prius moribundus debito suo satisfecisset. Hoc tamen ultimum non facile obstabit: etsi enim administratio Viatici declinari nequiret, et quidem diurno tempore perfici deberet; fideles facile supponunt, quod moribundus (cui iam Sacramenta conferuntur) obligationibus suis (quantum potuit in iis circumstantiis) satisfecerit, et conscientiae suae consuluerit; et sic ex Viatici quoque administratione scandalum (saltem tale quod praeponderet) non facile aderit, ut dixi. Interdum tamen vere obstare posset.

803. *Quid notandum est speciatim circa retractationem?*

I. Retractatio triplicis generis esse potest, scilicet 1° *In specie et publica;* retractando scilicet (ope scripturae vel coram duobus testibus) nominatim talia vel talia scripta, dicta vel facta, simulque retractationem evulgando. 2° *In specie sed occulta;* emittendo scilicet retractationem ut supra, sed secreto; illamque ad Episcopum transmittendo ut in Cancellaria servetur; ita tamen ut simul aliquo modo evulgetur quod infirmus fecit ea quae facere debebat. 3° *In genere;* nulla scilicet ab infirmo facta retractatione, sed solum (sive publico sive privato sermone) evulgando quod ille omnibus animae suae rebus consuluit.

II. Interdum exigitur omnino retractatio primi generis; si nempe 1° retractandae sint doctrinae valde perniciosae typis editae; 2° si ageretur de Sacerdote, qui (etsi solum dictis vel factis) tales doctrinas se profiteri ostenderit; 3° si de insigni aliquo censurato et Ecclesiae rebelli res esset.

III. Interdum sufficit retractatio tertii generis, si nempe ex una parte de nullo ex tribus casibus supradictis ageretur, et ex alia infirmus de obligatione retractationem emittendi non cogitaret, neque prudentia sineret ut circa rem istam in malam fidem coniiceretur. *Berengo* (*n.* 110) *et Frassinetti* (*Man. n.* 371. 372).

IV. Interdum denique exigitur et sufficit ut retractatio secundi generis emittatur; si nempe de iisdem tribus praedictis casibus non agatur, et infirmus ex una parte suam obligationem cognoscat vel prudenter de ea admoneri possit; et ex alia, propter publicationem retractationis in specie peractae, subeundi gravia damna (v. g., amissionem officii caeteroquin liciti) periculum subiturus esset. *S. Poenit. apud Scavini* (*IV.* 221. *q.* 4°. 5°.).

V. Stante dubio (quod in rebus istis facile occurrere debet) ad Episcopum (si fieri possit) recurrere oportet.

804. *Quid si Sacerdos, vocatus ad Sacramenta ministranda, videat hominem sensibus destitutum?* Interdum explorare debebit aliquantulum ne forte agatur de ebrio; odor vini dabit indicium. Caeterum, ut infirmus a sopore excutiatur, aliquando iuvat eius frontem nonnullis aquae guttis fortiter aspergere, vel manum iterum iterumque excutere, vel palmam manus vellicare, vel paullulum aceti intra nares vel os immittere; et postea manum illius accipere dicendo: obstringe mihi manum. Iuvat etiam plantam pedis vellicare, vel epigastrium, nempe stomachum, premere (Sacerdos tamen quoad mulieres sic non faciat, quamvis forte curare possit ut ab aliis fiat). Si infirmus intelligat, sed loqui non possit, Sacerdos ei suggerat, ut manum obstringat in signum quod sua omnia peccata accusat: quod de omnibus culpis suis dolet; quod proponit etc.

805. *Quid si non appareat quod infirmus intelligat, et nullo modo a sopore excuti possit?* Tunc Rituale dicit: « Si confitendi « desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus « est ».

Etsi autem nemo fidem faceret quod infirmus hoc desiderium expresserit, iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, absolutio dari potest; imo (ut hodie communiter dicunt) debet (attamen sub conditione). *Praxis* (*Ed. I. pag.* 691).

806. *Quid si moribundus ita sensibus destitutus vitam scelestissimam duxisset, vel etiam in actu peccati ita remansisset?* Tunc etiam sub conditione absolvi posset. *S. Lig. n.* 483.

807. *Moribundis sensibus destitutis absolutio (conditionata) potestne dari etiam pluribus vicibus?* Affirmative, speciatim morte iam iam imminente, aut si de moribundo magnis tentationibus subiecto (quibus interne consentire posset) ageretur. *S. Lig.* (*Prax. n.* 76).

808. *Si moribundus usque ad extremum sacramenta recusasset, possetne absolvi quando sensibus destitutus remanserit?* Si parochus sit certus quod moribundus sic recusaverit sacramenta ex firmo proposito moriendi sine illis; tunc tamquam impoenitens considerari et sine absolutione relinqui debebit: maxime si in tali destitutionis sensuum statu diu (v. g., pluribus diebus) non remanserit. Nisi tamen parochus ipse cum moribundo prius locutus fuerit, atque ad eum convertendum frustra adlaboraverit, difficile de praedicta eius voluntate obstinata certus esse poterit. Non enim sufficeret 1. si moribundus

ex credulitate recuperandi sanitatem, vel in delirio, vel ex respectu humano (praesentibus sociis), vel ex momentaneo turbationis aestu, Sacramenta recusasset; 2. Si ille impiam vitam duxisset; 3. Si parochus de sacramentorum recusatione a familiaribus vagam aliquam notitiam habuisset. In his casibus absolutio sub conditione adhuc concedi poterit. Aliud est tamen quod possit, et aliud quod debeat concedi; si enim moribundus impie vixisset atque admonitus a familiaribus de sacerdote advocando negative respondisset, tunc si etiam sine ulla absolutione relinqueretur, nihil mali (imo et Rituali conformius) esset.

809. *Quid de administratione huius sacramenti tempore pestis?*

I. Cautelae adhiberi debent, ut vita propria (tunc adeo necessaria) a contagio (quantum poterit) immunis servetur. Hinc sacerdos 1. Ad infirmos non eat ieiunus; 2. Curet ut in cubiculo infirmi aer prius renovatus fuerit et immunditiae fuerint ablatae; 3. Nec infirmum nec quidquam aliud circa ipsum tangat; 4. Faciem versus faciem eius non teneat, ne illius halitum respiret; 5. Salivam non deglutiat sed expuat; 6. Canforam aliave aromata in ore teneat et acidum foenicum secum ferat; 7. Vestem talarem (quae tutior est) habeat; 8. Postquam domum redierit, vestem deponat, illamque aeri exponat et se lavet.

II. Quoad integritatem materialem confessionis, Theologi dicunt. tempore pestis non esse necessariam, et sufficere si unum vel alterum peccatum audiatur; sed hoc cum mica salis intelligi debet; si enim periculum contrahendi contagium non adeo magnum esset, et christifideles de tanta sacerdotum festinatione scandalizarentur, nec de huiusmodi confessionibus dimidiatis quieti remanerent; tunc confessiones ex integro (saltem quantum satis erit ad scandalum declinandum) audiendae essent; nisi forte aliqua confessio adeo prolixa evasura esset, ut interim alii moribundi sine ulla confessione relinqui deberent. *Bened. XIV* (*De Syn. XIII.* xix. 19).

III. Theologi dicunt etiam quod Parochus tempore pestis curam audiendi confessiones infirmorum ita aliis demandare posset, ut, quamvis personaliter vocaretur, accurrere non teneatur; sed hoc intelligi debet solum pro casu in quo bonum publicum id exigat; quatenus, attenta gravitate periculi, expediat ut vita parochi quantum fieri potest in tuto collocetur, ne paroecia sine rectore remaneat, et ne sani ab illo adeundo pro sacramentis aliisque necessitatibus abhorreant.

810. *Teneturne parochus cum quocumque incommodo atque etiam cum sacrificio vitae, procurare ne quisquam sine confessione moriatur?* Certe accurrere tenetur non solum cum levibus, sed etiam cum pluribus gravibus incommodis, nempe non obstante pluvia, nive, vento, via lutosa, periculo latronum, itinere longo, hora nocturna etc.; et quamvis ipse reumate aut alia levi infirmitate afficeretur: aut aegrotus assistendus variolis arabis, typho, aliove morbo contagioso laboraret Quod tamen non obstante quocumque incommodo aut periculo accurrere teneatur, absolute prorsus dici nequit. Nunquid enim accurrere teneretur, si ipse in lecto cum febri gravissima degeret, adeo ut, si ad moribundum se conferret, paullo post certissime ille quoque causâ itineris moriturus esset? Quis cum oneribus huiusmodi paroeciam acceptaret? Regula itaque sumenda erit a sensu communi, et a praxi parochorum timoratae conscientiae, maxime vero a consideratione, an cum tali vel tali onere paroeciae acceptari communiter censeantur.

811. *Quoad paroecias ab impiis sectis invasas tenenturne Parochi sectarios infirmos recompensare ex integro propter subsidia, quae, Sacramenta recipiendo, a secta amplius recipere non poterunt?* Laudandus esset parochus, qui sic faceret; sed ad tantum non esset obligandus: speciatim si casus esset frequens, maxime vero si parochus ob id bona sua patrimonialia vendere, aut ab aliis pauperibus sublevandis abstinere cogeretur.

812. *Si sectarius ab impiis sociis assisteretur, nec posset obtinere ut recederent, teneretturne in cubiculum infirmi se introducere cum vero, fundato et magno periculo ne pugnis et calcibus aut sclopo eiiceretur?* Negative.

813. *Occurrente rixa inter parochianos, debebitne parochus ad vulneratos se conferre quando rixa adhuc ferret et ignea globula adhuc hinc inde percolant, cum magno periculo ne ipse occidatur antequam ad vulneratos perveniat?* Negative.

814. *Quid de illis familiis, quae sacerdotem admittere nolunt, nisi forte in extremis quando moribundus nihil intelligit?* Parochus debebit quidem (ut supra dixi) sive indirecte sive etiam directe omnem lapidem movere ut tempestive accedere possit; sed ita ut non teneatur reapse accedere, nisi ingressum satis pacificum obtineat. Si tamen nosceret, eius ministerium ab infirmo desiderari et a familiaribus vel impiis sociis impediri, acrius urgere tenebitur, et causam infirmi, meliori quo poterit modo, etiam personaliter se praesentando, vel (in casu extremo) ad Praetorem recurrendo, agere debebit. *Berengo* (110).

815. *Quid si ageretur de foemina infirma, quae in confessione diceret, medicum illam turpiter tangere absque necessitate?* Consilium ei dabitur ut toties quoties medicus advenit, aliqua alia mulier praesens sit. Si hoc non iuvaret, manu manum amoveat, vel tactum impediat dicendo. dolorem sibi afferre.

816. *Quid si moribundus haberet casus vel censuras reservatas?* In articulo mortis (seu, ut Theologi interpretantur) in periculo mortis vicinae, cessat omnis reservatio. Si tamen ageretur de censuris reservatis, ei imponi deberet obligatio, si convaluerit, sub poena reincidentiae, apud superiorem intra mensem comparendi personaliter, aut (stante impedimento) per epistolam et per medium confessarii. *S. C. S. O.* 23 *Iun.* 1886.

817. *Quid si, confessione audita, morbus perduraret?* Bonum consilium est ut Parochus, toties quoties infirmum visitat, antequam recedat, illum interroget utrum aliquid sibi dicendum habeat. Imo positive eum blande adhortabitur ad iterum confitendum, ante Extremam Unctionem et Benedictionem in Articulo mortis; imo et aliis vicibus pro sua prudentia, maxime si credendum sit quod infirmus difficile se contineat et saepe peccet (prout in iuvenibus phtisi affectis contingere solet).

PUNCTUM VI.

De Parocho quoad SS. Eucharistiam infirmis administrandam.

818. *Quandonam et sub qua culpa tenetur parochus administrare SS. Eucharistiam infirmis?* Tenetur sub gravi 1. instante periculo mortis vicinae ad modum viatici; 2. urgente praecepto paschali; 3. si infirmus ex devotione communicare desideret. Excipe nisi impedimentum aliquod aut alia legitima excusatio subsisteret.

819. *Qualis est differentia inter communionem ad modum viatici et ex simplici devotione?* 1. Viaticum administrari potest infirmo etiam non ieiuno (nisi forte ieiunium commodissime servari posset; sed de exceptione ista practice expedire non solet ut verba fiant); 2. Cadit sub praecepto, quatenus non solum infirmus instante dicto mortis periculo communicare debet, sed etiam Parochus sub gravi procurare tenetur ut communicet; 3. Viaticum administrari debet sub formula: *Accipe, frater (vel soror) Viaticum Corporis Domini Nostri Iesu Chri-*

sti, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat te in vitam aeternam. Amen.

820. *Quomodo iudicabit parochus quod Viaticum administrandi hora advenerit?* Rituale dicit esse administrandum cum probabile est quod infirmus illud amplius (sive propter mortem sive propter amissionem sensuum sive propter alias circumstantias) sumere non poterit; quum scilicet probabile est quod communio illa futura sit ultima. Mox autem dat aliam regulam (in praxi forte magis expeditam) dicendo, Viaticum ministrari posse brevi morituris, iis scilicet de quibus probabiliter iudicari debet quod sint brevi morituri. Si iam medicus Sacramenta indixisset, tunc nihil dubii. Non semper tamen (speciatim hodie) est bona regula expectare ut medicus Sacramenta indixerit. Parochus ipse (ab indiciis supra notatis aliisque circumstantiis normam sumendo) suo iudicio stare poterit. Qua in re cavebit ne decipiatur sive ab infirmis ipsis (qui valde facile hallucinantur et dicunt se non graviter laborare ac bene se sentire), sive ab eorundem familiaribus, sive interdum etiam a medicis (qui infirmum et familiam decipere solent), sive demum a melioramentis, quae (morte appropinquante) in morbis fere omnibus contingere solent. Si itaque parochus, considerato rerum complexu, timeat ne infirmus brevi sit moriturus, Viaticum administret, neque in re ista (maxime si ipse infirmus aut eius familia desiderium ostenderit) scrupulos habeat; et, si forte perplexus esset, reminiscatur effati: *Melius est vivere cum Sacramentis, quam mori sine illis.*

821. *Quaenam impedimenta vel excusationes cogere vel eximere possunt parochum, ne Viaticum administret?* 1. Vomitus vel quid simile; 2. Delirium vel quid simile; 3. Aetas puerilis ante usum rationis; 4. Indignitas subiecti; 5. Indecentia loci; 6. Renuentia infirmi; 7. Si infirmus paullo ante et maxime eodem die Eucharistiam recepisset. Sed haec singula sunt explicanda.

822. *Quid notandum circa vomitum?* I. Ut Eucharistia ministrari possit, oportet ut absit nedum certitudo, sed etiam periculum, ne vomitus intra unam vel alteram horam post communionem sequatur. Dixi *intra unam vel alteram horam;* non raro enim contigit quod post semihoram aut etiam horam sacrae species in frustulis redditae fuerint. *Ballerini* (*n.* 273). II. Si itaque infirmus vomitui subiiciatur, eo quoque cessante, cautissime procedendum erit antequam Viaticum ei ministretur; et regula suprema erit ut medicus interrogetur an praedictum periculum adsit, necne. III. Theologi dant regulam observandi

an infirmus sex horis sine vomitu remanserit, et probandi an particulam non consecratam retineat. At vero interdum hoc non sufficit, et interdum e contra tamdiu expectare non oportet. Casus, in quibus tamdiu expectare non oportet, sunt 1. Si agatur de vomitu, qui *matutinus* appellatur, quo nempe interdum laborant foeminae gravidae in primis tribus vel quatuor mensibus, et qui chronico stomachi catarrho (ut plurimum propter diuturnum liquorum abusum) afficiuntur. Huiusmodi vomitus enim, postquam mane acciderit, non iteratur. 2. Si vomitus erat frequentissimus (prout in choléra); et postea (etsi infirmus pluries cibum et potum sumpserit) totaliter cessaverit. Casus e contra, in quibus periculum vomitus perdurat, etsi infirmus iam inde a sex horis non evomuerit, sunt quando ad intervalla inaequalia et non brevia redire soleat; prout accidit, v. g., in hernia incarcerata, in inflammationibus ventris, in morbis renum, et in violationibus cerebri. Tunc ad minus duodecim horis expectandum est. IV. Si autem, sive ex consilio medici, sive ex sufficienti probatione, de Viatico administrando deliberatum fuerit, ad maiorem securitatem deservire poterint cautelae sequentes: 1. Non solum particula non consecrata sed etiam aliquantulum aquae vel cibi infirmo praebeatur, observando utrum aliqua ad evomendum dispositio in eo appareat; 2. Communione sumpta, paullulum glaciei vel haustus aquae *frigidae* infirmo praebeatur, et postea aliquo tempore sine aliis cibis vel potionibus quietissimus relinquatur.

823. *Quid si, praeter praevisionem, aeger, Viatico sumpto, evomeret?* Si paullo post, vel ad summum intra unam vel alteram horam, id accideret, inspectio fieri deberet. Si species consecratae apparerent, caute separari, in aliquo loco sacro (donec corrumpantur) reponi, et postea in sacrarium mitti deberent. Si autem species non apparerent, tunc vomitum (stuppa collectum) comburere, et cineres in sacrarium ponere oporteret. *Missale.*

824. *Cur dixisti quod Viatici administrationi obstare potest non solum vomitus, sed etiam quid simile?* Quia interdum obstare potest etiam tussis, atque insuper si infirmus (quod tamen rarissimum est) quidquid sumit, nulla digestione facta, statim per secessum transmitteret. Quoad tussim notandum quod, etsi frequentior esset, et cum magna pituitae excretione contingeret, difficile Communioni obstaret; pituita enim non e stomacho sed e pulmonibus vel bronchiis provenit. Si tamen tussis talis ac tanta esset, ut cibi ex eius impetu ab ore eiice-

rentur, vel de hoc periculum adesset, tunc certe illa quoque Communionem impediret.

Recolenda est etiam regula Ritualis de linteo mundo ante pectus communicandi ponendo; quod non solum ad maiorem decentiam, sed etiam pro casu eiectionis sacrae particulae propter tussim impetuosam, aut vomitum repentinum, ab Ecclesia praescribitur.

825. *Quid notandum circa delirium vel quamlibet aliam a sensibus alienationem?* Si delirans vel sopore oppressus habeat lucida intervalla, haec erunt eligenda (intellige si sint satis diuturna ut fidendum sit quod iis durantibus Viaticum deferri possit). Praescindendo autem a lucidis intervallis, difficile admodum est quod delirantibus, vel utcumque sensibus aut rationis usu destitutis, hoc Sacramentum administrari valeat. Imprimis absolute administrari nequit perpetuo amentibus, iis scilicet qui rationis usu nunquam compotes fuerunt; ex praesenti enim Ecclesiae disciplina. ad hoc augustissimum Sacramentum recipiendum oportet, ut illius cognitio atque pia affectio erga illud, saltem aliquando, praecesserit. In aliis casibus autem Viaticum pariter administrari nequit, si infirmus certe aut quasi certe in statu peccati mortalis versetur, eo quod mentem amiserit dum in peccato (confessione non subsecuta) vivere solebat, et multo magis si actu peccati (v. g., ebrietatis, furti, fornicationis etc.) in talem statum inciderit. Supponendo etiam quod infirmus vitam bene moratam ducere solitus fuisset, aut Poenitentiae Sacramentum recepisset, ad Viaticum administrandum oporteret etiam, ut nullum irreverentiae periculum subesset. Felix huiusmodi casus contingere potest, sed difficile. Experientia prius, (et quidem pluries) ope particulae non consecratae, fieri deberet, atque insuper oporteret ut de mutatione non esset timendum; qui timor difficillime abesse poterit, et maxime si tempus satis longum (prout ruri contingit) in Viatico deferendo impendi deberet. In praxi itaque, quum agatur de re difficultatibus, periculis et scrupulis nimis subiecta, obligationes parochis non sunt ponendae. Si tamen Parochus in aliquo casu ad Viaticum administrandum se resolveret, praeter cautelam supra indicatam, bona regula erit tentare ut moribundus actu Communionis a sopore excutiatur, maxime vero statim post communionem haustum vini vel aquae ei praebere, ut sacram perticulam deglutiat. *Cf. Praxis* (*Ed. I. pag.* 718) *et Baruffaldi* (*h. t. n.* 47).

826. *Quid notandum circa pueros moribundos, qui ad septimum annum pervenerint?* 1. Si propter iudicium nimis puerile

de aliquo inconvenienti timendum sit, v. g., ne puer, videndo Sacerdotem eius cubiculum ingredientem aliosque lumina gestantes, timore corripiatur, flere incipiat, caput abscondat etc.; tunc certe Parochus Viaticum ei deferre nec debebit; nec poterit. 2. Si puer SS. Viaticum desideret, aut si talem habeat aetatem, ut iam ad communionem admissus esse debuisset; tunc Parochus Viaticum ei deferre non solum posset, sed sub gravi deberet. 3. In aliis casibus controvertitur. Ego pro obligatione starem, si puer iam decennis foret, vel si utcumque iam in proximo esset ut ad Communionem admitteretur. *Praxis* (*Ed. I. pag.* 718).

827. *Quid notandum circa subiecti indignitatem?* Rituale dicit: « Cavendum autem imprimis est, ne ad indignos, cum « aliorum scandalo (Viaticum) deferatur; quales sunt publici « usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excom- « municati aut denunciati, nisi prius sacra confessione se purga- « verint, et publicae offensioni, prout de iure, satisfecerint ». Ad licitam itaque S. Viatici administrationem aliquando non sufficit ut moribundus confessionem praemiserit, sed oportet ut aliquid aliud praestiterit; si nempe, hoc non praestito, ipsa S. Viatici administratio scandalosa foret. Id autem contingit quando moribundus aliquam notoriam et gravem (v. g., concubinam eiiciendi, reconciliationem exequendi, retractationem, iuxta dicta n. 803, efficiendi; etc.) obligationem habeat, cui hic et nunc satisfacere possit ac teneatur. Si vero non posset, oporteret (supponendo semper quod non de solis suspectibus, etsi gravibus, sed de crimine quod sit certum et tamquam certum publice habeatur) ut aliquo modo haec impossibilitas divulgaretur, nisi iam per se manifesta esset; et si posset solum in parte (v. g., si concubinam posset solum amovere a suo cubiculo) id praestare deberet. *Cf. Praxis* (*Ed. I. pag.* 129, *et De Occasionariis n.* 148) et Frassinetti (*Manuale n.* 372).

828. *Quid notandum circa indecentiam loci? Quid scilicet si moribundus esset in lupanari, vel in domo Hebraeorum sive aliorum Infidelium aut haereticorum, vel in theatro, vel in caupona, vel in loco duelli, vel in stabulo, in foenili, in tugurio etc.?* Certe non liceret deferre SS. Viaticum ad lupanar (*Berengo n.* 102, *et Scavini I.* 768). Quoad domos Hebraeorum etc., videndum utrum a consuetudine loci aut legibus synodalibus aliquid disponatur. Insuper circa domos istas, nec non theatrum, cauponam etc., considerandae sunt circumstantiae, ne scilicet augustissimum Sacramentum irreverentiis exponatur,

Duellans in loco duelli moribundus excommunicationis quidem et infamiae poena afficitur; sed, si facti poenitens confessus fuerit et scandalum reparaverit, quoad Viaticum ei deferendum nihil (quod sciam) in contrarium adest. (*Cf. Const.* Detestabilem *Bened. XIV.*). Denique vilitas loci (v. g., tugurii, foenilis, stabuli etc.) nihil obstat (*Alex. VII. Const.* 48, *et Clemens. IX. Const.* 38). Attamen, speciatim quoad huiusmodi loca, Parochus exigere debet ut mundentur, et aliquo modo ornentur. *Rituale* (*h· t. X.* XI).

829. *Quid notandum circa infirmi renuentiam?* Si Parochus cognoscat quod infirmus pro tunc ad Viaticum recipiendum non sit dispositus, et speciatim si multum laborare debuisset ut illum ad confessionem disponeret; specialem prudentiam adhibere debebit, ne confessionis iam peractae fructus destruatur vel saltem in magnum periculum coniiciatur. In re ista aeternam salutem parochiani sui moribundi, non vero quid alii dicturi sint, prae oculis habeat. Attamen, eo diligentius quo magis periculum est in mora, curet ut moribundus ad Viaticum quoque recipiendum suaviter et libenter disponatur. Egregie deservire solent personae familiares, maxime vero sive mater, sive uxor, sive soror eiusdem; quibus tamen expedit indicare quid dicere debeant infirmo; scilicet, v. g., quod Dominus gratias non solum pro anima, sed etiam pro corpore ei facere poterit; quod alii multi Viaticum receperunt et postea convaluerunt; quod, illo recepto, magnam pacem habebit, et familia quoque tranquilla erit etc. Interdum repugnantia non respicit Viaticum ipsum (quasi esset nuntium mortis), sed publicitatem; imo aliquando difficultas plus quam ab infirmo, provenit a familia ipsa, eo quod, concurrente populo, deberet domum ornare etc. In his circumstantiis Parochus forte poterit etiam nocturno tempore Viaticum deferre; cavendo tamen ne in re ista nimis facilem se ostendat.

830. *Qui, non apparente mortis vicinae periculo, communicavit ex devotione, tenebiturne iterum communicare pro Viatico si post unum vel alterum diem dictum periculum suboriatur?* Si sanus in ecclesia communicaverit, consuetudo est ut Viaticum ei deferatur, quamvis paucis diebus antea, aut etiam die praecedenti, communicasset; neque absque scandalo Viaticum tunc omitti posset. Si vero Eucharistia hodie ad personam infirmam ex devotione delata fuisset et cras mortis vicinae periculum insurgeret; tunc iterata Eucharistiae delatio sub obligatione cadere non videtur. Si tamen infirmus illam desi-

deraret, Parochus annuere deberet. *Praxis* (*Ed. 1. pag.* 716).

831. *Quid si quis mane ex devotione communicasset, et intra eandem diem in mortis iam imminentis periculo versaretur?* Si mane communicasset ex devotione quidem sed infirmus, populo Eucharistiam comitante, non videtur expedire ut populus iterum vocetur ut eidem iterum Communio deferatur. Si vero mane communicasset sive sanus in ecclesia, sive infirmus absque populi comitatu: tunc videndum an ille Communionem iterum recipere desideret; nec ne. Si desideret, Parochus recusare nequibit. Si vero non desideret, Parochus quoque silere poterit. *Praxis* (*pag.* 717).

832. *Quid notandum circa delegationem alterius Sacerdotis ad ministrandam SS. Eucharistiam infirmis?* Duo sunt notanda. 1. Quum contingere possit quod infirmus reconciliari indigeat, oportet ut qui SS. Eucharistiam defert sit ad confessiones audiendas approbatus. Excipe nisi ex necessitate aliter fieri debeat. 2. Quamvis administratio Sacramentorum moribundis sit de strictis iuribus parochialibus; tamen, si forte familia infirmi non nisi alteri Sacerdoti aditum permittere vellet, Parochus illum delegare deberet; *charitas* enim *non quaerit quae sua sunt, sed quae Iesu Christi.*

833. *Potestne SS.ma Eucharistia deferri tempore nocturno?* Negative, secluso casu necessitatis. *Rituale.*

834. *Quid si Viaticum non nisi occulte deferri posset, eo quod familia impia consentiat quidem ut aliquis Sacerdos* (*v. g., consanguineus*) *accedat ad infirmum, qui sincero animo Viaticum desideret; sed nullo modo permittat ut alii accedant, et quamlibet religiosam caeremoniam firmiter recuset?* In tali extremitate SS.mum Viaticum etiam occulte administrari poterit. Attamen consulto Episcopo, si tempus suppetat. Sacerdos autem stolam habeat propriis vestibus coopertam. Exiguam pixidem recondat in bursa, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli (intellige si fieri possit) in defectu clerici associetur. *Gousset* (*II.* 240), *Gury* (*II.* 305) *et Rituale* (*App. noviss.*).

835. *Qualem cautelam habere debet Sacerdos antequam ab altari cum pixide discedat?* Inspicere debet pixidem ipsam, ne forte vacua sit.

836. *Quid notandum circa modum incedendi, maxime si periculum sit ne infirmus, antequam Sacramentum perveniat, moriatur?* Sacerdos ordinarie gravi incessu procedere debet. In

dicta autem necessitate poterit quidem gradum sollicitare, sed non currere. *Baruffaldi* (*h. l. n.* 69).

837. *Licebitne deferre SS.mum Viaticum equitando?* Hoc conceditur etiam a Rituali (§ *XXII*). Quod tamen intelligi debet si adsit consuetudo, attenta paroeciae vastitate; aut etiam pro casu extraordinario, eo quod propter Parochi impotentiam aliter fieri nequeat, providendo tamen (si fieri possit) ut alia de ritu serventur. Si autem ageretur de his quoque praetermittendis habitualiter (v. g., de non advocando populo), tunc indultum S. Sedis exigeretur. Cf. Decreta S. R. C. (4100) 23 Ian. 1740 et (5036) 23 Maii 1846.

838. *Quid de usu birreti vel parvi pileoli in SS.mi Viatici delatione?* Non licet. *Rituale.* Haec prohibitio extenditur etiam ad tempus nocturnum. S. R. C. Decr. (3368) 23 Aug. 1695, et (3544) 23 Ian. 1700. Neque pro civitate suffragatur praetextus alicuius infirmitatis. *Decr. cit.* 3368. Si propter locum alpestrem magnisque ventis expositum, paroeciae vastitatem, vias impervias etc. usus pileoli, speciatim tempore hyemali, semper vel fere semper necessarius esset, tunc indultum S. Sedis exigeretur. *Gury* (*II.* 307) *ex Decr.* (5036) 23 *Maii* 1846. Pro casu raro autem, extraordinario et impraeviso, si, propter veram infirmitatem, pluviam, nivem, ventum, longitudinem itineris, tempus nocturnum, vias impervias etc., usus pileoli vere necessarius esset, illum licitum esse dicerem. *Cf. Gousset* (*II.* 240). Si tamen aliquis Parochus vel Vicarius necessitatem istam sibi facile occurrere posse praevideret, tunc (ne abusibus aditus aperiatur) petenda esset licentia ab Episcopo, qui, iuxta S. Lig. (*Hom. Ap. XV.* 12), illam tunc concedere posset.

839. *Quid de consuetudine deferendi SS.mum Viaticum antequam infirmus confessus fuerit?* Regulariter id fieri nequit. Attamen in vastis paroeciis, quoad moribundos qui valde distant, dicta consuetudo propter necessitatem servari poterit. *Rit.* (§ *XX*) *et Gousset* (*II.* 237).

840. *Quid advertendum si in dicto casu, aut in aliis (dum scilicet Sacerdos iuxta Rituale interrogat infirmum an sit dispositus ad S. Viaticum suscipiendum), confessio audiri deberet?* Baruffaldi (*n.* 167) dicit, adstantes (dum confessio auditur) esse removendos. Si tamen infirmus paullo ante confessus fuisset, interrogari posset an velit necne ut adstantes recedant.

841. *Quid si confessio valde prolixa evaderet?* Decisio pendet a circumstantiis. Si, v. g., populus comitatus fuerit SS.mum Sacramentum usque ad ianuam domus infirmi et expectet; vel

multo magis si adstantes sint in cubiculo; utique contingere potest, quod, ad evitanda dicteria atque etiam ne populus ipse nimis detineatur, confessio pro interim dimidiari possit, imo debeat.

842. *Quid si moribundus inveniretur prorsus indispositus, ita ut, non obstante quavis Sacerdotis admonitione, absolutione donari nequiret?* Tunc Sacerdos actu confessionis imponat ei obligationem dicendi adstantibus se nolle Eucharistiam sumere. Si reapse sic dicat, res erit expedita. Si vero nihil dicat, illum communicet. *Gousset* (*II.* 237).

843. *Quid si Parochus ante Viatici delationem audivisset confessionem moribundi eumque indispositum invenisset, simulque oblitus fuisset convenire cum illo de admonendis (aliquo praetextu) familiaribus, qui credunt, Viaticum esse illico deferendum?* Deberet ad lectum moribundi iterum se conferre; et, si hoc facere nequiret, dicere deberet familiaribus ipsis, se infirmi confessionem excepisse, sed de Viatico non esse locutum; et proinde illum esse interrogandum.

844. *Quid si infirmus praeter praevisionem propter delirium vel sensuum destitutionem Communionis incapax reperiretur, et sine mora Extrema Unctione animaeque commendatione donari deberet?* Posita SS.ma Eucharistia in mensa decenti cum luminibus atque adstantium adoratione, Sacerdos praedicta praestet, et, si moribundus videretur iam iam moriturus, illum usque ad mortem assistat. Sin minus, praestitis magis necessariis, redeat ad Ecclesiam cum SS.ma Eucharistia; vel, si aliquis Sacerdos non longe distet, curet ut advocetur.

845. *Si Parochus sciret quod verba: Accipe, frater. Viaticum etc. nimis contristatura essent infirmum, possetne absque culpa adhibere formulam consuetam: Corpus Domini nostri etc.?* Affirmative. *S. Lig.* (*VI.* 285).

846. *Parva pixis, quae cum unica particula ruri adhiberi solet, a quo deportari debet ad Ecclesiam?* A Sacerdote ipso. Aliqui notant quod illa in tabernaculo reponi debet donec purificetur. *Berengo* (*n.* 102).

847. *Quid notandum circa Viatici repetitionem?* Si infirmus prorsus convaluerit, et postea in novum mortis periculum inciderit; tunc certe nova Viatici administratio sub praecepto caderet. Si vero melius quidem se senserit, sed in substantia eadem infirmitas perduraverit, tunc ad Viaticum iterum recipiendum ille non tenebitur (*Baruff. n.* 26); nisi forte longo tempore (v. g., duobus mensibus) dicta melioratio perdurave-

rit. Si tamen, obligatione non subsistente, ex devotione iterum communicare desideraret, Parochus teneretur ei satisfacere, si discrete peteret, inspectis circumstantiis; aliud enim est si infirmus in ipsa domo parochiali, aliud si in civitate, et aliud si ruri in domo ab Ecclesia valde dissita esset; non enim expediret ut populus, v. g., quotidie in talem finem advocaretur. *Cf. Praxis* (*Ed. I. pag.* 721).

848. *Quid si moribundus sacrilege communicaverit, aut post Communionem in peccatum mortale reinciderit?* Quamvis in peccatum mortale reinciderit, ad Viaticum iterum sumendum non tenetur, sed sufficit ut confiteatur. Si vero sacrilege communicasset, iterum communicare deberet. *Viva* (*prop. XIV. Alex. VII. n.* 11). In praxi tamen ab hac obligatione facile excusabitur propter difficultates, et speciatim propter admirationem quae in familia et in populo oriretur.

849. *Quid si periculum grave mortis vicinae non ex infirmitate oriretur, sed ex alia causa; v. g., operatione chirurgica, praelio, navigatione, naufragio, itinere valde periculoso, partu, persecutione, aut si miles contra latrones ire deberet, maxime vero si quis ad mortem iam damnatus fuisset?* Certe in his casibus consilium est quod SS.ma Eucharistia sumatur. Imo Theologi de hoc strictam obligationem passim imponunt. Attamen dispensationem a ieiunio ad solos damnatos ad mortem restringere videntur. *Cf. Lugo* (*de Euch. XVI.* 47), *Baruffaldi* (*h. t.* 34-44), *Berengo* (*n.* 112), *Bened. XIV.* (*De Sacr. Miss. III.* xx. 6), *Gousset* (*II.* 227). Ego de praedicta obligatione rigorosa, saltem sic absolute generali atque adeo extensa, valde dubito. *Cf. Praxis* (*Ed. I. pag.* 716).

850. *Teneturne parochus tempore pestis, praeter Sacramentum Poenitentiae, Viaticum quoque administrare?* Affirmative; et sententia contraria (etsi communis inter recentiores) est certe falsa; ut patet ex responso S. Sedis (*apud Bened. XIV. De Syn. XIII.* xix. 10). Excipe nisi ageretur de peste adeo terrifica, talesque urgerent circumstantiae, ut necessarium vel melius censeri deberet a tali administratione abstinere; unde, approbantibus Superioribus et sine ullo scandalo, iam omnes ab illa abstinerent. Circumstantiae huiusmodi essent. 1. Si ad Viaticum administrandum alii sine absolutione sacramentali (quae maioris necessitatis est) mori cogerentur. 2. Si Eucharistia cum solemnitate prout de ritu deferri nequiret, eo quod qui deferant lumina, umbellam etc. non invenirentur. 3. Si magna adesset Sacerdotum penuria, quorum vita nimis esset necessaria, ni-

misque revera propter accessum ad moribundos pericliteretur. *Vide Casus conscientiae* (*Cas. II*).

851. *Quid de modo et ritu in administratione huius Sacramenti tempore pestis?* Decisio spectabit ad Episcopum, qui (data necessitate) concedere poterit ut Sacramentum in mensula decenter parata apponatur, ex qua aegrotus (praesente Sacerdote) suis manibus illud sumat et deglutiat. Concedere poterit quoque, ut sacerdos Sacram Particulam cum aqua aut vino ope cochlearis infirmo porrigat. *Cf. Bened. XIV.* (*De Syn. XIII.* xix. 25).

852. *Quid notandum circa communicnem infirmorum non ex viatico sed ad satisfaciendum praecepto paschali?*

I. Parochus tenetur Eucharistiam illis deferre intra quindenam (*Rituale*). Ex consuetudine tamen (saltem apud nos) praeceptum istud intelligitur dumtaxat de aegrotis ex morbo chronico; non vero de aliis qui post quindenam ad paroeciam se conferre poterunt.

II. Si quis ad modum Viatici intra quindenam communicaverit, ad iterum communicandum ratione praecepti paschalis (etsi mortis periculum evanuerit) non tenetur. Gury (*Cas. consc. I.* 453), *contra Baruff.* (*n.* 29).

III. Si infirmus ieiunus stare non posset, vide dicta (*n.* 764) *et in Praxi* (*Ed. I. pag.* 708).

853. *Quid notandum circa infirmos communicandos ex mera devotione?*

I. Si infirmus desideret communicare ex mera devotione, Parochus recusare non potest. (*Rituale* § 3°). Intellige si discrete petat, attento praecipue incommodo populi.

II. Imo Parochus adhortabitur infirmum ut Sacram Communionem sumat etsi graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat; maxime si festi alicuius celebritas id suadeat. (*Rituale l. c.*). Intellige si inspectis circumstantiis monitum istud expediat, et speciatim si agatur de morbo chronico vel utcumque diuturno.

III. Ut infirmus ex mera devotione communicari possit, debet esse ieiunus. Attamen pro casu valde exceptionali. Vide *Praxis* (*l. c.*)

854. *Quid notandum si Communio ad Sacerdotem infirmum deferatur?* Sacerdos cum stola alba collo appensa communicare debet; unde Parochus in hunc finem praeter suam deferet secum aliam. *Rit.* (*Tit. XXIV.* § *XI*) *et Baruff.* (*h. t.* 206).

De Parocho quoad Sacramentum Extremae Unctionis.

855. *Quid de obligatione administrandi hoc Sacramentum?* Quamvis forte infirmus excusari possit a mortali, si, secluso contemptu aut gravi scandalo aut speciali necessitate spirituali, Extremam Unctionem suscipere nolit; tamen a gravi peccato excusari nequit parochus, si infirmos absque hoc Sacramento mori sinat, dum illud sive expresse sive interpretative desiderant.

856. *Adestne haec obligatio etiam tempore pestis?* Quae dixi (*n.* 850) de obligatione administrandi Viaticum tempore pestis, applicanda sunt etiam ad Extremam Unctionem.

857. *Quid notandum circa ritum?* Praeter notissima, notanda sunt sequentia:

1. Unctio pedum non est de essentia, sed solum de praecepto. Dantur tamen casus, in quibus decentia non solum quoad foeminas sed etiam quoad masculos, exigere potest ut haec unctio omittatur (*Bened. XIV. de Syn. VII.* XVIII).

2. Etiam unctio renum est solum de praecepto, et quoad masculos dumtaxat, qui ex utroque latere ungi debent, si commode id fieri possit. (*Rituale*). Multi unctionem istam omittunt, adeo ut in quibusdam Dioecesibus pene in desuetudinem abierit; sed S. R. C. (14 *Aug.* 1858) scribens ad quemdam Episcopum in cuius Dioecesi talis unctio prorsus incognita erat et nunquam adhibita fuerat, dixit: « S. Congregatio ardentissimum votum « suum expressit ut, curante Amplitudine tua et docentibus « Parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur fideles « ad istam quoque specialem unctionem in extrema agone re« cipiendam iuxta Ritualis Romani praescriptiones » (*Decr.* 5271). Caute tamen haec unctio fieri debet, ne modestia offendatur, maxime si (prout ordinarie contingit) mulieres praesentes sint; et interdum, propter aliquod notabile incommodum (v. g., propter immunditiem et foetorem) omitti poterit.

3. Qui carent aliquo sensu (v. g., oculis) ungi debent, sicut ungerentur si illum haberent, quia desiderio peccare potuerunt; idque quamvis a nativitate illo sensu caruissent. Brachio vel crure mutilatus ungatur in parte proximiori (*Rituale*). Si tamen ageretur de coxendice mutilata, modestia exigere poterit, ut unctio omittatur.

4. Forma comitare debet unctionem, nec absolvi antequam ambo oculi, vel ambae aures, vel ambae manus, vel ambo

pedes uncti fuerint (*Rituale*). In dubio de vita, dici debet: *Si vivis.*

5. Si moribundus iam iam ultimum anhelitum trahere videatur, ungi debebit in fronte dicendo: « Per istam S. Unctio- « nem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus « omnes ». Quia tamen de validitate huiusmodi administrationis ambigi potest; moribundus, si supervivat, adhuc ungendus erit more solito in singulis sensibus, intelligendo administrare Sacramentum sub conditione quod prius valide administratum non fuerit. Alii vero suggerunt ut sub unica forma (dicendo nempe: Per istam sanctam unctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum deliquisti) celerrime ungatur unus oculus, una auris, una naris, unum labium, et una manus (vel pro manu aliqua alia corporis pars).

6. Tempore pestis Sacerdotes gossypium (Sacro Oleo intinctum) vel etiam penicillum adhibere poterunt, si Episcopus sic expedire decernat.

7. S. Oleum apud infirmum super mensam mappa candida coopertam poni debet.

8. Administrandum est non solum cum stola, sed etiam cum superpelliceo.

9. Antequam administretur, candelam ceream accendere, crucifixum infirmo osculendum praebere, atque adstantes ut pro infirmo orent admonere oportet.

10. Bombacii globuli, quibus loca inuncta fuerunt abstersa, ad Ecclesiam reportari debent, ut suo tempore comburantur, cineresque in sacrarium mittantur (*Rit. et Decr.* 4623).

858. *Quid si Oleum Sanctum deficere inciperet?* Si facile aliud Oleum ab Episcopo benedictum haberi non posset, oleum commune (attamen semper in minori quantitate) adiungi posset. (*Rituale*).

859. *Oleum Sanctum potestne retineri domi?* Debet retineri in Ecclesia, et quidem sub clave diligenter custodiendâ. Si tamen domus ab Ecclesia valde distaret, tunc posset etiam retineri domi in loco tuto atque decenti. (*S. R. C. Decr*. 4623, *ad* 3).

860. *Potestne Parochus tradere laico S. Oleum deferendum?* Negative, sed per se ipsum et decenter illud portare debet (intellige seclusa necessitate); neque in domo infirmi illud relinquere potest.

861. *Quid de subiecto? Quid scilicet exigitur ut alicui Extrema Unctio dari possit?* Exigitur 1° ut potuerit peccare, unde

perpetuo amentibus et pueris ante usum rationis dari nequit: 2° ut sit infirmus et in periculo mortis vicinae; 3° ut non sit indignus.

862. *Quid notandum circa pueros?* Puer qui sacramentalis absolutionis capax censeatur, Extremae Unctionis quoque capax censeri debet, quamvis forte Viaticum non videretur ei deferendum. Obligatio tamen praebendi S. Oleum his pueris non videtur gravis, maxime si sat certe constet quod gravia peccata committere non potuerint. In dubio de usu rationis, interrogentur parentes; et, dubio perseverante, puer sub conditione inungatur. (*Cf. Bened. XIV. De Syn. c. VIII.* VI. 2).

863. *Quid notandum circa statum infirmitatis cum periculo mortis vicinae?* 1. Periculum istud notabilem latitudinem habere solet; et, exceptis morbis chronicis, aut suapte natura valde diuturnis (ut phtisi, hydropisi, vitiis organicis etc.), etiam in principio adesse potest. *Barbosa* (*de Par. II.* XVI. 21). 2. Status infirmitatis subsistere potest quamvis homo in lecto non decumberet, aut etiam se bene valere crederet; et tunc iudicio medicorum standum esset.

864. *Quid de muliere quae soleat periculum mortis subire in partu?* Poterit quidem iniungi in partu ipso si periculose laboret; sed non antea, quia tunc est sana (*S. Lig.* 713).

865. *Quid de homine sano aut leviter infirmo, qui periculosam operationem chirurgicam proxime subire debeat?* Respondendum ut supra. (*D'Annib. III.* 305).

866. *Quid de moriente ex senectute?* Senectus pro infirmitate habetur (*Rituale*).

867. *Recusatio Extremae Unctionis impeditne quominus infirmus, qui recusavit, hoc Sacramento muniatur in extremis, quando sensibus destitutus evaserit?* R. Negative ordinarie. Haec enim recusatio accidere solet propter voluntatem non iam absolute respuendi hoc sacramentum, sed procrastinandi, dum infirmus credit non adhuc versari in statu adeo periculoso; vel propter incommodum lavandi pedes et mutandi linteamina; vel denique propter quamdam repugnantiam recipiendi Sacramentum istud (quod vulgo pro nuntio mortis habetur) in statu plenae cognitionis. Equidem Sacramenta dari nequeunt iis, qui ea suscipere nolunt, et oportet certe ut infirmus sit contentus; sed pro hoc sufficit si moribundus contentus fuerit ut Sacramentum ei conferatur in extremis: quod de fere omnibus christianis, etiam valde perversis, praesumendum est. Hoc sensu intelligi debet Rituale, ubi dicit, Extremam Unctionem

dari posse iis, qui illam *verisimiliter petiissent:* prout patet etiam ex praxi, cui consonant Theologi. *Vide Gury* (*Cas. consc. II.* 183).

868. *Quid si quis, actu peccati (v. g., furti, aggressionis, homicidii, duelli, suicidii etc.), vel in statu peccati (v. g. matrimonii mere civilis, concubinatus. meretricii in lupanari, vel officii mortaliter illiciti etc.) sensibus destitutus remanserit?* Rituale dicit, hoc Sacramentum penitus esse denegandum non solum impoenitentibus, sed etiam iis *qui in manifesto peccato mortali moriuntur,* quales sunt quotquot actu peccati vel in statu peccati sensibus destituuntur et repentina morte praeoccupantur; secus enim de quibusnam Rituale loqueretur? Haec itaque est certe regula generalis, et reapse passim huiusmodi moribundis Extrema Unctio denegatur (*cf. Gousset II.* 624 *et Berengo n.* 110), et, si concederetur, christifideles scandalizarentur, quasi Sacerdotes sancta darent canibus et proiicerent margaritas ante porcos.

869. *Circa hanc regulam quid notandum?* 1. Esse intelligendam pro casibus publicis, non vero si Parochus scientia privata dumtaxat sciret quod moribundus in statu peccati sensus amiserit, ut innuit Cury (*Cas. consc. II.* 182); neque profecto huiusmodi moribundi hoc Sacramento incapaces sunt absolute; possibilitas enim quod in corde proprio poenituerint, vix unquam deerit. 2. Ex eo quod Extrema Unctio dari nequeat, non sequitur quod absolutio quoque sit deneganda; haec enim est maioris necessitatis et secrete dari potest, prout reapse ex doctrina S. Ligorii (ut dixi supra n. 805. 806) his etiam moribundis passim datur. 3. In aliquibus locis Parochi et Capellani Ospitalium recedunt a regula Ritualis, iamque a longo tempore efformata est praxis communissima non solum absolutionem sed etiam Extremam Unctionem dictis moribundis concedendi, saltem in quibusdam casibus satis obviis; atque ex tali administratione nullum scandalum sequitur, sed potius perturbationes et scandala orirentur si Sacramentum non administraretur; et, quatenus ita esset, communem praxim (donec Episcopus illam non interdicat) sequi posse dicerem. Si tamen ageretur de casibus extraordinariis, ita ut Extremae Unctionis administratio male audiretur, tunc in istis etiam locis abstinendum esset. 4. Quod dictum est de iis qui actu peccati sensus amiserunt de excommunicatis quoque notorie et pertinaciter, repeti debet (*Berengo l. c.*).

870. *Quid de impoenitentibus?* R. Hi certe hoc Sacramento

donari nequeunt. Heic communis locorum omnium praxis cum Rituali concordat. Quinam autem censeri debeant impoenitentes explicavi supra (n. 808).

871. *Sed quid si impoenitentia soli Parocho nota sit? Quomodo scilicet se gerere debebit Parochus, si, secreto infirmum allocutus, illum impoenitentem repererit; et postea a familia (quae de impoenitentia nihil sciat) advocetur, dum infirmus sensibus destitutus evasit? Poteritne Extremam Unctionem eidem administrare, ut ex una parte impoenitentiam servet occultam, et ex alia ipse non incusetur quasi muneri proprio deficiat?* Non solum animae commendationem huic moribundo concedere deberet, sed etiam Extremam Unctionem, quae non iam ex absoluta subiecti incapacitate (qui enim prius non poenituit postea poenitere potuit), sed solum ex disciplina Ecclesiae, non conceditur iis, qui usquedum loqui potuerunt Sacramenta respuerunt; quae disciplina servari debet de regula ordinaria, non vero si circumstantiae speciales clament ut, non obstante dicta impoenitentia, hoc Sacramentum (intellige sub conditione) conferatur, prout in casu.

872. *Quid de furiose delirantibus?* Rituale dicit: « Si infir-« mus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset « quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inun-« gatur, nisi periculum tollatur omnino ». Bonum quidem animarum, sed etiam reverentia Sacramenti Ecclesiae cordi est.

873. *Hoc Sacramentum potestne dari ante Viaticum?* Extrema Unctio dari debet post Viaticum de regula ordinaria, excepto nempe casu, in quo S. Oleum in promptu esset, et timeri deberet ne, si prius Viaticum deferri vellet, infirmus moriturus esset. Ordinarie etiam expedit ut non praecise immediate post Viaticum conferatur (nisi locorum distantia aut periculum mortis imminentis id suadeat); sed aliqua mora inter utrumque Sacramentum interponatur, ut interim infirmus blande et convenienter disponi possit, ut, ex Rituali et communi praxi, notat Scavini (*III.* 416).

874. *Quid de praxi administrandi hoc Sacramentum indiscriminatim solum in extremis?* Rituale dicit, hoc Sacramentum adhibendum esse « eo tempore, si fieri possit, cum (infirmis) « adhuc integra mens et ratio viget, ut, ad uberiorem Sacra-« menti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam « animi voluntatem conferre possint ». Et Catechismus Romanus subiungit: « Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti « inungendi observare solent, cum, iam omni salutis spe a-

« missa, vita et sensibus carere incipiat ». Adde periculum ne aegrotus sine hoc Sacramento moriatur; multae enim infirmitates valde fallaces esse solent. Praxis itaque administrandi hoc Sacramentum indiscriminatim solum in extremis (et maxime si id servaretur etiam in iis morbis, qui speciali periculo mortis *inopinatae* subiiciuntur) corruptela est, et proinde Parochus (si in eius Paroecia talis abusus vigeat) populum ita instruere debet, ut Christifideles ad Extremam Unctionem pio et libenti animo suscipiendam paullo post Viaticum se disponant. Doctrinam autem populo expositam in praxi adhibebit; sed blande et prudenter. *Blande*, adducendo exemplum Apostolorum, qui « ungebant Oleo multos aegros et sanabantur », simulque ostendendo utilitates spirituales et corporales, quae ex hoc Sacramento dimanant. *Prudenter;* cum quibusdam enim cautissime procedendum erit, aut etiam de Sacramento isto prorsus silendum (ne quod lucratum fuit, deperdatur). Neque profecto per vim aut quasi per vim quisquam inungi debebit; Rituale enim dicit: *si fieri possit;* et Catechismus ait, hanc coelestem medicinam dandam esse quando magis censenda sit profutura; atque evidenter supponit casum personae, quae non iam aegro animo, sed libenter cum pio et devoto affectu hoc Sacramentum susceptura sit. Curandum erit quoque ut non solum infirmus sit contentus, sed etiam illius familia; secus enim ordinarie turbationes suscitarentur et nihil boni obtineretur; imo (apud nos) contingere posset quod, propter Extremam Unctionem, invita familia, administratam, ulterior Sacerdotis accessus penitus impediatur.

875. *Quid de iterata huius Sacramenti administratione?* Rituale dicit: « In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari « non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, « iterum in periculum mortis incidit ». Oportet itaque ut periculum mortis vicinae evanuerit. Qua in re melius erit stare iudicio medicorum; saepe enim evasio a periculo est illusoria et non realis. Caeterum in dubio scrupuli Parochis non sunt iniiciendi.

PUNCTUM VIII.

De Parocho quoad Sacramentum Ordinis Sacri.

876. *Quid de instructione circa Sacramentum istud populo tradenda?* Parochus docebit populum 1. de sublimi sacerdotum dignitate, et multiplici potestate; 2. de obligatione genitorum

neque obsistendi, si forte filius ad statum clericalem vocetur; neque filium per vim cogendi, ut, quamvis a Deo non vocatus; talem statum eligat; 3. de obligatione denunciandi, si quid adsit in contrarium, quando alicuius assensus ad Ordinem Sacrum in Ecclesia publicatur.

877. *Quid de cura illorum qui ad statum clericalem amplectendum dispositionem ostendunt?* Si semper, hodie speciatim (tantam enim lugemus sacrorum ministrorum penuriam!) cordi debet esse parochis, ut adolescentulos bona indole et bonis moribus praeditos (maxime si ingenio quoque polleant, aut a militari conscriptione immunes futuri sint) ad ecclesiasticam vitam eligendam disponant. Summa diligentia a sociis, scholis, et libris periculosis eos avertere studeant. Curent denique ut cito vestes clericales induant.

878. *Postquam iuvenis vestes clericales induerit, quid curandum a parocho?* Curandum ut iuvenes huiusmodi ad civitatem episcopalem mittantur, diligentissime cavendo (quatenus in seminario claudi nequeant) ne apud familias, in quibus foeminae iuvenes aut alia pericula adsint, collocentur. Si autem in paroecia remanere cogantur, tunc quaquaversus (ut nempe spiritum ecclesiasticum custodiant, in congruis studiis proficiant, atque victu et vestitu, si pauperes sint, non careant) eos, quantum fieri poterit, adiuvent. In hunc finem maxime proderit, si parochi in civitatibus et oppidis adlaborent, ut piae societates ad pauperum clericorum adiumentum instituantur, aut (si institutae sint) conserventur atque adaugeantur. In clericos (sive tempore autumnali a seminario reduces, sive habitualiter sive occasione rusticationis in paroecia remanentes) specialem vigilantiam exerceant, et bonis modis eos corrigant etc.

879. *Quinam sunt defectus in clericis magis observandi?* Sunt 1. Si in vestibus et speciatim in capillorum compositione levitatem praeseferant; 2. Si conversationes adeant, et speciatim si cum foeminis libenter conversentur; 3. Si tempore nocturno huc illuc per civitatem circumvagent, maxime cum saecularibus; 4. Si in sacristiis, et multo magis in locis qui *Caffè* vocantur, vel apud pharmacopolas etc., tempus terant, et se esse otio deditos satis superque demonstrent. 5. Si studendi voluntatem non habeant. 6. Si sacris functionibus assidui non sint, vel in ipsis devotionem non ostendant; 7. Si pro doctrina christiana pueris tradenda servitium diligenter non praestent; 8. Si diebus ferialibus Missam non audiant, SS.mum Sacramentum non visitent, vel nimis raro ad Sacramenta accedant; et, uno

verbo, si veram et constantem animi pietatem non praeseferant.

880. *Quid de relationibus Episcopo dandis quoad clericos?* Quatenus eorum mores sint tales ut (si sacerdotes evaderent) de bono exitu serio timendum esset; tunc parochus Episcopo id significare non omittat. Muneribus, precibus, aut promissionibus non cedat; et falsa commiseratione in re adeo momentosa se abduci non sinat.

PUNCTUM IX.

De parocho quoad sacramentum Matrimonii.

881. *Quaenam sunt instructiones magis necessariae circa hoc sacramentum populo tradendae?* Sunt sequentes.

I. Matrimonium civile, ab ecclesiastico seiunctum, apud Deum, Ecclesiam et in conscientia nihil valet, et est concubinatus. Attamen, celebrato matrimonio ecclesiastico (quod solum veri matrimonii nomen meretur), civile quoque est celebrandum.

II. Matrimonium est sacrum, imo Sacramentum magnum; unde in gratia Dei, et (saltem practice) praemissa confessione recipi debet.

III. Benedictio nuptialis, Eucharistiae susceptio aliique ritus, qui in publica huius sacramenti receptione adhibentur, magni fieri debent; et Ecclesia, licentiam celebrandi matrimonium privatim, concedit quidem; sed (seclusis causis vere gravibus) non libenter.

IV. Matrimonium obligationes gravissimas (quae diligenter et prudenter explicari debent) secum fert.

V. Electio personae matrimonio sibi copulandae est actus quam maxime momentosus, ad quem non ex caeco amore, bene vero ex sapienti consilio, matûra ponderatione, atque ordinarie cum consensu parentum, deveniendum est.

VI. Falsa data spe matrimonii, puellam sibi devincire, magnum delictum est.

VII. Periculosissimi et omnino reprobandi sunt amores, si quovis fundamento solido destituantur, vel tempore nimis diuturno aut clam continuentur; speciatim si parentes nihil scirent, maxime vero si eorum consensus sperari non posset, aut si iam firmiter obstarent, et multo magis si talis reluctantia prorsus rationabilis esset.

VIII. Sponsalia (quamvis apud leges civiles pene nullam vim habeant. Art. 53. 54) graves et serias consequentias pa-

riunt; practice enim non raro res eo tandem desinunt, ut miserae puellae, partim in conscientia (atque etiam apud iudicem ecclesiasticum) et partim ex vexatione, firmiter ligatae remaneant; et e contra iuvenes omnimodam libertatem sibi arrogent. Sponsalia itaque (nisi contrahantur matrimonio iam instante), maxime si absque scriptura et sine testibus fiant, sunt dissuadenda.

IX. Genitores, et speciatim matres, gravi culpa se coinquinant, si filias cum amasiis solas, sive in cubiculis sive dum illos abeuntes ad domi ianuam comitantur, notabili tempore relinquant, dum id impedire possent.

X. Denique circa obligationem gravem denunciandi impedimenta, si quae sint, populus instrui debet

882. *Circa visitationes, quas adamantes matrimonio praemittere solent, praeter instructionem populo dandam (ut supra), estne aliud notandum?* Parochus hac in re neque nimis rigidus, neque omnino indifferens esse debet; si enim res (attentis circumstantiis) nimis in longum procedant; et speciatim si puella sine custodia sit; maxime vero si lapsus intercesserint; curare tenetur, ut matrimonium cito concludatur. Sponsalibus autem iam contractis, si forte iuvenes in eadem familia conviverent (v. g., si famula heri filio nuptura esset), separatio exigi deberet. Caeterum vide dicta *De Occasionariis* (*n.* 229-245).

883. *In tractatibus matrimoniorum quoad personae electionem potestne parochus se ingerere?* Lenocinium, quamvis ad honestum matrimonium dirigatur, parocho non decet. Dicteriis et quandoque sinistris iudiciis se exponeret. Nihil dico de maledictionibus, si forte matrimonium exitum infelicem habiturum esset; maxime si sponsorum alteruter solum propter persuasiones et non libenti animo nuptiis consentiret. Parochus tamen se aliquo modo ingerere posset, si conclusio matrimonii ad scandalum reparandum, ad prolem legitimandam, vel ad puellae honori consulendum necessaria evasisset; sed tunc quoque non semper matrimonium urgere deberet; interdum enim satius est ut puella iacturam suam in pace toleret, quam ut cum dyscolo perpetuum vinculum contrahat. Caveat etiam Parochus, ne matrimonii alicuius conclusioni se opponat, maxime si pro sola utilitate temporali huius vel illius familiae se opponeret (ut puta, si iuvenis dives puellam pauperem ducere vellet). Imo rogatus pro informationibus, valde caute procedat; saepe enim expedit, ut, si informationes ab aliis capiendae sint, hoc onus declinet; et si de scientia propria interrogetur, laudet qua parte laudare potest, et de caetero taceat, aut verbis am-

biguis et evasivis utatur. Si secus ageret, odia multa et fortassis acerrima iuvenum et familiarum facile contra se concitaret; quod semper (seclusa necessitate, quae in huiusmodi casibus non satis adesse solet) evitandum est.

884. *Quid si parochus timeret, ne, praetermisso matrimonio ecclesiastico, matrimonium mere civile celebretur?* S Poenitentiaria (*Encycl.* 12 *Aug.* 1882) dicit: « Penes sponsos, ac « praesertim puellas, quae ut plurimum recte de religione sen-« tiunt, etiam per interpositas personas, (Parochi) agant ne « nuptiis consentiant, nisi eaedem ante civiles ritus coram Ec-« clesia christiano more celebrandae sint, reiectis quibuscumque « promissionibus (N. B.), quae non raro fallaces esse solent ». Non desunt viri, qui obtemperaturi sunt, sed aliquantisper a parocho rogari volunt: benevole itaque rogentur. Alii timent expensas sive pro fide status liberi, sive pro eleemosyna Missae, sive multo magis si aliqua dispensatio peti deberet. Parochus, sin minus dicat omnia gratis illos esse obtenturos, saltem curet ut expensae imminuantur, aut solum ab una parte clam sustineantur. Alii respectum humanum reformidant, et tunc matrimonium, de licentia Episcopi celebretur privatim, aut etiam (in casu extremo) per procuratorem vel epistolam; dummodo postea aliquo modo divulgetur matrimonium rite fuisse celebratum.

885. *Teneturne parochus inquirere an sponsi praeter matrimonium ecclesiasticum, civile quoque contracturi sint; et quid si illud non sint contracturi, vel de hoc sit dubitandum?* Parochus tenetur certe de hac re inquirere; et, si sponsi matrimonium civile non essent contracturi, vel de hoc foret dubitandum, et (uno verbo) si publicationes civiles simul cum ecclesiasticis locum habiturae non essent; parochus procedere non posset, et Episcopum commonefacere deberet. Vide *De Occasionariis* (*n.* 118).

886. *Contrahendumne est prius matrimonium ecclesiasticum, an vero civile?* Prius ecclesiasticum. Ita declaravit S. Poenitentiaria (15 *Ian.* 1886); et subiunxit: « Si qua, coactio « aut absoluta necessitas (quae facile admittenda non est) eius-« modi ordinis invertendi causa esset; tunc omni diligentia « utendum erit, ut matrimonium coram ecclesia quamprimum « contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti consistant ».

887. *Antequam de matrimonio contrahendo publicationes fiant, quid exigitur?* 1° Si forte parochus sciret adesse aliquod impedimentum, agendum erit pro dispensatione. Exigitur 2°

examen sponsorum, vulgo *consensus*. Exigitur 3° fides status liberi.

888. *Examen sponsorum in quo consistit?* In examinandis sponsis (intellige seorsim et a proprio parocho) 1° circa Matrimonium 2° circa catechismum.

889. *Quomodo examinari debent sponsi circa matrimonium?* An sciant 1° matrimonium esse sacramentum institutum a Christo Domino ad gratias pro coniugali statu necessarias eis conferendas; 2° recipiendum esse in gratia Dei. Examinari debent 3° an aliquid obstet; maxime vero an libere et sponte consentiant, an adsit quoque parentum consensus, an cum alia persona sponsalia contraxerint, an sciant vel suspicentur aliquod adesse impedimentum, et an ad celebrandum etiam matrimonium civile sint dispositi. Examinari debent 4° circa matrimonii obligationes, et speciatim circa prolis educationem.

890. *Quomodo examinandi sunt sponsi circa catechismum?* 1° Sufficit ut examinentur per summa capita circa fidem, legem Dei et Ecclesiae, et media salutis. 2° Discretione opus est. Agitur, v. g., de persona quae examen bono animo acceptura sit? Tunc exigatur ut mysteria principalia Fidei, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicalem, Sacramenta, et praecepta decalogi atque Ecclesiae recitet; speciatim si agatur de sponsa (filios enim in christiana doctrina instruere ad matres praecipue spectat). Agitur de iis qui adeo hebetis sunt ingenii, et exilis memoriae, ut (v. g., Symbolum Apostolicum) nunquam didicere potuerint; aut de aliqua foemina quae verecundetur et confundatur? Cum his (quamvis bono animo, ut dixi, examen subeant) severitas adhiberi non debet. Agitur de iis qui (attenta eorum conditione, aut exigua, ut ita dicam, religione, prout hodie maxime in civitatibus et quoad viros facile accidit) non libenter examen subituri sint? Tunc prudentia exigit ut parochus examen circa formulas magna ex parte vel etiam ex toto (et forte etiam quaslibet alias interrogationes) praetermittat. Attamen cum omnibus (aut fere omnibus) methodum servabit enunciandi paucis verbis (et quasi ad modum reducentis in memoriam) principales veritates circa fidem, legem, et media salutis, ut supra dicebam.

891. *Quid si sponsus apud parochum pro examine comparere nolit, sed solum ope tertiae personae (v. g., matris suae) consensum suum ei significet?* Per se loquendo, hoc certe non sufficit; quod enim sponsi comparere debeant personaliter apud parochum, et hic nequeat ad proclamationes procedere, nisi

prius de sponsorum instructione sufficienti certus evaserit; hoc est de iure, et generali Ecclesiae lege praecipitur. *Praxis* (*ed. I. pag.* 798). Quid ergo agendum? Parochus rem significabit Episcopo, qui pro casibus particularibus dispensare poterit.

892. *Quid de fide status liberi?* Antequam matrimonium publicetur, exigitur, quamvis sponsi essent ambo dioecesani (nisi lex in desuetudinem abierit), fides status liberi conficienda in curia episcopali; ad quam proinde (vel ad vicarium foraneum, si pro examine testium fuerit delegatus) duo testes pro sponso et totidem pro sponsa mitti debent. Si hi testes non sint cancellario episcopali (aut vicario for.) cogniti, exigitur ut parochus per litteras de eorum idoneitate illum tutum reddat. Erunt autem idonei si ex una parte sint fide digni, et ex alia personam (de cuius immunitate ab impedimentis testari debent cum iuramento) cognoverint iam inde ab eius pubertate, eique adeo prope habitaverint aut quomodolibet semper in tali relatione fuerint, ut, si in vulgus notitia aut rumor de aliquo contracto impedimento irrepsisset, ipsos non latuisset. In hunc finem acceptantur (imo praeferuntur) personae de eadem sponsorum familia (v. g., fratres, genitores etc.), neque excluduntur foeminae. Duo testes pro ambobus sponsis sufficerent, si illos ambos ut supra cognovissent, non vero secus. (In hoc practice multum alicubi delinquitur; imo interdum acceptantur testes, qui nec sponsum nec sponsam unquam cognoverunt nihilque de ipsis scire possunt, et nihilominus iuramentum eis datur!!)

893. Quoad viduos, exigitur etiam fides authentica et legaliter recognoscibilis de morte coniugis.

894. Si, habita fide status liberi a curia episcopali, matrimonium ad tres menses procrastinaretur, ordinarie nova fides exigeretur, nisi Episcopus hanc non esse necessariam existimaret.

895. Pro matrimoniis in articulo mortis contrahendis, fides status liberi non exigitur. Attamen, si coniux forte convalesceret, matrimonio uti non posset, nisi prius omnia supradicta praestita fuerint. *Cf. Instruct. et Decr. S. C. S. O. apud Berengo* (*Enchirid. Miscellanea IX*).

896. *Quid si unus ex sponsis esset diversae dioecesis?* R. Tunc fides status liberi perficienda est in ambabus curiis, neque publicationes fieri possunt antequam curiae eamdem fidem sibi invicem communicaverint; idque servandum est quamvis dioeceses vicinae, aut paroeciae sponsorum in duarum dioecesum confiniis essent (*l. c.*).

897. *Quid si sponsi non semper extitissent dioecesani?* R. Si ante pubertatem in dioecesim venerint et in ipsa semper commorati fuerint, tunc ut simpliciter dioecesani considerantur. Si vero post pubertatem in aliis dioecesibus degerint, tunc (stando in terminis iuris) fides status liberi a respectivis curiis exigitur; idque quamvis a decem annis et ultra intra dioecesim venissent, aut etiam coniugati, et postea, mortua uxore, aliam ducere vellent. Si vagi fuissent, habita fide status liberi a dioecesi originis et a locis ubi diutius moram duxerint, iuramentum suppletorium sponsis ipsis dari deberet. Dixi: *stando in terminis iuris;* alicubi enim ex consuetudine quando in dioecesi (eo quod, v. g., sponsi proprias familias secum habeant) reperiantur qui de statu libero iam inde ab adolescentia testari possint; id satis esse censetur (*l. c.*).

898. *Quid de matrimonio conscientiae?*

I. Matrimonium *conscientiae* celebratur non solum omissis publicationibus, sed etiam ita occulte, ut parochus et testes ad arctissimum secretum perpetuo teneantur, et adnotatio celebrati matrimonii fiat non in libro consueto, sed in libro apud curiam episcopalem asservato sigillisque munito.

II. Sine dispensatione Episcopi nullum matrimonium hoc modo celebrari potest. Episcopus autem potest quidem hanc licentiam concedere (ex Bulla *Satis vobis* Benedicti XIV), sed solum ex causa gravissima et urgentissima, omnibusque circumstantiis diligenter perpensis, et magnis cautelis adhibitis; ne matrimonia huiusmodi luctuosos effectus habitura sint.

III. Causae gravissimae essent 1° si vir et foemina ex dissitis regionibus venissent, et in loco tamquam legitimi coniuges reputarentur; 2° si (stante concubinatu occulto vel periculo incontinentiae) vir esset dives et nobilis, mulier vero pauper et obscurae familiae; unde, si matrimonium notorie celebraretur, dedecus viro ipsi inureretur, et dicteria, molestiae, discordiae familiares etc. sequerentur (Bened. XIV. De Syn. XIII. xxiii. 12).

IV. Cautelae autem adhibendae consistunt praecipue 1. in habenda certitudine de statu libero utriusque coniugis; 2. in considerando ne forte timendum sit de divortio, et speciatim de celebratione matrimonii civilis (ne dicam etiam ecclesiastici) cum alia; 3. in habenda ratione scandali, aut periculi ne occulti coniuges prolem impedituri, aut necaturi, aut ad brephotrophium sic et simpliciter missuri sint; quae omnia ordinarie plus vel minus erunt timenda, si de iuvenibus agatur. Videndum etiam 4. an agatur de filiis familias, qui contra parentum iuste

dissentientium voluntatem huiusmodi nuptias contrahere velint. Videndum 5. ne agatur de beneficiato, qui clam contrahat ne beneficium amittat. In quovis casu 6. admonendi sunt occulti coniuges de obligatione denunciandi Episcopo prolem (si forte illam suscepturi erunt) *intra mensem* a die nativitatis, ut illius legitimitati consultum sit; quod nisi fieret, aut si aliquid contra matrimonii unitatem attentaretur, matrimonium ipsum revelaretur. Cf. Bullam cit. Bened. XIV. et Vecchiotti (III. XIII. 83).

899. *Quum de regula ordinaria exigantur proclamationes, explica cur exigantur, et in quo consistant?* Exiguntur ad impediendum ne quis iam alio matrimonio ligatus, aliisve impedimentis detentus, aut insciis parentibus, nuptias contrahat. In quo consistant, explicatur a concilio Trid. (XXIV. I) dicente: « Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contra- « hentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia « inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos ma- « trimonium sit contrahendum ».

900. *Explica verba: A proprio contrahentium parocho?* 1.: « Si vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia « fiant denuntiationes » (*Rituale*). 2. Proprius parochus intelligitur ille, in cuius paroecia sponsi, ut veri parochiani, habitant de praesenti. 3. Interdum publicationes parochi huius non sufficiunt. Si enim matrimonium celebrari debeat a iuvene degente in collegio, monasterio, vel conservatorio; publicationes non solum in paroecia collegii, monasterii etc., sed etiam in illa ubi eius parentes vel tutores degunt, faciendae sunt. Idem dic de milite, si forte in exercitu longe a domo paterna nuptias contracturus foret. Idem dic a fortiori si sponsorum alteruter duplex domicilium haberet (si nempe sex mensibus in una et sex mensibus in alia paroecia habitare solitus esset); aut si matrimonium contrahere vellet in loco quasi-domicilii, dum alibi principalem parochialitatem conservat. De iure faciendae essent proclamationes etiam in paroecia, a qua quis a brevi tempore discessit; atque insuper (absque ulla casuum distinctione) in loco originis. Sed regulae istae non ubique vigent; et proinde parochi in praxi propriae dioecesis consuetudinem (donec Episcopus aliter non disponat) observare debebunt. *Praxis* (*Ed. I. pag.* 845).

901. *Quoad verba:* Tribus continuis diebus festivis, *quid de diebus festis suppressis?* In iis quoque fieri possunt proclamationes; sed dummodo frequens populus ad Missam concurrere

soleat, et sic scopus a Concilio intentus obtineri possit. *Cf. plures S. C. C. decisiones apud Vecchiotti* (§ 71).

902. *Quid de illis diebus ferialibus, qui a populo ex devotione tamquam festivi celebrantur?* In his fieri nequeunt proclamationes, nisi pro aliquo casu particulari ex causa rationabili et de licentia Episcopi. *Vecchiotti* (*l. c.*).

903. *Quid si proclamationes fierent quidem tribus diebus festivis, sed non continuis?* Alicubi consuetudo est ut, si forte occurrat dies festivus infra hebdomadam, liceat illum praeterire peragendo proclamationes solis diebus dominicis; imo alicubi dioecesanae leges iubent, ut dies festus sine proclamationibus relinquatur, si forte die immediate antecedenti proclamationes factae fuissent. Parochi itaque propriae Dioecesis consuetudinibus vel legibus se conformabunt; sed certe a peccato veniali excusari nequiret parochus, qui, postquam fecerit primam proclamationem, v. g., die dominica, sequentem diem dominicam praeteriret, quin adhuc secundam perageret. *Scavini* (*III.* 809).

904. *Proclamationes possuntne fieri etiam tempore pro nuptiis vestito?* Affirmative; sufficit enim ut nuptiarum celebratio ad tempus licitum differatur.

905. *Quid de gradu culpae in omissione proclamationum?* Unius proclamationis omissio peccatum veniale non excedit; idemque dicunt Salmanticenses de duabus. Ego dicerem perpendendas esse circumstantias, et speciatim 1. qua de causa omittantur; 2. utrum alicuius impedimenti timor adsit; 3. an populus admonitus fuerit proclamationem illam esse ultimam; 4. praecipue vero an inter talem proclamationem et matrimonii celebrationem intervallum decurrat *Cf. S. Lig.* (*VI.* 990). Omittere autem proclamationes ex toto (intellige semper seclusa dispensatione expressa aut saltem legitime praesumpta) certe peccatum mortale est.

906. *Quid de locis ubi Conc. Trid. publicatum non fuit?* Servabitur Dioecesis consuetudo. Attamen una saltem publicatio ubique exigitur. *Cap. finali de cland. despons.*

907. *Quid significant verba. In Ecclesia inter Missarum solemnia?* Significant in Missa parochiali. *S. C. C. apud Scavini* (809).

908. *Quid si parochus oblitus fuerit?* Tunc fieri poterunt in alia Missa (supposito semper populi concursu), aut etiam post meridiem in concione, in processione etc.

909. *Quid tempore pestis, si populus ad Ecclesiam non con-*

currat? Per publica edicta (nisi Episcopus dispenset) Ecclesiae ianuis affixa peragendae erunt (*Cf. Scavini n.* 900).

910. *Quid de dispensatione a proclamationibus?* Episcopi eorumque vicarii generales habent facultatem ordinariam (quam aliis delegare possunt) dispensandi a publicationibus. Attamen causae legitimae exiguntur; quales essent non solum si ageretur de periculo mortis, aut de matrimonii iam contracti revalidatione, aut si qui de facto concubinarii sunt coniuges legitimi reputarentur, aut si iustis de causis matrimonium secretum (vulgo conscientiae), iuxta supra dicta (*n.* 898) celebrandum esset; sed etiam si mulier iam esset gravida et timeretur ne vir voluntatem mutaturus esset, vel si sponsi parati essent ad matrimonium civile statim nullaque interiecta mora contrahendum; et multo magis si publicationibus non consentirent, et timendum esset, ne si fierent, civiliter dumtaxat et non ecclesiastice nuberent; vel si sponsus ad longinquas regiones statim profecturus esset; vel si timeri deberet ne parentes matrimonium inique impedituri essent; vel si ageretur de Regibus et Principibus, quorum matrimonia in ecclesia publicari non soleant; vel si ex una parte tempus Quadragesimae vel Adventus immineret, et ex alia periculum incontinentiae aut aliud grave motivum suaderet, ne diu matrimonium differatur; denique si sponsi valde senes, aut sive aetate sive conditione valde dispares essent, unde publicationes risum et dicteria provocarent. In praxi parochus, dispensationem implorando, causam exponat simulque, an alicuius impedimenti timor adsit vel non adsit, Episcopum certiorem faciat. Episcopus autem dispensare poterit ab una proclamatione ex causa non adeo gravi, a duabus ex causa absolute gravi, ab omnibus vero solum ex causa gravissima. *Praxis* (*Ed. I. pag.* 846. 847).

911 *An Parochus, absque dispensatione ab Ordinario obtenta, possit aliquando Matrimonio, omissis proclamationibus, assistere?* R Si Ordinarius adiri nequiret, et motiva essent adeo gravia, ut Episcopus dispensationem omnino concedere teneretur; tunc dispensatio praesumpta sufficeret, et parochus assistere posset, imo deberet. *S. Lig. VI.* 1007. Aliqui censent, Parochum assistere posse etiam casu quo Episcopus iniuste renuisset; nec ad maiorem Superiorem recurrendi tempus adesset. Sed haec opinio mihi videtur subversiva et practice non admittenda, nisi forte Episcopus iam aliis vicibus de imprudenti severitate convictus fuisset, aut alienationis mentalis signa dedisset.

912. *Fideles tenenturne denuntiare etiam impedimenta improprie dicta, nempe si nupturiens esset excommunicatus; aut, seclusis sponsalibus, aliam ducere teneretur etc.?* Negative; sed haec obligatio respicit sola impedimenta veri nominis, sive dirimentia sint, sive impedientia

913. *Quid si publicationes praetermissae fuissent?* Obligatio denunciandi impedimenta subsisteret sub gravi eodem modo. *Sanchez* (*III.* XIII. 2) *et Scavini* (812).

914. *An et quaenam causae a denunciandis impedimentis excusent?* 1° Si denunciatio propter secretum esset illicita; 2° Si esset inutilis; 3° si absque gravi incommodo fieri nequiret. *S. Lig.* (*VI.* 995).

915. *Quale secretum impedimentorum denunciationi obstaret?* Secretum, quod consilii vel auxilii petendi causa commissum fuerit (prout accidit in medicis, obstetricibus etc.) *Scavini* (812) *et Berengo* (132) *contra alios.* Certe solum secretum naturale aut merae confidentiae, etsi promissum et iuratum, ab hac obligatione non eximit. *S. Lig.* (994).

916. *Quandonam denuntiatio censeri inutilis, et ex hoc capite omitti poterit?* 1. Si testis de visu iam denuntiasset (tunc enim testis de fama ad nihil teneretur); 2. si dispensatio iam petita fuisset; 3. si sponsi admoniti, iam a matrimonio abstinere essent parati; 4. si matrimonium iam contractum fuisset. 5. si denuntiatio ad nihil (et nequidem ad indagandum) deservire posset; ut puta, si ex una parte de re suapte natura occulta ageretur (prout accidere potest in impedimento affinitatis ex copula illicita), et ex alia parte solum notitia vaga, incerta et ad modum suspectus, vel a personis ignotis aut levibus, habita fuisset. *Cf. S. Lig.* (994), *Scavini* (812) *et Sanchez* (III. XIII. 7).

917. *Explica quando ex gravi incommodo denunciationis obligatio cessaret?* Exemplum esset, si ex facto infamanti proprio, vel proximorum consanguineorum, impedimentum ortum fuisset. *Scavini* (*l. c.*).

918. *Quid si, publicationibus peractis, nullum detectum fuerit impedimentum?* Tunc parochus sponsi de hac re litteras testimoniales mittere debet ad parochum sponsae, qui, illis habitis (et non antea), matrimonio assistere poterit. Et notandum quod inter ultimam publicationem et matrimonii celebrationem ad minus una dies intercedere debet, ut, si quis aliquod impedimentum denunciare debeat, id praestare possit. *Scavini* (*n.* 810).

919. *Quid si Matrimonium diu differatur?* Rituale dicit: « Si infra duos menses post factas denunciationes Matrimonium « non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Epi- « scopo videatur ».

920. *Quid si aliquod impedimentum denuntietur?* Parochus illud ad Episcopum statim deferre debet; idque quamvis dubium, falsum; vel calumniosum ei videretur; iudicium enim non ad parochum, sed ad Episcopum spectat. *Vecchiotti* (§ 71).

921. *Quid si, nemine denuntiante, parochus ipse alicuius impedimenti notitiam haberet?* Illud Episcopo denuntiare teneretur; dummodo illud cognoscat non ex sola confessione aut sponsorum ipsorum secreto commisso, eo quod de re occulta (quae sine infamia revelari nequeat) aut de voto occulte emisso, agatur; quibus in casibus per se ipsum dispensationem procurare deberet, ut infra declarabitur.

922. *Quotuplicis generis sunt matrimonii impedimenta?* Duplicis; alia enim sunt *dirimentia* (quae scilicet matrimonium invalidum reddunt); et alia sunt *impedientia* (quae illud non invalidum sed solum illicitum reddunt).

923. *Quot et quaenam sunt impedimenta dirimentia?* Sunt quindecim; scilicet error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, aetas, affinitas, clandestinitas, impotentia, raptus.

924. *Explica aliqualiter haec impedimenta.* Error; scilicet error personae. Conditio; scilicet servitus stricte dicta (*it. schiavitù*) ab alio (libero) ignorata. Votum; scilicet votum solemne castitatis. Cognatio; scilicet 1° *Consanguinitas* usque ad quartum gradum inclusive; 2° *Cognatio spiritualis* contracta a patrinis cum baptizato vel confirmato eiusque patre et matre; 3° *Cognatio legalis* contracta propter adoptionem legalem ad tramites legis civilis. Crimen; scilicet 1° adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii; 2° adulterium cum coniugicidio ex intentione matrimonii perpetrato; 3° coniugicidium mutua conspiratione perpetratum. Cultus Disparitas; scilicet si una persona sit baptizata et altera non. Vis; scilicet metus gravis, iniustus et incussus ad hoc. Ordo; scilicet Ordo sacer. Ligamen; scilicet si matrimonio antecedenti quis sit adhuc ligatus. Honestas; scilicet quaedam cognatio 1. ex sponsalibus, solum usque ad primum gradum; 2. ex matrimonio rato (etsi non consummato) usque ad quartum gradum. Aetas; scilicet impubertas, quae praesumitur si masculus annum XIV, et foemina annum XII non compleverit. Affinitas; scilicet 1. ex matrimonio con-

summato, usque ad quartum gradum; 2. ex copula illicita usque ad secundum gradum. Clandestinitas; scilicet si matrimonium non contrahatur coram proprio parocho et duobus testibus. Impotentia; scilicet 1. impotentia coeundi; 2. impotentia seminandi a parte viri. Raptus; scilicet si mulier fuerit a viro violenter abducta matrimonii ineundi causa, et adhuc sub eius potestate sit.

925. *Quot et quaenam sunt impedimenta impedientia?* Sunt quatuor; scilicet Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.

926. *Explica aliqualiter haec impedimenta.* Ecclesiae Vetitum; scilicet 1. vetitum particolare, si, v. g., episcopus prohibeat ne pro nunc matrimonium celebretur; 2. vetitum generale; si nempe non adhuc factae fuerint publicationes, vel si catholicus personam haereticam ducere vellet, quo casu impedimentum solet dici *mixtae religionis*. Tempus; scilicet tempus quadragesimae et adventus, quo benedictio nuptialis et nuptiarum solemnitas prohibetur. Sponsalia; si nempe sponsalia cum alia persona contracta fuerint et servari debeant. Votum; scilicet votum simplex sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi, sive suscipiendi ordines sacros.

927. *Quid si impedimentum esset dubium?* Si ageretur de impedimento iuris naturalis aut positivi-divini, a matrimonio abstinendum esset; et, si forte casus esset maximi momenti, res S. Sedi (non pro dispensatione sed pro declaratione) exponi deberet. Si autem impedimentum esset iuris ecclesiastici nec dubium vinci posset; tunc distinguendum inter dubium iuris et dubium facti. In dubio iuris (nempe in opinionum probabilitate) matrimonium absque ulla dispensatione celebrari potest; tunc enim, ex praesumpto Ecclesiae consensu, cessat. In dubio facti e contra dispensatio exigitur. Cf. Sanchez (VIII. vi. 18) et Scavini (III. 904).

928. *Episcopi possuntne aliquid circa impedimentorum dispensationem antequam matrimonium celebretur?* Iure ordinario possunt dispensare 1° a voto simplici (dummodo non sit votum absolutum perfectae et perpetuae castitatis, aut religionis strictae dictae); 2° a publicationibus. Circa alia impedimenta iure ordinario nihil possunt, nisi pro casu urgentissimo (ut infra explicabitur). Plures censent dispensare posse in casibus dubiis (scilicet dubio facti); sed, si de dubio graviori ageretur, ad S. Sedem recurrere oporteret. *Cf. Sanchez et Scavini* (*ll. cc.*).

929. *Potestne a S. Sede obtineri dispensatio a quolibet impedimento?* Negative; ab aliquibus enim impedimentis dispen-

sare non potest aut non solet. Dispensare non potest ab impedimentis iuris naturalis et positivi-divini; qualia sunt, impotentia, ligamen, consanguinitas in primo gradu, et (probabiliter) metus. Dispensare autem non solet in impedimentis voti solemnis, ordinis, aetatis, raptus, et criminis ex coniugicidio (speciatim notorio). Adde (nisi forte ex causis valde gravibus) affinitatem ex copula licita in primo gradu et consanguinitatem in gradu mixto ex 1° et 2° (scilicet inter neptem et patruum; nec non inter viduam et eius mariti defuncti patruum vel nepotem). Adde etiam (apud nos) cultus disparitatem, et mixtam religionem. Difficile dispensat etiam ab impedimento sponsalium, quae legitime dissoluta non fuerint. De hoc vide *De Occas.* (*n.* 128).

930. *Quales causae exiguntur ut dispensatio sperari possit?* Causae canonicae sunt 1° *Angustia loci* (quoad foeminam), quae verificatur si in oppido non plus quam 300 familiae adsint. 2° *Aetas foeminae superadulta;* si nempe 24 annum compleverit: 3° *Deficientia vel incompetentia dotis.* 4° Si talis vel talis vir esset faeminae necessarius *ad declinandam aut finiendam litem momentosam.* 5° *Paupertas viduae.* 6° *Bonum pacis.* 7° *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas,* necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit. 8° *Copula, praegnantia, legitimatio prolis.* 9° *Infamia mulieris.* 10° *Revalidatio matrimonii,* bona fide in facie Ecclesiae conctracti. 11° *Periculum matrimonii mixti,* vel coram ministro acatholico celebrandi. 12° *Periculum incestuosi concubinatus.* 13° *Periculum matrimonii civilis.* 14° *Remotio gravium scandalorum.* 15° *Cessatio publici concubinatus.* 16° *Excellentia meritorum.* Coeterum pro impedimentis remotioribus nel minoris momenti (v. g. cognationis spiritualis) causae minores aliquando acceptari videntur. Circa dispensationem a voto castitatis, notandum speciatim quod S. Sedes periculum incontinentiae non semper exigit; sed interdum dispensat si foemina superadulta ex aliis motivis satis gravibus (v. g. ad sustentationem sibi comparandam) matrimonium inire cupiat. *Praxis* (916).

931. *Circa petitionem dispensationis potestne aliquid spectare ad parochum?* Impedimentum potest esse 1° publicum, 2° occultum, 3° partim publicum et partim occultum.

932. Si sit publicum, sive de facto, sive naturâ suâ (non enim obstaret si impedimentum, v. g., consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita per accidens esset occultum), tunc parochus debet solum rem deferre ad episcopum, et causas dispensationis ei exponere.

933. Si vero impedimentum esset tum de facto tum natura sua occultum (prout in voto occulte emisso, in affinitate ex occulta copula illicita, in crimine occulto etc.); tunc parochus ipse (cui secretum communicatum fuerit) dispensationem obtinere curabit.

934. Si denique impedimentum esset partim publicum et partim occultum; si nempe duo adessent impedimenta, unum publicum et aliud occultum; tunc episcopus pro publico, et parochus (seu confessarius) pro occulto dispensationem petere debebit. At vero sedulo notandum quod in petitione pro occulto, publicum etiam exprimendum esset; qua expressione omissa, dispensatio *ex subreptione* invalida foret.

935. *Quotuplici ex capite petitionis vitium dispensationem reddere potest invalidam?* Ex obreptione et subreptione. Nec bona fides quidquam suffragatur.

936. *Quid est obreptio?* Expressio causae falsae.

937. *Quid si causae adductae partim essent verae et partim falsae?* Si tantum veri expositum fuerit quantum de stylo solet sufficere ad dispensationem concedendam (ut puta, si infamia vera et copula falsa exposita fuisset); tunc dispensatio valet; secus si secus. In dubio (saltem nisi apud theologos probabilitas subsisteret) novus recursus exigeretur.

938. *Quid est subreptio?* Reticentia vel erronea expositio earum rerum quae de stylo exprimi debent.

939. *Quaenam sub poena invaliditatis exprimenda sunt?* 1. Species infima impedimenti; v. g., si ageretur de crimine, an ex solo adulterio cum promissione matrimonii, an vero ex coniugicidio cum eadem promissione vel adulterio provenerit etc. 2. Linea et gradus consanguinitatis vel affinitatis, exprimendo quomodo sit praecise. 3. Numerus impedimentorum non solum dirimentium sed etiam impedientium, et an consanguinitas vel affinitas sit unica an vero duplex vel multiplex (ut puta, si orator duas vel tres sponsae consanguineas cognovisset). Si tamen affinitas nedum ex matrimonio, sed etiam ex copula fornicaria antematrimoniali, orta fuisset, tunc haec circumstantia non consideraretur. *Cf. Acta* (*X. pag* 295).

940. *Quid si sponsi, pro quibus dispensatio in foro externo petita fuit, copulam incestuosam inter se commisissent?* Haec copula non ita pridem exprimenda erat; sed nunc non oportet ut amplius exprimatur. *Cf. De Occasionariis* (*Ed. IV.* 123).

941. *Exceptis casibus in quibus ad Episcopum recurrere sufficit* (*iuxta dicta n.* 928), *ad quem debet parochus* (*vel con-*

fessarius) *epistolam dirigere?* Ad Card. Maiorem Poenitentiarium Romae.

942. *Da exemplar litterarum pro impedimento prorsus occulto, seu non mixto cum publico.*

I. *Pro impedimento affinitatis.* Eminentissime Domine. Titia in eo est ut matrimonium contrahat cum Caio. At vero obstat impedimentum omnino occultum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum fratre sponsi. Quare humiliter supplicat Eminentiae vestrae ut super isto impedimento cum ea dispensare dignetur. Causae sunt.... (*heic indicentur causae*). Dignetur Eminentia vestra responsum mittere ad... (*heic parochus seu confessarius suum nomen, cognomen et patriam indicet*).

II. *Pro impedimento criminis.* Titia et Caius matrimonium inire cupiunt. Ad vero obstat impedimentum criminis ortum ex copula carnali inter ipsos habita, vivente adhuc prima uxore Caii, cum promissione matrimonii data et acceptata, neutro tamen machinante. Impedimentum est occultum. Quare humiliter supplicant Eminentiae vestrae ut super isto impedimento cum iisdem dispensare dignetur. Causae sunt... etc. (*ut supra*).

III. *Pro impedimento voti.* Titia (annos nata....) cupit inire matrimonium. At vero obstat impedimentum voti simplicis olim private initi castitatis perpetuae (*aut* Religionem ingrediendi). Quare humiliter supplicat.... Causae sunt... etc. (*ut supra*).

943. *Da exemplar litterarum pro impedimento occulto mixto cum publico.*

Eminentissime Domine. Sempronius et Livia matrimonium inire intendunt. Dispensati fuerunt a S. Sede Apostolica ab impedimento consanguinitatis (*vel* affinitatis ex copula licita). *Exprimatur linea et gradus.* At vero obtenta dispensatio nulla est ob impedimentum affinitatis occultum et reticitum proveniens ex copula illicita Sempronii cum sorore Liviae (*vel* ob falsam allegatam copulam absque culpa oratorum). Quare humiliter supplicant Eminentiae vestrae; ut pro impetrata sed invalide illa dispensatione, gratiam convalidationis ipsis concedere dignetur. Causae sunt.... etc. (*ut supra*).

Notandum 1° quod, si ageretur de nullitate propter reticitam affinitatem ex copula illicita; tunc non ambo recurrere, sed solum ille qui fuit causa affinitatis, et proinde in singulari, nempe eius nomine dumtaxat, epistola conscribi deberet. Notandum 2° quod interdum potest esse bonum consilium, ut dispensatio (ne expensae factae in Dataria inutiles evadant) petatur prius a Poenitentiaria; et tunc dicendum erit: *Dispensationem peti-*

turi sunt.. .. dispensatio nulla erit..... pro impetranda sed invalide dispensatione etc. Ita Vecchiotti, D'Annibale etc.

944. *Dispensatio habetne effectum dum Romae rescriptum subsignatur?* Negative; sed dispensatio parocho ipsi seu confessario committitur.

945. *Rescriptum potestne a solo parocho (vel confessario), ad quem dirigitur, executioni mandari?* Dispensationes missae a S. Poenitentiaria pro solo foro interno committuntur *proprio oratoris parocho, sive confessario approbato ab Ordinario et per eundem oratorem specialiter eligendo.* Hodie igitur non exigitur ut sit magister in theologia vel decretorum doctor. Oportet solum 1. ut sit approbatus pro confessionibus, ita ut orator apud illum valide confiteri possit; nec obstaret si extra Dioecesim confessionem faceret. Oportet 2. ut sit specialiter electus ad hoc ut dispensationem exequatur. Si tamen apud electum nihil concluderetur, orator poterit alium eligere confessarium; neque obstabit si Poenitentiariae rescriptum a priori confessario apertum et lectum fuerit. Roncaglia, et Scavini (824).

946. *Antequam confessarius dispensationem concedat, debetne aliquid observare?* Debet considerare clausulas, et quidem attente; secus enim de facili invalide dispensaret. Clausulae autem pro foro interno solent esse novem.

947. *Quaenam est prima clausula?* Audita prius eius (*vel* EORUM) sacramentali confessione..... In foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, et non aliter neque ullo alio modo.

948. *Haec clausula estne solum pro licito?* Negative; sed ad validum pertinet sine dubio.

949. *Quid si clausula dicat* EORUM, *sed oratores non eodem uti vellent confessario?* Tunc prior confessarius post concessam dispensationem poenitenti rescriptum tradere debet, ut alteri confessario praebeatur.

950. *Sed quid si post unius confessionem et dispensationem, alter confiteri nollet?* Impedimentum iam sublatum fuit quoad utrumque. Patet ex responso S. Poenit. (16 *Nov.* 1748). Clausula confessionis itaque pro licito quidem utrumque, sed pro valido alterutrum dumtaxat respicit.

951. *Quid si confessio fuerit nulla aut sacrilega?* Dispensatio nihilominus valida foret. Id quoque decisum fuit pluries. *Cf. Bucceroni (Enchir. de matr. n.* 882).

952. *Quid si confessarius animadverteret, poenitentem esse indispositum, et proinde illum absolvere nequiret?* Tunc a di-

spensatione concedenda abstinere deberet; absolutio enim exigitur pro licito. In quolibet rescripto enim leguntur sequentia verba: « A quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis (*ergo* « *etiam dioecesanis*), si quas propter praemissa quomodolibet « incurrerint, incestu (*vel* adulterio *vel* fornicatione) et exces« sibus huiusmodi, hac vice in forma Ecclesiae consueta absol« vas ». Si tamen ex una parte haec absolutio concedi nequiret, et ex alia si, dispensatione non concessâ, gravia inconvenientia (prout saepe contingit) oritura essent; tunc confessarius dispensationem concedere posset; dicente S. Poenitentiaria (l. c.): « Absque sacramentali absolutione concedi potest (dispen« satio), si forte urgens aliqua necessitas id suadeat ».

953. *Quaenam est secunda clausula?* Iniuncta eis pro modo culpae gravi (vel longa; vel diuturna) poenitentia salutari.

954. *Explica clausulam istam?* Poenitentia gravis esset, v. g., ieiunium in sabbato, vel confessio mensilis (pro non assueto) vel quotidiana recitatio Rosarii, seu lectio spiritualis, seu eleemosyna, per sex menses. Longa esset ad annum; diuturna ad triennium.

955. *Haec clausula estne pro valido?* Dicunt fere omnes esse solum pro licito. *Cf. Scavini* (*n.* 824. 5. *not.* 2).

956. *Quaenam est tertia clausula?* Aliisque iniunctis de iure iniungendis.

957. *Explica clausulam istam.* Casus esset, v. g., si ex adulterio, vel stupro etc. damna reparari deberent.

958. *Quaenam est quarta clausula?* Sublata occasione peccandi.

959. *Explica clausulam istam.* Haec clausula apponitur pro casu affinitatis ex copula illicita, habita, v. g., cum sorore sponsae; unde confessarius exigere debet separationem ab hac occasione (si adhuc formaliter extet); et si forte occasio esset necessaria, tunc exigere deberet usum cautelarum, ut occasio ipsa ex proxima reddatur remota.

960. *Quid si occasio non submoveretur? Dispensatio essetne invalida?* Affirmat Bouvier; sed Scavini dicit: « Iuxta alios « haec clausula ponitur tantum ad liceitatem, ad monendum « scilicet confessarium quid ipsi agendum sit ».

961. *Quaenam est quinta clausula?* Dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum.

962. *Explica clausulam istam?* Intellige 1. Impedimentum veri nominis; non vero si obstaret pertinacia in censura vel peccatum mortale. Intellige 2. Impedimentum diversum sive

specie sive numero (etsi forte solum impediens). Diversum numero contingeret, v. g., si quis pro impedimento affinitatis contracto ex copula habita cum sorore sponsae dispensationem petiisset, et sive antea sive postea cum alia eiusdem sponsae consanguinea copulam habuisset. Caeterum omnes norunt quod copularum multiplicitas cum eadem persona habitarum, impedimentum non multiplicat.

963. *Quaenam est sexta clausula?* Si ita est.

964. *Explica clausulam istam.* Haec clausula significat, dispensationem concedi si causae adductae in petitione verae sint, nec quidquam expositum fuerit, quod dispensationem obreptitiam vel subreptitiam reddat.

965. *Haec clausula estne pro valido?* Affirmative.

966. *Causae debentne esse verae tempore petitionis, vel subscriptionis rescripti; an vero sufficit si sint verae tempore executionis?* Hodie communissime dicunt, non oportere ut fuerint verae tempore petitionis aut concessionis pontificiae; dispensatio enim in forma commissoria, et ideo non a Pontifice sed ab executore (quamvis Pontificis nomine) datur; unde sufficit et oportet ut causae adductae sint verae tempore executionis.

967. *Quomodo itaque se gerere debet confessarius?* Antequam ad executionem procedat, rem examinare debet, multo magis si non ipse sed alius petitionem Romam misisset; et in hunc finem maxime expedit ut missae petitionis exemplar conservetur. Examinet itaque utrum veritas exposita fuerit, et an forte causa adducta evanuerit, ut puta, si tota causa fuisset legitimatio prolis, et proles obiisset. Attamen in hoc examine sufficit si confessarius poenitentis dicto acquiescat (dummodo positivam aliter sentiendi rationem non habeat): nec oportet ut testes aut iuramentum exigat; et, si pro certo haberet causas adductas esse veras nullamque postea mutationem accidisse, ab examine abstinere posset.

968. *Quid si in petitione causa falsa exposita fuisset, et in rescripto causa vera exponeretur?* Nihilominus dispensatio invalida foret; scribae enim S. Poenitentiariae solitis formulariis utuntur (quae non semper cum petitionibus adamussim cohaerent); sed dispensatio non procedit a scribis, bene vero a voluntate superioris dicentis: *fiat ut petitur, si vera sint exposita.*

969. *Quid e contra si in petitione causa vera exposita fuisset (v. g., excellentia meritorum), et in rescripto causa falsa seu non subsistens (v. g., periculum scandalorum) exponeretur?*

Dispensatio valida esset. Ratio est eadem. *Gury* (*Cas. Consc. II.* 1058).

970. *Quid si tempore executionis causae partim verae et partim falsae essent?* De hoc vide supra (n. 937).

971. *Quid si confessarius nullum examen institueret, sed causae adductae verae essent?* Dispensatio valeret; quandoquidem S. Poenitentiaria non dicit; *Si ita esse repereris;* sed dicit: *Si ita est.* D' Annibale (I. 219).

972. *Quaenam est clausula septima?* Dummodo impedimentum occultum remaneat.

973. *Haec clausula estne pro valido?* Certe est conditio sine qua non.

974. *Quandonam impedimentum censetur occultum?* Censetur occultum, quamvis aliquibus sit notum, puta quatuor vel quinque personis in oppido, septem vel octo in civitate; nisi tamen dictae personae rem sint evulgaturae, nisi scilicet prudenter timendum sit ne impedimentum ex occulto publicum fiat. S. Poenitentiaria interdum (nempe pro impedimento criminis cum machinatione) dicit: *Dummodo impedimentum sit* OMNINO *occultum;* et tunc si duo vel tres de illo notitiam haberent, dispensatio invalida foret. Non sufficeret si impedimentum esset occultum ubi contrahitur matrimonium, si forte alibi publicum esset. Non tamen obstaret si olim publicum fuisset, dummodo iam a longo tempore (et saltem a decennio) occultum esset; tempus enim omnia devorat.

975. *Quid si impedimentum esset* materialiter *publicum, (si nempe notorium esset crimen); sed* formaliter *occultum (si nempe communiter ignoraretur quod ex illo crimine impedimentum exurgat?* S. Poenitentiaria huiusmodi impedimentum tamquam publicum semper habuit; unde eius rescripta semper iuxta hunc sensum intelligi debent. *Cf. Lambertini* (*Inst.* LXXXVIII. 43).

976. *Quaenam est clausula octava?* Nullis super his datis litteris, sed praesentibus, sub poena excommunicationis latae sententiae, statim per te post executionem penitus laceratis.

977. *Haec clausula quid significat?* Significat, nullum testimonium in scriptis dandum esse de dispensatione obtenta, et rescriptum esse lacerandum post executionem; et quidem statim (quod tamen intellige moraliter, scilicet saltem infra triduum). Si confessarii essent duo, lacerandum esset ab ultimo. Omissio lacerationis culpae quidem et censurae locum daret, sed dispensationem invalidam non redderet. *Scavini* (*III.* 824).

978. *Quaenam sunt clausulae speciales pro dispensatione in voto castitatis?* Rescripta sequenti modo se habere solent. « Praevia absolutione a mutatione propositi huiusmodi (*In-* « *tellige si poenitens culpabiliter mutaverit propositum atque* « *adhuc absolutione indigeat, sublata quavis reservatione si* « *quae sit. Sanchez VIII.* XXXIV. 29); facultatem concedit..... « castitatis votum simplex ab ea PRIVATE emissum (ad hoc tantum « ut matrimonium servatis de iure servandis contrahere et in « eo debitum coniugale reddere et exigere licite valeat) in sacra- « mentalem CONFESSIONEM SEMEL QUOLIBET MENSE, et in alia poe- « nitentiae opera a te discrete praescribenda, et tamdiu duratura « quamdiu commutationi huiusmodi locus erit, inter quae sint « etiam aliqua pietatis, QUAE ORATRIX QUOTIDIE FACIAT, ut ea ad- « implens meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi « voto obstringebatur, PROUT IPSIUS ORATRICIS ANIMAE SALUTI IN « DOMINO EXPEDIRE IUDICAVERIS, dispensando Apostolica auctori- « tate, arbitrio tuo commutandi; pro foro conscientiae et in « sacramentali confessione tantum; ita tamen ut, si oratrix « extra licitum matrimonii usum contra VI. Dec. praeceptum « (quod absit) deliquerit, sciat se contra castitatis votum fa- « cturam; et si viro, cui nubet, supervixerit, castitatem ser- « vare teneatur, utpote eodem voto ut prius obstricta; ET ITA « ILLAM MONEAS ».

979. *Explica clausulas istas.* Opera poenitentiae intelliguntur non solum ieiunia aliaeque corporales macerationes sed etiam orationes (maxime genibus flexis) et speciatim psalmi poenitentiales, psalmus *Miserere*, actus contritionis etc. Opera pietatis intelliguntur opera misericordiae, sive corporales sive spirituales, sive pro vivis sive pro defunctis. Non oportet ut plura opera tam poenitentiae quam pietatis quotidie exercenda imponantur, sed sufficit si confessarius indicet plura ex huiusmodi operibus, ut poenitens quotidie ad minus duo ex ipsis (ad libitum variando) eligat atque exerceat. Si autem duorum operum impositio nimia videretur, unum sufficere poterit, dicente rescripto: *prout animae saluti in Domino expedire iudicaveris.* Cf. Sanchez (l. c. n. 41).

980. *Quaenam est clausula nona?* Apostolica auctoritate misericorditer dispenses; prolem suscipiendam (*pro impedimento criminis additur*: Non tamen in adulterio conceptam) exinde legitimam nunciando.

981. *Qua formula itaque uti poterit confessarius in dispensatione concedenda?* Post absolutionem a peccatis dicere poterit:

Auctoritate apostolica mihi concessa dispenso te ab impedimento N., ut eo non obstante matrimonium contrahere possis, et prolem suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris etc. — Et, si agatur de voto castitatis, formula poterit esse sequens: *Auctoritate apostolica votum castitatis quod emisisti in opera tibi iam iniuncta dispensando commuto, ita ut matrimonium contrahere, eoque uti valeas. In nomine Patris etc.*

982. *Circa dispensationes, quae ope curiae episcopalis pro foro externo obtinentur, oportetne ut parochus aliquid sciat?* Affirmative; contingere enim potest quod 1° Sponsi, difficultatem habeant petendi dispensationem propter expensas; 2° Dispensatio fuerit obreptitia vel subreptitia; 3° Ordinarius aliquid exequendum parocho committat.

983. *Quales sunt expensae seu taxae ordinariae?* Si oratores sint divites, taxa solet esse notabilis, et variat admodum iuxta circumstantias, quae multum differre et multipliciter complicari possunt. Ut plurimum vel 200, vel 300, vel 400 francorum erit.

Si vero sint pauperes, si nempe de labore vivant; aut (ambobus sponsis consideratis) stabilia ultra valorem bis mille françorum non habeant; tunc, in summa totali, circiter 20, vel 30, vel 40 francorum expensae erunt.

Si denique sint non solum pauperes, sed in miseria extrema; tunc (Ordinario informante specialibus litteris) 5 vel 6 franchi (necessarii pro procuratore) sufficere poterunt.

Haec omnia intellige pro foro externo; si enim ageretur de impedimento occulto et pro solo foro conscientiae; tunc dispensatio (non ab Episcopo, sed a confessario exequenda) gratis omnino semper obtinetur.

984. *Quid si sponsus dives expensas sustinere nollet?* Si matrimonii conclusio valde necessaria esset, duo superessent remedia; nempe curare 1. ut a sola sponsa eiusve familia expensae sustineantur. 2. ut Episcopus litteris particularibus imploret expensarum imminutionem, recurrendo ad S. Poenitentiariam. Casus autem interdum talis esse potest, ut etiam gratis omnino dispensatio obtineatur. Vide *De Occasionariis* (*n.* 126).

985. *Quomodo se gerere deberet parochus (seu confessarius) si, dispensatione in foro externo iam obtenta, adverteret quod, sive ex sponsorum malitia sive aliter, dispensatio ipsa fuerit obreptitia, vel subreptitia (vide supra n. 936. 938.), et proinde invalida?*

Si obreptio vel subreptio pertineat ad forum externum, eo quod de re naturâ suâ publicâ agatur (ut puta, si falso allega-

tus fuisset defectus dotis, aut impedimentum publicae honestatis reticitum fuisset); tunc ope curiae episcopalis res esse componenda.

Si e contra obreptio vel subreptio pertineret ad forum internum (ut puta, si copula et praegnantia falso fuisset allegata, aut affinitas ex copula illicita occulta reticita fuisset); tunc parochus ipse (vel confessarius) ad S. Poenitentiariam (casum exponendo et necessitatem matrimonium contrahendi ostendendo) recurrere deberet.

Si autem casus urgeret et tempus non suppeteret; tunc agendum erit ut infra (n. 995).

986. *Quid si sponsi non iam ad obtinendam dispensationem, bene vero ad obtinendam imminutionem taxae, falso paupertatem allegassent?* Quamvis sponsi in hunc solum finem paupertatem allegassent, non raro contingit ut Dataria vel Poenitentiaria illam quoque consideret; ita ut, ea seclusa, alias causas tamquam sufficientes non habuisset et dispensationem non concessisset. Quatenus autem ita esset, vel de hoc serio dubitari posset; tunc novus recursus certo certius necessarius foret. Si autem aliae causae certe sufficientes ad dispensandum fuissent; tunc valde probabile est quod dispensatio valida sit. Stante autem probabilitate (seu dubio iuris), de regula generali impedimentum cessat, ut vidimus (n. 927); et sic matrimonium tamquam validum haberi poterit. Quum tamen haec conclusio non sit certissima, et res cum S. Sede (pro damno Datariae) componi debeant; practice (si tempus suppetat) in hoc quoque casu novus recursus (antequam matrimonium celebretur) exigitur. *Vide Acta* (*VII. pag.* 423).

987. *Ordinarius quid parocho exequendum committere potest?* Ei committere potest 1. verificationem causarum (examinando an causae in supplici libello expositae hic et nunc verae sint); 2. iniunctionem reparandi scandalum (exigendo scilicet ut sponsi prius scandalum, quatenus adsit, reparent); 3. impositionem poenitentiae; 4. absolutionem. Haec, inquam; non vero dispensationem et legitimationem prolis, Ordinarius parocho (vel alteri sacerdoti) committere potest.

988. *Parochus sic ab Episcopo delegatus possetne alium subdelegare?* Negative.

989. *Quid notandum circa verificationem causarum?* Parochus debet assequi certitudinem moralem; et, si opus sit, testes quoque exigere debet. *Cf. Berengo* (*n.* 136).

990. *Quid notandum circa scandali* (*quatenus adsit*) *reparationem?* Non ita pridem stylus erat exigendi separationem.

Nunc haec praecise exigi non solet. Attamen S. Sedes in exigenda reparatione scandali firma immanet; et quidem ad modum conditionis sine qua non, atque totaliter. Sed quomodo, scandalo et cohabitatione subsistente, scandali ipsius reparatio totalis sine separatione obtineri poterit? Id profecto practice difficile erit; et proinde practice separatio fere semper exigi debebit. *Cf. De Occasionariis* (*ed. IV. pag.* 327).

991. *Exigiturne confessio sacramentalis, antequam dispensatio in foro externo applicetur?* Non ita pridem erat de stylo S. Poenitentiariae, ut, etiam pro dispensationibus in foro externo, sacramentalis confessio exigeretur; sed hodie non amplius exigi solet.

992. *Qua ratione itaque Ordinarius, antequam dispenset, committere potest parocho, ut sponsis poenitentiam iniungat et absolutionem impertiatur?* Haec absolutio non est sacramentalis, sed iuridica; quae valet quidem etiam pro foro conscientiae, sed solum quoad poenas; non vero quoad culpam coram Deo.

993. *Qua forma uti debet parochus in hac absolutione concedenda?* Si delegatus fuerit ad absolvendum *in forma ecclesiae consueta*, tunc adhibebit ritum praescriptum primo loco in rituali (*Tit. De absolutione ab excomm. in foro exteriori*); secus, adhibere poterit formam secundo loco in Rit. ipso indicatam.

994. *Quid si sponsus, postquam dispensationem petiverit, iterum lapsus fuerit in idem crimen, quod impedimentum induxit?*

Si lapsus fuerit cum diversa persona, tunc certe impedimentum evaderet duplex, seu novum impedimentum superadderetur; et sic nova dispensatio necessaria foret. Casum habes si petita fuisset dispensatio ab affinitate propter copulam illicitam cum sorore sponsae perpetratam, et post missas preces nova copula cum alia sponsae ipsius consanguinea in primo vel secundo gradu intercessisset.

Si vero lapsus fuerit cum eadem persona, tunc certe impedimentum non multiplicatur, si ante dispensationis executionem id acciderit; multiplicatio enim copulae non multiplicat impedimentum. Si vero, dispensatione iam executa, nova copula haberetur; tunc theologi non conveniunt; et sic dubium iuris (quo stante impedimentum cessat) constitui videtur. Attamen in praxi, ad cautelam, novam dispensationem petere expediret. *Cf. Scavini* (*III.* 823).

995. *Quid si impedimentum, aut dispensationis obtentae invalitas, detegeretur, dum omnia ad matrimonium proxime contrahendum essent parata; ita ut ad S. Sedem recurrendi tempus non suppeteret?* Supposita necessitate vere stricta (quae facile contingeret si impedimentum ex occulta causa turpi oriretur) Episcopus dispensare, et dispensandi facultatem (eo quod sit eius officio adnexa; *Cf. Sanchez II.* XL. 14) parocho delegare posset; attamen solum pro foro conscientiae. Si autem casus esset publicus, tunc stricta necessitas valde rarius et difficilius dabitur. Si tamen contingeret (v. g., si valde formidari deberet ne sponsi matrimonium mere civile celebraturi essent); S. Ligorius aperte supponit, et plures alii theologi aperte dicunt quod Episcopus facultatem dispensandi tunc quoque haberet. Attamen solum pro foro conscientiae, et cum obligatione petendi quamprimum dispensationem formalem a S. Sede; quae pro foro externo erit omnino necessaria, et pro foro interno erit ad cautelam. *Vide de Occasionariis* (*n.* 132 135).

996. *Quid si recurri posset ad S. Sedem ope telegraphi?* S. Sedes ope telegraphi dispensationes non concedit, et proinde hoc medium perinde est ac si non adesset. *De occas.* (*n.* 133).

997. *Quid si ageretur de casu, in quo S. Sedes dispensare non soleat, prout contingeret, v. g., in impedimento criminis cum coiugicidio?* Si dispensare non possit, aut absolute nunquam dispenset; tunc certe Episcopus nullam facultatem habebit. Caeterum Ecclesia non solet quidem dispensare a quibusdam impedimentis, quando adest adhuc tempus et modus matrimonii celebrationem declinandi; si vero matrimonium iam fuerit celebratum, vel circumstantiae sint ita dispositae ut sine gravissimorum malorum provocatione matrimonium impediri nequeat, et casus vere urgentissimus sit; tunc ab iis quoque impedimentis dispensat, a quibus ordinarie dispensare non solet. In praxi itaque considerandum esset, an circumstantiae sint adeo urgentes, ut dispensatio omnino necessaria appareat, et proinde praesumendum sit quod Ecclesia consentiat. (*Cf. De Occas. n.* 134).

998. *Quid si casus ita urgeret, ut (v. g., propter distantiam a civitate episcopali) ne ad Episcopum quidem recurrendi tempus suppeteret?* Tunc S. Ligorius aliique plures censent quod ad parochum dispensandi facultas (intellige sub conditionibus supra recensitis) devolveretur. *Cf. De Oocasionariis* (*n.* 136).

999. *Danturne casus, in quibus parochus (vel alius sacerdos); detegendo in confessione quod sponsi impedimento dirimente detineantur, eos in bona fide relinquere possit?* Affirmative. Dicit Sanchez (*De Matr. II.* xxxviii. 7): « Quod « Confessarius, ita exigente prudentia, relinquere possit poe- « nitentem in bona fide, verum esse credo, non tantum ubi « iam est contractum matrimonium, sed etiam ante ». Ita dicunt etiam Laymann (*De Poenit. XIII.* 6), Lugo (*De Poen. XXII.* 24), Gury (*Cas. consc. II.* 1068) etc. Attamen casus, in quo id expediat, valde facilius in matrimonio contracto quam contrahendo, verificabitur. *Cf. Praxis* (*Ed. 1. n.* 941).

1000. *Danturne casus, in quibus parochus matrimonio etiam certe invalido assistere possit?* Affirmative; scilicet 1. si solum sub sigillo confessionis talem invaliditatem cognosceret; 2. si impedimentum delatum fuisset ad Episcopum, sed (eo quod iuridice probari non potuerit) Episcopus ipse assistentiam parocho demandasset; nec dispensatio pro foro interno obtineri posset; 3. si ex una parte impedimentum esset ex causa turpi et occultum, et ex alia sponsi publice peterent, simulque casus esset ita strictus, ut sine gravissimorum malorum provocatione neque prius Episcopo impedimentum denuntiari, neque matrimonii assistentia declinari posset. *Cf. Sanchez* (*De Matr. III.* xv. 8 11) *et S. Lig.* (*VI.* 54).

1001. *Praeter impedimenta supra recensita (quae sola dicuntur impedimenta canonica) potestne aliquid aliud matrimonii celebrationi obstare?* Affirmative; et speciatim 1. si sponsi matrimonium civile contrahere nollent (ut dixi supra n. 885); 2. si parentes rationabiliter dissentirent, aut matrimonium civile essent impedituri; 3. si sponsorum alteruter esset ita semifatuus, ut graviter dubitari deberet, an discernat bonum a malo scilicet sufficientem rationis usum habeat; *Cf. Sanchez I.* viii. 15-24); 4. si sponsorum alteruter per litteras aut procuratorem matrimonium contrahere petiisset (*De Occas. n.* 138); 5. si matrimonium celebrandum esset privatim et sine Missa; 6. si sponsi conditiones matrimonio apponere vellent. (His in casibus Episcopum consulere oporteret); 7. obstant censurae; 8. obstat peccatum mortale.

1002. *Quomodo se gerere deberet parochus, si perspiceret sponsum sine confessione et communione in statu peccati mortalis matrimonium celebrare velle?*

Quoad confessionem Conc. Trid. et Rituale dicunt quidem sponsos esse ad confessionem adhortandos, sed non dicunt esse cogen-

dos. Communio pariter (etsi Missa celebretur) stricte non exigitur.

Quoad statum peccati, parochus iuxta ordinarias prudentiae regulas se gerere deberet; et Gury (*n.* 773) dicit: « Si nullus « fructus ex monitione speretur, fere melius erit indignum non « monere de sacrilegio indigne accedentis; ut saltem sic minus « peccet ». *Cf. De Occas.* (*n.* 121).

1003. *Quid si sponsus esset publicus peccator, vel etiam censuris publice innodatus, cui propter notoriam impoenitentiam sacramenta denegari debeant?* 1. Curandum tempestive ut cum Ecclesia reconcilietur; 2. Si reconciliari recuset, consulendus erit Ordinarius, qui (ad praecavenda mala sive publica, sive etiam ipsorum contrahentium tantum, v. g., ne perseverent in peccato) assistendi licentiam tunc quoque concedere poterit; 3. Attamen Missae celebratio tunc declinari, et matrimonium privatim celebrari debebit. *Cf. De Occas.* (*n.* 120).

1004. *Coram quibus matrimonium celebrari debet, ut validum sit?* Coram parocho (vel alio Sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia) et duobus testibus. Intellige pro locis ubi decretum Tridentini publicatum fuit, et viget.

1005. *Quisnam venit nomine parochi ?* 1. Parochus proprie dictus, et sufficit ut sit in possessione beneficii parochialis, nihilque obstaret si non esset adhuc sacerdos, aut (quoad validum) si esset excommunicatus (etiam vitandus), iurisdictione privatus, suspensus, haereticus etc. 2. Oeconomus (paroecia vacante). 3. Vicarius perpetuus vel amovibilis (qui pro capitulo vel monasterio vel utcumque pro parocho habituali paroeciam regat); et, si duo vicarii in solidum paroeciam regerent, matrimonium valeret apud alterutrum, etiam altero invito. 4. Coadiutor in spiritualibus ab Episcopo datus parocho inhabili (etiam sine iure successionis); intellige dummodo supplere debeat totaliter et independenter; secus enim, invito vero parocho, matrimonium non valeret. 5. Episcopus, Vicarius generalis, Vicarius capitularis, et Summus Pontifex.

1006. *Quid si quis existimaretur parochus; sed, ex vitio occulto collationis, talis non esset; vel si esset intrusus?* Valet matrimonium apud parochum existimatum, si talis sit ex titulo colorato cum errore communi, etsi forte contrahentes occultum collationis vitium cognoscerent; non vero valeret si esset intrusus. Sanchez (*III.* XXII. 60).

1007. *Quisnam parochus assistere debet?* Pro valido et licito parochus proprius sponsae. Si tamen parochus sponsi assisteret, illicite quidem sed valide assisteret.

1008. *Quid exigitur ut parochus dicatur proprius?* Exigitur ut regat paroeciam, ubi sponsus vel sponsa habet domicilium vel quasi domicilium.

1009. *Ad iudicandum de existentia domicilii vel quasi domicilii, estne sumenda regula a iure civili, an vero solum a iure canonico?* Solum a iure canonico. *S. C. C.* 28 *Aug.* 1864 (*apud Zitelli Apparatus pag.* 388).

1010. *Quid exigitur ad constituendum domicilium?* 1. Habitatio realis saltem incoepta; 2. Animus ibi permanendi perpetuo.

1011. *Amittiturne domicilium per discessum et absentiam, etsi diuturnam?* Negative; nisi qui discessit palam fecerit (sive dictis sive factis) se non habere animum redeundi. Acta (*XV. pag.* 222-228), et Zitelli (*l. c. pag.* 387).

1012. *Quid exigitur ad constituendum quasi-domicilium?* 1. Habitatio; 2. Animus permanendi per maiorem anni partem. Supposito autem hoc animo, iam a prima die quasi-domicilium contrahitur.

1013. *Expressio* per maiorem anni partem *estne ita praecise et stricte intelligenda, ut brevius tempus certe nunquam sufficere possit?* Videtur negandum. Multi theologi enim et canonistae dicunt sufficere intentionem permanendi per magnam anni partem, v. g., quatuor mensibus. Cf. Lhemkuhl (*II.* 775), Berardi (*Inst. eccl. V. de form. et solemn. coniugii*), Ballerini (*II.* 839. 6) etc. Lambertini (*Notif. XXXIII.* 11) dicit sufficere permanentiam quae sit non momentanea, sed alicuius temporis rationabilis. Insuper iudicium de re ista pendere videtur a pluribus circumstantiis. Famula, v. g., init famulatum apud familiam, quae post unum vel alterum mensem paroeciam derelictura erit. Nonne illa evadet statim parochiana, etsi non possit habere animum permanendi in paroecia, nisi uno vel altero mense? Certe tamen, domicilium non contrahitur ab eo qui alicubi manet ut hospes, et cum intentione abeundi post breve tempus, etsi praeter praevisionem de die in die negotium protrahatur et sic longo tempore immorari cogatur.

1014. *Quid si quis duobus in locis domicilium habeat (eo quod sex mensibus in una et sex mensibus in alia paroecia habitare soleat); vel in uno loco domicilium, et in alio quasi-domicilium habeat?* Poterit ubi velit matrimonium contrahere.

1015. *Quid de eo, qui nocte in una et die in alia paroecia habitaret?* Domicilium consideratur non ubi die sed ubi nocte quis stabiliter habitat. Excipe nisi haberet suam domum, in qua die habitaret, et nocte ratione officii vel concubinatus

alibi degere solitus esset; tunc enim non ubi nocte sed ubi die commoratur eius paroecia foret. *Praxis n.* 849.

1016. *Quid si quis habitaret in domo, quae partim in una et partim in alia paroecia esset?* Tunc consideratur quanam in paroecia ianua principalis adsit. *Acta V. pag.* 612.

1017. *Parochus ruris, ubi morantur nobiles rusticationis causa, potestne valide eorum matrimonio assistere?* Negative.

1018. *Quale censetur esse domicilium eius qui sui iuris non est?* Domicilium patris vel tutoris, donec eidem non renuntiet. Attamen quasi-domicilium alibi habere posset.

1019. *Quid de vidua?* Retinet domicilium mariti defuncti; donec eidem non renuntiet.

1020. *Quid de officialibus publicis, professoribus, vel discipulis, vel aliis, qui morantur in aliquo loco propter officium non perpetuum?* Habent quasi-domicilium in paroecia, ubi degunt, si animum habeant magna anni parte ibi morandi; et simul in patria sua verum domicilium conservant, nisi eidem renuntiaverint.

1021. *Quid de alumnis seminariorum vel collegiorum, et de puellis in conservatoriis vel monasteriis educationis causa degentibus?* Retinent domicilium paternum, simulque habent quasi-domicilium in paroecia ubi situm est seminarium, collegium, monasterium etc. Rector autem vel capellanus instituti nullam quoad matrimonium de iure communi facultatem habet.

1022. *Quid de expositis?* Si sint in hospitio, debent contrahere coram parocho ubi existit hospitium. Secus; coram parocho loci, ubi famulatus vel educationis causa commorantur, illud contrahere possunt. S. C. C. apud Zitelli (*l. c. pag.* 389).

1023. *Quid de militibus?* Ratione quasi-domicilii sortiuntur parochum eius loci, ubi stationis vel praesidii causa commorantur; non vero illius loci ubi sint in expeditione. Bened. XIV (*Instit LXXXVIII.* 8. 9).

1024. *Quid de detentis in carcere?* Non possunt contrahere coram parocho carceris, si custodiae tantum causa ibi detineantur; bene vero possent, si perpetuo vel ad notabile tempus ibi luant poenam.

1025. *Quid de infirmis in hospitalibus?* Regulariter non acquirunt quasi-domicilium in hospitali; unde, in casu matrimonii, ad parochum eorum domicilii, vel ad Ordinarium, recurrendum erit. Bened. XIV (*Inst. XXXIII.* 13. *et Inst. LXXXVIII.* 3). Si autem tamquam chronici in hospitali perpetuo remanere statuissent, tunc apud parochum in cuius paroecia hospitale

adest; non vero (de iure communi) apud hospitalis ipsius capellanum, matrimonium contrahere possent. S. C. C. (*apud Scavini n.* 799. 3).

1026. *Quid de peregrinis seu itinerantibus?* Si domicilium conservent, non possunt matrimonium contrahere, nisi domum redeant. Si tamen transirent per loca ubi Tridentinum publicatum non fuerit, probabiliter possent illuc matrimonium inire sine parocho; peregrini enim patriae legibus non adstringuntur, et quoad contractus sortiuntur forum loci ubi contrahunt. *Acta VII. pag.* 557. *et Ballerini* (*n.* 839. *not. a*). Excipe nisi in fraudem legis illuc se contulerint. Adhuc tamen stante fraude, matrimonium valeret, si integro mense illuc commorati fuerint, et status libertatem prout de iure comprobaverint, quo casu inquisitionem de animo illuc permanendi per maiorem anni partem facere non oporteret. Bened. XIV. (Const. *Paucis*) et S. C. S. O. (6 *Maii* 1886) apud Zitelli (*pag.* 387).

1027. *Quinam sunt vagi?* Hi nullibi domicilium aut quasi-domicilium habent. Tales reputantur etiam qui, pristino domicilio (sine animo redeundi) prorsus relicto; iter faciunt ut alibi domicilium ineant; dum enim sunt in via, verissime sine ullo prorsus domicilio sunt.

1028. *Quid de vagis quoad matrimonium?* Quilibet parochus in paroecia propria eorum matrimonio assistere posset. Dixi *in paroecia propria*; extra paroeciam enim posset quidem parochus parochianos suos, sed non vagos matrimonio coniungere. Lhemkuhl (*II.* 766).

1029. *Quid de famulis?* Hi ut plurimum vel quasi-domicilium habent in paroecia ubi famulantur, vel quovis domicilio aut quasi-domicilio vero destituuntur; et proinde ordinarie a parocho ubi degunt matrimonio iungi possunt. Si tamen domicilium paternum retinerent, et in praesenti famulatu ad brevissimum tempus (v. g., solum ad mensem) remanendi animum haberent; tunc solum apud parochum domicilii paterni contrahere possent.

1030. *Quid notandum circa delegationem, ut sit valida?* 1. Parochus (et a fortiori Episcopus) potest delegare alium ad assistendum matrimonio; 2. Oportet ut delegatus sit sacerdos; sufficeret tamen si talis communiter reputaretur, quamvis non esset (*Sanchez III.* XXII. 61); 3. Non sufficit delegatio praesumpta, aut quod parochus dixerit se esse delegaturum; 4. Non obstaret si delegatio metu vel dolo extorta fuisset (*Sanchez XII.* XXIX. 13); 5. Debet esse acceptata a delegato vel eius

nuntio; 6. Si delegatio sit conditionata, non valet si conditio non verificetur; nisi tamen agatur de conditione a iure ipso praescripta, et in iure praescribatur solum pro licito, v. g., *praemissis denuntiationibus*. Scavini (*III.* 897). 7. Delegatio cessat si fuerit retractata. Oportet tamen ut retractationis intimatio ad delegatum pervenerit (*Sanchez III.* xxxvi. 9); 8. Delegatio cessat morte parochi; nullam enim parochi dare possunt facultatem post ipsorum mortem duraturam; 9. Sicut parochus, ita et delegatus assistere potest matrimonio etiam extra paroeciam vel dioecesim (*Sanchez III.* xxxiv. 3); 10. Etsi non sufficiat delegatio praesumpta, tamen sufficit delegatio tacita, quae scilicet argui debeat ex facto; ut puta, Episcopo vidente et non contradicente; vel si ex consuetudine facultas assistendi matrimoniis inclusa censeretur in electione vicarii; vel si (praescindendo a tali consuetudine) parochus discederet et domi relinqueret vicarium tempore diuturno, vel sciens quod durante absentia tale vel tale matrimonium celebrandum sit. 11. Sufficit delegatio implicita in delegatione ad omnia *ut alter ego*, seu (uti aiunt) *ad universitatem causarum*. Si tamen ageretur de absentia brevi, facultas quoad matrimonia clandestina non intelligeretur concessa. 12. Delegatus ad universitatem causarum potest alios subdelegare quoad casus particulares. Secus est de delegato pro solis matrimoniis aut (a fortiori) pro solo casu particulari. 13. Delegatio generalis (quae est pro bono communi) censetur esse favorabilis, et proinde in dubio latam admittit interpretationem. Delegatio particularis e contra censetur esse odiosa et stricti iuris; unde in dubio strictae interpretationi subiici debet *Salmanticen.* (*De Leg. V.* 10. 53), *Sanchez* (*VIII.* ii. 9).

1031. *Loquendo nunc de testibus; oportetne ut ipsi sint masculi? puberes? bonae famae? vocati ad hoc? extranei familiae sponsorum?* Negative.

1032. *Quid ergo exigitur?* 1. Ut habeant usum rationis; 2. Ut advertant et testificari possint; 3. Ut una simul cum parocho, non vero prius vel postea, sponsorum consensum intelligant.

1033. *Quid igitur si parochus vel testes physice dumtaxat et materialiter matrimonio assisterent?* Invalide assisterent. Assistentia contingere debet humano modo et cum vera rei gestae cognitione. *S. C. C. apud Pallottini v.* Matrimonium (*n.* 360).

1034. *Estne de essentia ut parochus et testes mutui consensus verba intelligant?* Negative; sed sufficit si ex antecedentibus,

vel proxime consequentibus, vel concomitantibus (v. g., traditione anuli) certi moraliter sint, quod in ipsorum praesentia sponsi consensum matrimonialem manifestarunt. Ita omnes.

1035. *Quid itaque de mutis, qui solis gestibus consensum exprimere possunt? Quid si testes et parochus essent surdi et nihil audiverint, viderint tamen etc.?* Matrimonium valeret.

1036. *Quid si sponsi ex improviso deprehenderint parochum, qui audiverit quidem consensum sponsi; sed, sive ex industria, sive ex turbatione vel confusione etc., consensum sponsae non intellexerit?* Valeret matrimonium, si parochus non solum ex dicto testium sed etiam ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et consequentibus pro certo testificari possit quod sponsa quoque consensum expresserit. Nihil autem obstaret, si testificari, dum posset, nollet. *Cf. Pallottini* (v. Matrimonium) n. 359 - 430.

1037. *Estne de essentia ut testes et parochus ipso facto et hic et nunc cognoscant quinam sint sponsi?* Negative; sed sufficit si paulo post pro certo resciant quinam illi fuerint.

1038. *Quid itaque si, v. g., sponsa suam personam prorsus occultaverit, aut finxerit se esset aliam?* Valeret matrimonium; dummodo parochus et testes paullo post pro certo didicerint quaenam illa fuerit. *Cf. Pallottini* (*l. c. n.* 428 *et seqq.*).

1039. *Quid de parocho vel teste coeco?* Valide assisteret, dummodo ex voce nota aliisve circumstantiis praedictam certitudinem habere posset.

1040. *Quid si contrahentes nullam haberent intentionem contrahendi coram parocho, sed ille sive casu sive ex industria adesset, dum (v. g, apud officialem civilem) contrahunt?* Matrimonium non valeret. S. C. C. apud Bened. XIV (*De Syn. XXII.* xxiii. 5).

1041. *Lex de celebrando matrimonio coram Parocho et testibus sub poena invaliditatis habetne exceptiones et quales?* Tres habet exceptiones; scilicet:

I.° In locis ubi decretum Tridentini nunquam publicatum fuit (prout in Asia et Africa fere tota, in Anglia, Scotia, Saxonia etc.) matrimonia sunt valida (non tamen licita); etsi contrahantur non solum sine parocho, sed etiam sine testibus. *Praxis* (*ed. I.* 843).

II.° In locis ubi decretum Tridentini publicatum quidem fuit, sed Ecclesia (eo quod fere omnes evaserint haeretici) illud vim amittere consenserit; prout in Hollandia, et Helvetia. Attamen illuc 1. suppressio decreti valet solum quoad matrimonia

haereticorum, et matrimonia mixta; 2. duo testes necessarii sunt. *Praxis* (*l. c.*).

III.° Si publica interveniret necessitas contrahendi sine parocho; v. g., si, magna exorta persecutione, christifideles ad proprium parochum vel ad eiusdem delegatum nullo modo aut non tuto accedere possent. Tunc tamen 1. decretum Tridentini evanesceret solum post mensem (a fuga parochorum); 2. duo testes semper exigerentur. Notandum quod, si tunc alius sacerdos non delegatus vel parochus non proprius haberi posset, obligatio illum adeundi non adesset pro valido; secus pro licito, ratione scilicet benedictionis recipiendae. *Praxis* (*l. c.*).

1042. *Quid si (seclusa necessitate publica) in aliquo casu particulari magna interveniret necessitas contrahendi matrimonium sine proprio parocho eiusve delegato?* Sententia communis est, quod necessitas nunquam potest esse tanta, ut matrimonium sine parocho celebrari possit. Attamen non desunt Theologi graves (inter quos cl. Ballerini) qui contra sentiunt. *Praxis* (*l. c.*).

1043. *Quid si valde interesset, ut duo (propter concubinatum vel matrimonium civile) in legitimum matrimonium coniungerentur; sed vir apud parochum et testes illud inire non consentiret?* Imprimis consulendus esset episcopus, et, supposita eius approbatione, deservire poterunt sequentia:

I°. Celebratio matrimonii privata prorsus sive in domo parochiali; sive in domo sponsorum ipsorum; sive horis nocturnis; sive adhibendo pro testibus duos sacerdotes aut alios de quorum secreto vir ille plene confidere possit; sive delegando alium sacerdotem vel parochum, etiam in alia civitate, vel ruri, vel in monte etc.

II.° Celebratio matrimonii per procuratorem, vel per litteras. Cf. Berengo (*n.* 135) et Vecchiotti (*XII.* § 78).

III.° Celebratio matrimonii apud parochum cum teste unico (v. g., vicario); vel etiam sine ullo teste. Sed hoc in casu dispensatio S. Sedis necessaria esset.

IV.° Si nullum ex his mediis acceptari vellet; tunc, si de concubinatu ageretur, nullum superesset remedium; si vero subsisteret matrimonium civile (contractum sine iure ad divortium), tunc dispensatio *in radice* a S. Sede obtineri posset.

1044. *Dispensatio in radice quomodo differt ab aliis?* In dispensationibus ordinariis (matrimonii invalide contracti) datur facultas celebrandi hic et nunc matrimonium validum per renovationem consensus (sive coram parocho, sive secreto iuxta

casuum diversitatem). In dispensatione in radice e contra efficitur ut matrimonium evadat validum vi consensus antea dati atque habitualiter perseverantis; unde renovatio consensus non est necessaria, dummodo sponsi, quando primitus contraxerunt, verum matrimonium contrahere intenderint.

1045. *Quid si (civiliter contrahendo) sponsus quidem intenderit verum matrimonium contrahere (eo quod Ecclesiam habere potestatem illud invalidandi non crederet), sed sponsa sciens et credens matrimonium civile nihil valere, verum matrimonium contrahendi intentionem non habuerit?* In hoc casu (qui est valde praticus) *in radice* sanaretur solum consensus viri; sponsa autem consensum vere renovare deberet. *Lhemkuhl* (*n.* 831).

1046. *Quid si matrimonium civile contractum fuisset cum impedimento iuris naturalis vel divini (v. g. vivente priori coniuge quocum matrimonium ecclesiasticum subsisteret)?* Tunc dispensatio in radice, et sine onere renovandi consensum ex utraque parte, (etsi nunc prior coniux e vita decessisset) nec obtineri nec valere posset. *Lhemkuhl* (*n.* 829).

1047. *Quo pacto et sub quibus conditionibus dispensatio in radice obtineri poterit?* S. Sedes exigit 1. ut mulier dispensationem exoptet; 2. ut prius omnia alia media iugiter (sed frustra) tentata fuerint; 3. ut petitio fiat per Ordinarium; 4. ut consensus ex utraque parte perseveret; nec unquam retractatus fuerit; 5. ut in cancellaria episcopali adnotetur quomodo matrimonium fuerit sanatum; 6. ut aliquo modo divulgetur huius sanationis notitia ad tollendum scandalum; 7. ut in actu sacramentalis confessionis, dispensatio concedatur parti eam desideranti; 8. ut eidem imponatur non solum poenitentia salutaris, sed etiam onus reddendi certiorem alteram partem de sanatione obtenta, si id prudenter fieri valeat. *Cf. De Occasionariis* (*n.* 138).

1048. *Censereturne retractatus consensus si inter sedicentes coniuges discordiae adfuissent vel adessent?* Negative. Nec pariter obstaret si separationis (etiam quoad vinculum) velleitates interfuissent; bene vero obstaret si, concepta persuasione de nullitate matrimonii civilis, uterque vel alteruter absoluta voluntate consensum retractasset. Attamen ordinarie S. Sedes in radice non dispensat, nisi prius de coniugum concordia certior evaserit. *Lhemkuhl* (*n.* 831).

1049. *Si parochus gravi de causa non sit impeditus, debetne assistere matrimoniis personaliter?* Affirmat Bened. XIV (Encycl. *Nimiam*); sed apud nos consuetudo est contraria;

quae tolerabilis videtur, nisi parochus divites omnes sibi retineat; pauperes vero omnes vicario relinquat; sic enim pauperum contemptorem (et fortasse etiam lucri cupidum) se esse ostenderet.

1050. *Tempore vetito (scilicet Adventus et Quadragesimae) prohibeturne solum benedictio nuptialis, et Missa pro sponso et sponsa, necnon solemnis sponsae ad domum sponsi traductio; an vero prohibetur etiam simplex matrimonii celebratio?* Benedictio nuptialis et Missa pro sponso et sponsa necnon solemnis sponsae traductio ita interdicitur, ut Episcopus dispensare nequeat. Simplex autem matrimonii celebratio permittitur; attamen solum iustis de causis ab Episcopo approbandis. Ita S. R. C. (14. *Aug.* 1858. *Decr.* 5275).

1051. *Quales essent causae huiusmodi?* 1. Urgente necessitate matrimonium celebrandi in periculo mortis; 2. Ad obtruncandum concubinatum vel meretricium, propitià hic et nunc se offerente occasione, et maxime si concubinarii in loco legitimi coniuges crederentur; 3. Si, differendo matrimonium, periculum adesset ne iniuste impediretur; 4. Si sponsa adverterit se esse ex sponso gravidam, ut scilicet infamia et scandalum evitetur; 5. Denique generatim si ex dilatione matrimonii aliquod satis grave detrimentum sive spirituale sive temporale oriturum esset. *Baruff.* (*Tit. XLI.* 198).

1052. *Facta ultima publicatione, potestne parochus statim matrimonio assistere?* Negative; sed solum (seclusa licentia Episcopi) die sequenti. *S. Carol.* (*C. Provinc.* 5). Insuper, si sponsus fuerit diversae paroeciae (vel dioecesis), admitti non poterit, nisi deferat fidem sui parochi (ab eius curia episcopali recognitam) de denunciationibus peractis, quin ullum delatum fuerit impedimentum. *Rituale* (*Formulae circa fin.*).

1053. *Ubinam matrimonium celebrari debet?* Benedictio nuptialis certe dari nequit, nisi in ecclesia. Si autem matrimonium sine benedictione nuptiali celebrandum esset, tunc ius commune non praecipit, sed solum valde suadet ut in ecclesia celebretur. Cf. Ferraris (*v. matrim. II. n.* 57) et Baruff. (*XLI.* 169).

1054. *Quoad confessionem sponsorum, qui eo ipso mane sunt matrimonium contracturi, quid notandum?*

I. Si sponsus de peccatis carnalibus cum sponsa commissis se accuset, expedire potest ut confessarius ab ipso licentiam petat utendi tali notitia pro confessione sponsae, si forte ista huiusmodi peccata non esset accusatura; quam tamen licentiam non acceptabit si non libenter ei concedatur. Quamvis hanc li-

centiam non petiverit vel non obtinuerit, si sponsa de dictis peccatis verba non faciat, poterit nihilominus confessarius illam interrogare utrum cum sponso contra sextum deliquerit, quandoquidem, ut ait S. Lig. (*VI.* 631), « in sponsis commune est « prolabi in tactus inhonestos vel saltem in pravas cogitatio« nes ». Si sponsa dicat se nihil huiusmodi commisisse, non erit insistendum (propter sigillum), sed supponendum erit, apud alium talia peccata accusasse, quamvis forte dixisset, se, v. g., ab uno vel altero mense non fuisse confessam; hoc enim facile est mendacium, et forsan die praecedenti confessionem fecit. Sed quid si sponsus dixisset, peccata ea ipsa nocte commissa fuisse vel quovis modo confessarius reticentiam intervenire animadverteret? S. Lig. (*l. c.*) dicit quod confessarius « eo casu nullo modo « absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem « absolutionis ». Alii e contra (*vide Lugo De Poen. XXII.* xxii. *et Gury II.* 619) dicunt, absolutionem sub conditione concedi posse; idque mihi quoque probabile videtur, maxime si poenitens aliquod aliud peccatum mortale confessa fuisset; quia contingere potest quod ipsa ex ignorantia credat sufficere si in posterum apud alium confessarium illa peccata accuset, atque interim excusari a tali confessione propter timorem non obtinendi absolutionem, qua in tali circumstantia adeo indiget. Insuper contingere potest quod sponsus quidem malâ, sed sponsa bonâ fide praedicta commiserit; interdum enim quaedam puellae simpliciores credunt non peccare in huiusmodi, speciatim quando cum solo sponso ita se gerant, maxime vero si de solis tactibus ageretur.

II. Ex quovis capite confessarius dubitet de sponsorum dispositione, curare quidem debebit ut melius disponantur; sed, remanente dubio, debebit nihilominus eos sub conditione absolvere (*cf. De Recidivis n.* 167); imo si poenitens haberet aliquod peccatum, quod, si de eo in particulari recogitaret, evitare non proponeret, curandum esset ut ad illud non reflectat, atque dolorem et propositum in genere concipiat, iuxta explicationem datam *De Recidivis* n. 114.

III. Confessarius, etiam interrogatus, valde caute procedat in instruendis novis sponsis circa debitum matrimoniale. Ad summum (interrogatus, aut speciali subsistente ratione) verbis generalibus dicere poterit 1° In matrimonio licere ea quae ad prolis propagationem diriguntur, et in his uxorem obedire debere marito; interdici vero turpitudines quae ad prolem propagandam non deservirent, et in his uxorem marito obedire non debere, quandoquidem Dei maledictio incurreretur; 2° Si

circa aliquid dubia suboritura erunt, confessarium esse interrogandum; 3° Denique bonum esse consilium ut coniuges in vigiliis, solemnitatibus, et quando ad SS. Communionem accedere debent, casti maneant.

1055. *Benedictio nuptialis in quo consistit?* Consistit in orationibus *Propitiare, Domine* etc. *Deus, qui* etc. necnon *Deus Abraham* etc., quae sunt in Missa *pro sponso et sponsa.*

1056. *Benedictio nuptialis quandonam dari non potest?* Dari non potest 1. tempore vetito, scilicet a Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam inclusive, et a die cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive (nec valet quod de licentia Episcopi matrimonium celebretur, ut dixi supra *n.* 1050); 2. Si mulier sit vidua (*Decr.* 4299). Intellige si in primis nuptiis benedictionem receperit; secus enim esset si tunc illam non recepisset. *S. C. S. O.* (31 *Aug.* 1881).

1057. *Missa pro sponso et sponsa quomodo celebranda?* Sine *gloria*, sine *credo*, cum *Benedicamus Domino*, nec non cum secunda et tertia oratione diei currentis (*Decr.* 4544). Color albus. Si pro pluribus sponsis unica dicitur missa, nihil immutari debet. *Del Vecchio* (*II.* 1023. *not.* 1).

1058. *Missa pro sponso et sponsa potestne celebrari semper?* Negative; scilicet celebrari nequit 1. Si benedictio nuptialis non sit danda (iuxta modo dicta *n.* 1056); et tunc nequidem simplex eiusdem Missae commemoratio fieri potest (*Decr.* 4299 *et* 4868); 2. In diebus dominicis, in festis de praecepto, in duplicibus primae et secundae classis (*Decr. gener.* 4415), in octava Epiphaniae, in vigilia et octava Pentecosten (*A Carpo I.* 40); denique in octava Corporis Christi (si tamen sit privilegiata ad instar octavae Epiphaniae, quae excludit duplicia etiam secundae classis *Decr.* 4587). Tunc tamen facienda erit commemoratio de Missa pro sponso et sponsa, et sumendae erunt Orationes ex eadem Missa pro benedictione nuptiali. *Missale.*

1059. *Benedictio nuptialis potestne unquam dari extra Missam?* Negative. (*Decr.* 5275).

1060. *Quum ad celebrandum matrimonium parochus superpelliceum et stolam induere debeat, quaeritur utrum pro superpelliceo uti valeat alba cum stola in pectus transversa, quando immediate post celebrationem matrimonii, Missam pro sponso et sponsa celebraturus sit?* S. R. C. (Decr. 5382) respondit: « Si immediate sequitur Missa, sacerdos praeter « albam et stolam induere debet etiam planetam. Atque ita « rescripsit, et servari mandavit ».

1061. *Quid si matrimonium celebraretur per procuratorem?* Habita Episcopi licentiâ, 1. Parochus inspicere debet an procurator habeat revera speciale et legitimum mandatum; 2. Advertendum quod procurator alium sibi substituere nequit, nisi hoc in mandato fuerit expressum; 3. Procurator coram sponsa et testibus prius exprimere debet apertis verbis se agere nomine non proprio sed mandantis.

1062. *Teneturne parochus nedum legere sed etiam applicare missam pro sponsis?* « Sacerdos non tenetur missam applicare « pro sponsis nisi ab iisdem eleemosynam recipiat ». Ita S. C. S. O. (1. *Sept.* 1841) *apud Monitore eccles.* (*III.* III. *pag.* 62). Parochus itaque eleemosynam non recepturus, etsi legat missam *pro sponso et sponsa,* illam pro aliis applicare poterit.

1063. *Quid de eleemosyna, quae post matrimonii celebrationem dari solet a sponsis, quin aliquid exprimant? Estne pro applicatione missae? Et cui debetur?* Si matrimonium sine missa celebratum fuerit, tunc eleemosyna dari censetur pro matrimonio, et non pro missa. Si vero missa celebrata fuerit; tunc partim pro matrimonio et partim pro missae applicatione dari praesumitur. Si plura matrimonia eodem tempore, unica subsecuta missa, celebrata fuerint; tunc eleemosynae a singulis receptae illam unicam missam respicere videntur; ita ut scilicet Parochus ad alias missas sequentibus diebus applicandas teneri non videatur. Si autem non parochus sed alius sacerdos de eius licentia matrimonium benedixisset et missam celebrasset; tunc, excepta parte quae ad applicationem missae refertur, reliquum spectaret ad parochum. Ita Baruffaldi (*XLI.* 160), cui consonare videntur Barbosa (*De Par. II.* XXI. 98) et Ferraris (*v. matrim. II.* 59). Pars autem quae ad applicationem missae refertur, ordinarie determinari poterit iuxta taxam synodalem. Dico *ordinarie;* si enim sponsi divites essent et eleemosynam valde pinguem obtulissent, tunc praesumendum foret quod pro missa aliquid ultra dictam taxam dare intendissent. Si parochus nesciret an sponsi eleemosynam daturi essent; tunc intentionem conditionatam efformare posset. Sed quid si sponsi darent eleemosynam valde exiguam, quae scilicet communi missae stipendio circiter corresponderet? Non desunt Parochi qui existimant eleemosynam tunc dari intuitu solius matrimonii, et missae celebrationis, non vero applicationis, quam sponsi in tali casu praetendere non censentur. Huic opinioni sensus communis et vera intentio parochianorum apud nos obstare videtur; et notandum quod sponsi praeter eleemosynam pecuniariam, nonnulla

alia munuscula parocho efferre solent; unde nihil vetat quominus, stipendium ordinarium offerendo (dum, propter paupertatem, nihil amplius dare possunt), illud ad missae applicationem referant.

1064. *Quid faciendum superest postquam matrimonium celebratum fuerit?* Rituale dicit: « Peractis omnibus, parochus « manu propria describat in libro matrimoniorum nomina coniu- « gum et testium et alia iuxta formulam praescriptam: idque « licet alius Sacerdos, vel a se vel ab Ordinario delegatus ma- « trimonium celebraverit ». Descriptio ista fieri debet statim. Explicandum an denunciationes peractae, an vero de licentia Episcopi in toto vel in parte omissae fuerint. Item an nullum an vero aliquod detectum fuerit impedimentum. Item, in casu impedimenti publici, quomodo dispensatio obtenta et applicata fuerit.

1065. *Quid si sponsi sine benedictione nuptiali matrimonium contraxissent?* Illam recipere possunt postea; nec obstaret si matrimonium ipsum iam consummassent et longum tempus iam elapsum fuisset. Oporteret tamen semper ut infra Missae celebrationem et extra tempus vetitum illam reciperent. *Decr. S. O.* 31. *Aug.* 1881.

1066. *Quomodo se gerere debeat parochus, si forte, matrimonio iam contracto, aliquod impedimentum dirimens detegatur?* Supponendo imprimis quod impedimentum sit certum, iuris ecclesiastici et occultum (ut puta, si parochus, vel confessarius advertat maritum copulam *consummatam* habuisse cum sorore uxoris ante matrimonium, et sic impedimentum affinitatis ortum fuisse); tunc plures distinctiones fieri debent. 1. Si putati coniuges sint ambo in bona fide, nec possint ambo admoneri sine periculo divortii, tunc relinquendi sunt in bona fide, et scientibus impedimentum imponi debet silentium; nec cogitandum de dispensatione, quae nullo modo concederetur, et S. Poenitentiaria parocho responderet: « Praefatos putatos coniuges « relinquat in bona fide, et conscios de impedimento (si qui « sint) moneat de silentio stricte servando ». 2. Si ambo sint in mala fide (nempe ita ut cognoscant matrimonialem copulam sibi illicitam evasisse); tunc curandum, ut saltem quoad torum illico separentur et casti maneant, donec dispensatio obtenta et applicata fuerit. 3. Si una pars dumtaxat sit in mala fide; tunc videndum an ipsa aliam partem aperte admonere possit; an vero potius oporteat, ut sub aliquibus praetextibus, donec dispensatio obtenta fuerit, copulam declinet. Casus difficilis esset si nec pars admoneri nec copula declinari posset, quin gravis-

sima mala sequerentur. Tunc Lhemkuhl (*II.* 826) censet, impedimentum cessare et matrimonium posse statim validum fieri; et ego dicerem potius quod confessarius ipse dispensare valeat, petendo tamen dispensationem ad cautelam, prout in casu supra (*n.* 995. 998) indicato. 4. Denique contingere potest quod ambo sint in bona fide, et ex monitione non equidem divortium, sed continuatio in usu matrimonii, timeri debeat. Tunc, quamvis relinquendi sint in bona fide, tamen interim (si sat commode omnia expediri possint, et sub aliquo praetextu effici valeat ut poenitens post certum tempus rediturus sit) dispensatio procuranda erit. *Cf. Gury* (*Cas. consc. II.* 1071) *et Lhemkuhl* (*II.* 826).

1067. *Quid notandum circa petitionem dispensationis in casu?* In supplici libello (qui, tacitis oratorum nominibus, ad Card. Poenitentiarium Maiorem dirigitur; *cf. supra n.* 942) exprimere oportet an matrimonium contractum fuerit bona fide, an vero cum scientia impedimenti ex parte unius vel utriusque; item an praemissis denuntiationibus et coram parocho fuerit celebratum; an sub spe facilius dispensationem obtinendi; demum an fuerit consummatum, idque an bona vel mala fide. Haec omnia sub poena nullitatis semper exprimenda sunt. Alia quoque exprimi debent iuxta dicta (n. 939). Quando agitur de matrimonio iam contracto, causa specialis non exigitur, sed sufficiunt incommoda quae ex matrimonii dissolutione sequerentur, maxime si matrimonium bona fide contractum fuerit. Notandum quod si de nullitate matrimonii alia pars certiorari et consensus renovari nequiret; tunc id quoque exprimi et dispensatio *in radice* peti deberet.

1068. *Quid notandum circa executionem dispensationis non in radice, sed modo ordinario petitae?* Rescriptum S. Poenitentiariae, praeter clausulas iam supra (n. 946-980) enuntiatas, dicit quoque: *Inter se de novo secrete renovato mutuo consensu;* et, si impedimentum uni dumtaxat parti notum sit (prout accidere solet in affinitate ex copula illicita), tunc dicit: *Certiorata parte de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut delictum* (quod fuit causa affinitatis) *nusquam detegatur, renovato consensu* etc. Haec clausula intelligenda est pro valido, si absque gravi periculo applicari possit, si nempe coniuges sincero amore adhuc se diligant; unde de divortio timendum non sit (quod non facile a parte foeminae timeri debet); et si (in casu affinitatis) subsit modus certiorandi partem absque revelatione delicti.

1069. *Quomodo practice procurari poterit renovatio consensus absque revelatione delicti?* Theologi varios modos indicant, nempe 1. *Dixit mihi confessarius, nostrum matrimonium esse nullum, et oportere ut renovemus consensum; 2. Quando nupsi non habui verum consensum; nunc praestare volo; vis et tu praestare? 3. Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum.* Hi modi admittuntur a S. Lig. (*n.* 1117). Practice tamen difficultates interdum non deerunt; si enim mulier dicat se non consensisse, vir forsan aut id tamquam ludicrum habebit, aut dicere poterit: Ergone fictus fuit amor quem mihi tot annis ostendisti? Si dicat: Dixit mihi confessarius etc.; vel: Angor scrupulis etc., vir causam rescire volet, aut uxoris dicteria spernet.

1070. *Quid itaque si modi isti (inspectis circumstantiis) adhiberi non possent, vel adhibiti spreti fuissent?* Tunc non dispensatio consueta sed *in radice* peti deberet, ut supra dicebam. Attamen, si dispensatio consueta petita fuisset et redditio debiti coniugalis evitari nequiret, credendum esset quod Ecclesia dictae clausulae applicationem (quae tunc esset in destructionem) non exigat, et quod proinde, etiam parte non certiorata et mutuo consensu non explicite sed solum implicite (per copulam coniugalem) renovato, dispensatio valeat. Ita cum pluribus aliis sensit S. Lig. (*n.* 1117) inquiens: « In hoc casu necessitatis censetur « S. Sedes relaxare praefatam conditionem providendo meliori « modo quo potest bono animarum, quum talis conditio tunc « sit moraliter impossibilis executionis ».

1071. *Ad revalidanda matrimonia, estne semper necessarium recurrere ad S. Sedem; an vero facultates aliquas Episcopi habere solent?* Episcopi habere solent facultatem (subdelegabilem) revalidandi matrimonia nulliter contracta I. propter impedimentum occultum criminis, dummodo, machinatio contra vitam coniugis defuncti locum non habuerit; II. propter impedimentum occultum affinitatis ex copula illicita (etiam in primo gradu), dummodo non agatur de copula habita cum matre sponsae ante huius nativitatem (propter periculum ne sponsa sit eius filia). Attamen in utroque casu secreta renovatio consensus exigitur, et confessio mensilis per tempus dispensantis arbitrio statuendum imponi debet. In secundo casu autem exigitur insuper remotio occasionis, atque ut pars certioretur de nullitate prioris consensus, sed caute; et additur: « Quatenus haec cer« tioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu « iuxta regulas a probatis auctoribus traditas ».

1072. *Quid si parochus (vel confessarius) consuetas haberet S. Poenitentiariae facultates?* Tunc ad Episcopum recurrere non oporteret; sed ille ipse in duobus casibus supra recensitis dispensare posset.

1073. *Quid si impedimentum matrimonio iam celebrato detectum, esset publicum?* Tunc dispensatio ope curiae episcopalis a Dataria vel Poenitentiaria (pro foro externo) petitur.

Executio dispensationis committi solet Ordinario, et renovatio consensus coram Parocho et testibus (sive publice sive privatim) necessaria est. Attamen confessio sacramentalis pro impedimento publico in rescriptis exigi non solet.

Notandum quod si impedimentum sit natura sua publicum sed de facto occultum (prout interdum contingit in gradibus remotioribus); tunc Poenitentiaria hodie ut plurimum concedere solet facultatem revalidandi huiusmodi matrimonia non iam ope confessarii et renovatione consensus secreta absque parocho; sed ope parochi ipsius, qui (in hoc casu) putatorum coniugum sacramentalem confessionem prius audire, eosque (quatenus opus sit) a censuris absolvere, atque ab impedimento dispensare prolemque legitimam declarare, et postea eorum consensum cum duobus testibus confidentibus (sine benedictione nuptiali; *Scavini III.* 826) recipere debet. Denique Parochus in libro Matrimoniorum secretorum Litteras Apostolicas, et executae dispensationis nec non matrimonii rite celebrati fidem, ponere debet.

1074. *Benedictio post partum debetne aut potest dari mulieribus, quae solo matrimonio civili coniunctae sint, aut quomodolibet ex damnato coitu pepererint?* S. C. C. (18. *Iun.* 1859) decrevit: « Ad benedictionem post partum ius tantum-« modo habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepere-« runt ». Caeterum rationes et auctoritates gravissimae (ut videre est apud Acta S. Sedis vol. I. pag. 348) suadent, non solum quod mulieres, quae ex delicto pepererunt, non habent ius ad benedictionem istam, sed etiam quod (si notorie deliquerint et multo magis si perseverent in peccato) eâdem omnino privari debent.

1075. *Quaenam obligationes ex matrimonio oriuntur?* 1. Redditio debiti coniugalis; 2. Fidelitas integra; 3. Amor reciprocus et cohabitatio; 4. Alimentatio et educatio prolis.

1076. *Quotuplex est divortium?* Duplex 1. quoad vinculum; 2. quoad torum et cohabitationem.

1077. *Potestne solvi matrimonium quoad vinculum?* Nega-

tive, nisi in duobus casibus; scilicet 1. solvi potest matrimonium (etiam consummatum) infidelium, si pars una convertatur ad fidem (quibusdam tamen concurrentibus adiunctis); 2. Solvi potest matrimonium Christianorum, dummodo sit ratum dumtaxat et non consummatum. Solvitur autem 1 per professionem religiosam alterutrius; et datur bimestre ad deliberandum; 2. per dispensationem pontificiam; quae obtineri potest dummodo certum sit quod consummatio non interfuerit, et motiva magni momenti subsistant. Haec motiva ad ineluctabilem animi aversionem fere reducuntur; et a fortiori si de validitate prioris matrimonii esset dubitandum, aut si postea matrimonium civile cum alia persona contractum fuerit.

1078. *Quid de divortio quoad torum et cohabitationem?* Causae legitimae huius divortii sunt 1. mutuus consensus, secluso periculo scandali et incontinentiae; 2. adulterium alterius coniugis; 3. magnae saevitiae. Regulariter divortium est dissuadendum; et si coniux ad illud omnino devenire velit, iudicis sententia ordinarie exigitur. Dantur tamen casus, in quibus privata quoque auctoritate (maxime si periculum sit in mora, aut si factum apud iudicem probari non valeat) divortium licitum esse potest. *Cf. Lhemkuhl* (*II.* 710).

PUNCTUM X.

De parocho quoad assistentiam moribundis praestandam?

1079. *Assistentia moribundorum, etiam postquam Sacramenta omnia administrata fuerint, estne de praecepto?* Affirmative. Patet ex Rituali, et ex scandalo quod parochus praeberet, si, datis sacramentis, ad moribundos amplius accedere nollet.

1080. *Haec obligatio urgetne sub gravi?* Utique (intellige supposita possibilitate). Non tamen quaelibet negligentia mortale peccatum constitueret; sed solum in tribus casibus; scilicet 1° Si parochus, administratis sacramentis, ex firma consuetudine semper infirmos desereret; 2° Si moribundus esset fragilis, aut valde tentatus, et multo magis si confessionem adhuc facere non potuisset aut noluisset; 3° Si infirmus valde turbaretur, eo quod parochus discrete vocatus advenire nollet, aut magnam illius incuriam ostenderet.

1081. *Assistentia moribundorum, sicut generatim cura infirmorum, spectatne ad parochum personaliter?* Affirmative;

quatenus hoc munus gravissimi momenti non ex toto refundere potest in vicarium. In casibus difficilioribus (si de vicarii peritia non sit fidendum), et quando infirmus praecise illius personam exoptat, personaliter accurrere debet; et de caetero iuxta alias paroeciae curas propriasque vires, plus vel minus cum vicario ipso aliisve sacerdotibus hoc onus dividere poterit. Rituale dicit: « Si Parochus *legitime impeditus* infirmorum, ut quando plures « sunt, visitationi interdum vacare non potest: id praestandum « curabit per alios sacerdotes ».

1082. *Quid notandum circa sacerdotem substitutum?* Solertissime cavendum ne potiusquam moribundum adiuvet, ex perversitate aut etiam ex sola ignorantia vel imprudentia, ei noceat, aut familiae scandalo sit.

1083. *Quando infirmus petit parochum personaliter, estne aliquid notandum?* Si parochus solitus sit eleemosynas infirmis dare, facile contingit quod ipsi intuitu eleemosynae, non vero propter animae propriae necessitatem, illum advocent; et, quatenus parochus in casu de hoc iam certus esset, facile poterit se eximere et per substitutum eleemosynam ad infirmum mittere.

1084. *Si, sacramentis administratis, mors adhuc valde distare videatur, vel si ipsa agonia nimis diuturna sit, teneturne parochus toto illo tempore apud infirmum die ac nocte manere?* Negative; imo praxis huiusmodi familiis generatim non placeret, aliis paroeciae necessitatibus obesset, et forsan gravioribus adhuc inconvenientibus occasionem praeberet. Adde quod multi infirmi nimio terrore afficiuntur, si videant parochum ab eorum domo nunquam discedere; eiusque praesentiam non libenter ferunt.

1085. *Quomodo itaque in praxi se geret parochus?* Interpolatae brevesque visitationes ordinarie sufficere poterunt, rariores aut frequentiores iuxta distantiam, et alias curas; speciatim vero iuxta infirmi desiderium; et maxime iuxta spiritualem illius necessitatem, mortisque propinquitatem. Ruri praestat ut prope noctem huiusmodi infirmi semper visitentur. Si Sacerdos in aliqua ex his visitationibus advertat mortem iam imminere, tunc apud moribundum remanere, eiusque animam Deo commendare debebit; sin minus, domum redire poterit.

1086. *Quinam sunt scopuli magis exitiales in moribundorum assistentia?* Sunt tres: 1. Pigritia; 2. Libido aut tractus nimis liber; 3. Avaritia.

1087 *Quomodo Sacerdos deficere posset ex pigritia?* Si moribundum desereret etiam quando illum deserere non posset,

aut ad eum se non conferret, quando sive die sive nocte ad illum se conferre deberet.

1088. *Quomodo deficere posset ex libidine vel tractu nimis libero?* Multipliciter, et speciatim 1. si, dum manet in domo infirmi, libentius et diutius cum foeminis quam cum viris conversaretur; 2. si quoad foeminas infirmas sacerdotalem modestiam non custodiret. Hinc, ingrediendo infirmae cubiculum, prius petat an ingredi possit. Adveniente medico, recedat (quod fere semper etiam quod viros servandum est). Recedat etiam si infirmam qualibet de causa detegere oporteret. Medici partes cum ipsa non agat; sed potius in quibusdam casibus urgentibus, doceat familiares quomodo se gerere debeant. Si infirma in phrenesi vel ex habituali modestiae defectu se minus honeste detegeret, sacerdos blando modo, et quantum moraliter possibile sit, illam cooperiat. Aliqui addunt, sacerdotem non debere sudorem ab infirmae fronte abstergere, et non nisi requisitus eius pulsum tangere; sed, secluso pravo aut minus recto fine, scrupuli circa haec iniiciendi non videntur.

1089. *Quomodo deficere posset ex avaritia?* Si infirmos induceret ad aliquid sibi dandum vel in testamento relinquendum. Ab hoc solertissime caveat sacerdos; imo quidquid, etiam sponte sive datum sive relictum, respuat vel haeredibus restituat; secus enim accessus sacerdotum ad moribundos nimis odiosus redderetur, atque a familiis non raro impediretur. Neque a regula ista recedat parochus, quamvis esset pauperrimus, aut quamvis peteret non pro se sed pro ecclesia propria.

1090. *Oportetne vel expedit ut parochus de testamento cum infirmo verba faciat, vel utcumque in dispositionibus testamentariis se ingerat?* Oportet, si infirmus obligationes haberet, quibus ope testamenti satisfacere teneretur. Expedit, si esset valde dives, et speciatim si consanguineos indigentes minime haberet; ut scilicet legatum pium faceret. Expedit etiam si post eius mortem (testamento non facto) turbationes et lites secuturae essent; vel si infirmus dispositionem aliquam inconsultam vel iniquam (v. g., propriis consanguineis indigentibus nihil relinquendo) facere vellet. Caeterum regulariter (quum agi soleat de re odiorum periculosa) parochus in testamentis se non ingerat, nec facile ad instantiam alicuius infirmum ad illud excitet; sed solum in genere dicere poterit ut rebus suis consulat. Requisitus autem de consilio ab infirmo ipso (nisi agatur de rebus momentosis, ut modo dicebam) respondeat in genere ut disponat de rebus suis iuxta suam voluntatem.

1091. *Quid si personis, erga quas obligationes habentur, legatum in testamento fieri nequiret absque infamia?* Tunc videndum an legatum fieri possit in favorem tertiae personae, cui secreta fiducia de re transmittenda veris creditoribus facta fuerit; vel an huic ipsi personae pecunia dari possit brevi manu. Secus, ope legati pii, debito satisfieri deberet.

1092. *Expeditne ut parochus ipse dictam fiduciam vel etiam pecuniam brevi manu acceptet?* Quoad fiduciam, negative ordinarie. Ratio est ut supra (n. 1089). Facilius acceptare poterit pecuniam brevi manu; sed hoc idem cum magnis cautelis et circumspectionibus, ne forte familiares sive actu ipso sive postea pecuniae acceptae notitiam habituri, et molestias ei allaturi sint.

1093. *Quid si infirmus, quoad suas obligationes vel legata pia, propriorum haeredum fiduciae se remittere vellet?* Ab hac re ordinarie esset dissuadendus; ut plurimum enim haeredes promittunt et nihil exequuntur. *S. Lig.* (*Prax. n.* 233).

1094 *Quid si, quoad legata pia, vellet se remittere prorsus fiduciae alicuius personae, nihil determinando, eique plenam libertatem relinquendo, quin alicui rationem reddere deberet?* Ab hoc quoque dissuadendus esset. Ratio per se patet.

1095. *Quale consilium itaque dandum esset infirmo, qui legatum pium facere vellet?* 1° Si legatum pium ita exprimi possit in testamento ut legaliter sustineatur, tunc medium istud eligatur. (Reminiscendum quod, apud nos, valet testamentum etiam in charta libera et sine notario; sed tunc oportet ut sit olographum, scilicet scriptum manu testatoris ex toto cum indicatione anni, mensis et diei, et cum subscriptione testatoris ipsius in fine. Si notario non consignetur, in loco tuto collocari debebit, ne haeredes ab intestato illud destruant; et bene est si duo exemplaria fiant, quorum saltem unum extra domum deponatur). 2° Si legatum pium in testamento non sustineatur, tunc reliquum erit ut duo fiant testamenta; scilicet unum quod valeat civiliter, in quo legatum relinquatur *sacerdoti*, cui secreto fiducia facta fuerit; quin de ipsa in testamento aliquid dicatur; alterum vero quod valeat coram ecclesia; in quo explicetur ad quid idem sacerdos fiduciarius teneatur; et hoc in cancellaria episcopali, vel in capsa ecclesiastica (cum inscriptione quod aperiri debeat coram Episcopo) deponatur. Ut tamen istud coram ecclesia valeat, oportet ut sit canonice recognoscibilis. Talis autem erit si a testatore, vel a fiduciario, vel a duobus testibus sit subscriptum. Bene erit si de hoc quoque

duo exemplaria fiant. 3° Expedit ut praeferantur opera, quae in publicam utilitatem redundant; v. g., pro seminario, pro clericis pauperibus ibi gratis alendis, pro scholis catholicis instituendis, pro instituto Salesiano (nunquam satis laudato), pro sacris missionibus etc., habita ratione loci et maioris necessitatis.

1096. *Quaenam legata pia, iuxta praesentes leges italicas, in testamento sustineri possunt?* Dispositiones in favorem pauperum (intellige quatenus legitimam non laedant) tenent semper (Art. 832). Dispositiones directae ad cultum tenent, dummodo 1. non sint expressae modo generico, dicendo solum, v. g.: *Lascio erede l' anima mia* (Art. 831); 2. Institutionem aut dotationem entium suppressorum (v. g., beneficii simplicis, capellaniae laicalis, ordinis religiosi etc.) pro obiecto non habeant (Art. 833); unde dispositiones directae ad cultum, si sint perpetuae atque enti conservato non adnexae, invalidae sunt (Lex 15 Aug. 1867). E contra valent 1. Dispositiones temporaneae, ut puta, si poneretur onus haeredi ut talem numerum Missarum vel anniversariorum celebrare faceret, aut si executoribus testamentariis imponeretur, ut, asse divendito, totum pretium in fabrica Ecclesiae, vel in Missis celebrandis impenderent; id enim nulla lege vetatur; nec haeredis institutio hodie necessario exigitur. Cf. *Avvisatore Eccles.* (An. III. pag. 20). Valent 2. Dispositiones perpetuae, si enti conservato, v. g., Paroeciae vel Loco Pio, adnectantur; quamvis Regis approbationi (secuta morte testatoris) subiici debeant (Art. 433. 932).

1097. *Quid si testamenti conficiendi tempus et modus non suppeteret, et circumstantiae sinerent ut parochus vel alius (sive ad satisfaciendum obligationibus infirmi, sive ad exequendam aliquam piam eiusdem intentionem) fiduciam vel pecuniam (ut supra n. 1092) acceptaret?* Ille gravissime teneretur ad satisfaciendum intentioni infirmi vel defuncti, nulla interiecta mora; et, si forte id statim fieri nequiret, gravissime pariter, nullaque interiecta mora, teneretur ad consulendum rei securitati, deponendo summam simulque fiduciae explicationem in capsam ecclesiasticam, vel ope testamenti, vel aliquo alio tutissimo modo; ne, re de die in diem dilata, mors superveniat et sic haeredes omnia capiant.

1098. *Quid de testamentis tempore pestis?* Si pestis aut alius morbus contagiosus grassetur, valet apud nos testamentum factum coram sacerdote (loco tabellionis), et sufficiunt duo testes, etiam foeminei sexus et non aetate maiores, dummodo sextum-

decimum annum compleverint, et quamvis nec testator nec testes propriam subscriptionem apposuerint, dummodo ex impotentia id evenisse exprimatur. Subscriptio tamen sacerdotis, qui testamentum exaravit cum designatione diei, mensis et anni, semper exigitur (*Art.* 789). Secuta morte testatoris, hoc testamentum, statim ac fieri poterit, apud magistratum recensionis (*registro*) deponi debebit (*Art.* 790).

Monent, in quolibet testamento semper indicari debere quod testator *est in pleno usu suarum facultatum mentalium:* et quod suam ultimam voluntatem declarare intendit, illamque *libere* manifestat. Testamentum autem alta atque intelligibili voce coram testatore et testibus legi, et hanc lectionem fuisse factam exprimi debet.

1099. *Circa moribundorum assistentiam estne aliquid aliud notandum?* 1. Curari debet ne infirmus tentationibus aut turbationibus subiiciatur; 2. ut auxiliis spiritualibus atque indulgentiis muniatur; 3. denique in extremis animae commendatio fieri debet.

1100. *Quomodo curabit parochus ne infirmus tentationibus vel turbationibus subiiciatur?* 1. Aqua lustralis semper praesto esse debet, eaque frequenter infirmus est benedicendus; 2. Si aliqua persona esset ei occasio scandali, eius remotio caute procuranda foret. Idem dic si amasiae imago in eius cubiculo esset. Prudenter tamen ne peius contingat (forte enim illa nullam amplius impressionem infirmo facit), et melius esset si ante primam parochi visitationem familiares (quasi consilio proprio) persuasum reddiderint aegrotum, quod tales imagines, sacerdote adveniente, removeri debent. Quoad alias tentationes sumi debet regula a circumstantiis. 3. Cavendum ne alii infirmum affligant, turbent, aut sermonibus inanibus (maxime in extremis) distrahant. 4. Cavendum praecipue ne sacerdos ipse illum turbet vel scandalo afficiat. Aliqui sacerdotes facetiis cum familiaribus indulgent; idque infirmi valde aegre ferunt. Alii, quando infirmus videtur sensibus destitutus, libere procedunt et dicunt, v. g. *Sumus in fine, ad crastinam diem non perveniet, agi potest de paucis horis, pulsus amplius non percipitur etc.*, vel confabulantur, rident etc. Sed non raro infirmi reapse omnia audiunt, et sic non parum turbari, indignari, aut etiam scandalizari possunt. Interdum ipsa nimis protracta lectio spiritualis magnum taedium afferre atque ad impatientiam provocare posset. Idem dic de strepitu illo inconsultissimo, qui in animae commendatione a fere omnibus adhibetur; si enim moribundus

est revera sensibus destitutus, ea vocis elatio ad nihil deservit; et, si intelligit, talis ac tantus strepitus, attenta extrema moribundi ipsius debilitate, non nisi malam impressionem facere, magnumque fastidium ei afferre potest.

1101. *Quomodo curabit parochus ut infirmus auxiliis spiritualibus (praeter sacramenta) muniatur?* 1. Identidem (non tamen nimis frequenter) illum adhortetur ad se Deo, B. Virgini, suo Angelo Custodi, suisque Sanctis protectoribus commendandum. 2. Imagines Crucifixi, et B. Virginis in eius conspectu vel prope ipsum ponat, atque identidem osculandas praebeat. 3. Pias iaculatorias et praecipue breves actus fidei, spei, charitatis et contritionis ei suggerat. 4. Oret pro illo, et procuret ut etiam adstantes orent vel precibus respondeant. 5. Si sit adscriptus piis sodalitiis, unde expositio SS. Sacramenti ei debeatur, de re ista sollicitus sit. 6. Aliqua brevia exempla Sanctorum optimam impressionem facere solent. 7. Denique curabit ut indulgentias lucretur, et praecipue benedictione apostolica in articulo mortis (pro qua facultas exigitur) illum communiat.

1102. *Quid notandum circa benedictionem istam?*

I. Benedictio in articulo mortis potest dari, etsi mors non adhuc sit imminens, et sufficit si infirmus in periculo mortis versetur. S. C. *Indulg.* 19. *Decr.* 1885 (*apud Monitore IV.* n. 8).

II. Antequam haec benedictio tribuatur, oportet ut saltem Sacramento Poenitentiae et SS.mi Viatici administrentur, ut patet ex formula concessionis (*Avvisatore An. IV. pag.* 208). Si tamen haec Sacramenta sive inculpabiliter sive etiam culpabiliter administrata non fuissent, et tempus et modus illa administrandi amplius non suppeteret, benedictio dari posset. (*Decret. auth. n.* 237).

III. Unica benedictio cum indulgentia plenaria (non vero plures, etsi a diversis sacerdotibus vel ex diverso titulo, v. g, ratione alicuius confraternitatis) moribundis dari potest, eodem permanente mortis periculo (*Decr. auth. n.* 286 *et* 362); nec obstat, si benedictione concessa, infirmitas adhuc valde perduraverit (*Decr.* 263); aut si aegrotus in peccato mortali illam recepisset, aut postea relapsus fuisset (*Decr.* 257); indulgentia enim lucratur momento mortis; non vero quando benedictio datur (*Decr. n.* 9).

IV. Si aegrotus sit compos sui, tunc ad benedictionis valorem est de essentia, ut ille saltem corde (si ore non possit) JESUS nomen invocet, et Dei voluntati ita se committat, ut mortem quoque (si ita Deo placeat) patienter sufferat in sati-

sfactionem poenarum quas peccando promeruit. *Ita ex Rituali; ex formula concessionis, et ex Bened. XIV. Bulla Pia mater.*

V. Haec benedictio ex praecepto (et quidem etiam pueris si sint doli capaces iuxta Decr. S. R. C. n. 4623. ad 6) dari debet si facultas habeatur; sin minus adhortandus erit infirmus, ut alias indulgentias consequatur. *Rituale.* In hunc finem reminisci oportet quod indulgentias adnexas habent, v. g., coronae, crucifixi, vel numismata benedicta in articulo mortis; actus fidei, spei et charitatis; signum crucis; invocatio SS.mi nominis Iesu vel Mariae Virginis; Litaniae lauretanae; oratio *Angele Dei, qui custos es mei etc.;* iaculatoriae *Dolce cuor del mio Gesù etc.; Sia lodato e ringraziato ogni momento il SS.mo e divinissimo Sacramento; Sia benedetta la santa ed immacolata Concezione della Beatissima Vergine Maria Madre di Dio; Gesù, Giuseppe, Maria, vi dono il cuore e l'anima mia; Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell' ultima mia agonia, Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con voi l' anima mia.*

1103. *Quomodo se gerere debet sacerdos in domo moribundi, quando ab eius lecto secedit?* Familiae aedificationem dare curabit; idque non solum bono exemplo (v. g., orando, officium devote recitando etc.); sed etiam salutaribus sermonibus, occasionem ex circumstantiis sumendo, aut doctrinam christianam pueris ita explicando, ut alii quoque audiant. Sermones isti (speciatim si agatur de familiis, quae de verbo Dei in ecclesia audiendo parum sunt sollicitae) maximam utilitatem afferre magnumque fructum producere possunt.

1104. *Quid notandum circa animae commendationem?* 1° Cadit sub praecepto; quatenus orationes *Proficiscere, Deus misericors: Commendo te; Suscipe Domine; Commendamus tibi; Delicta iuventutis* stricte praescribuntur. Reliqua autem, nempe Evangelium, Passio etc. sunt solum de consilio. Sunt tamen de praecepto verba quae in expiratione dici debent. 2° Superpelliceum et stola violacea exiguntur. Aspersio cum aqua benedicta, osculum Crucifixi, et accensio candelae cadunt pariter sub praecepto. Litaniae recitari possunt quamvis agonia non adhuc incoeperit; sed dictae orationes, scilicet *Proficiscere etc.* dicendae sunt dumtaxat quando mors iam proxima et imminens esse videatur.

1105. *Quomodo cognoscitur, mortem esse vicinam et infirmum propter animae commendationem non esse deserendum?* Distinguere oportet inter morbum acutum (cum febri), et chronicum (sine febri). In morbis acutis, donec infirmus loquitur,

delirat, se agitat, movet pedes vel manus, aperit et claudit oculos etc., ordinarie mors censeri potest non absolute proxima; hi enim moribundi tempore notabili (nempe ut plurimum saltem una hora) sensibus destituti ita remanere solent, ut ex sola respiratione pateat eos adhuc esse vivos; et tunc certe moribundus versabitur in extremis, maxime si ne aquam quidem ori admotam sugere possit. In morbis chronicis e contra infirmi remanere solent cum sensibus usque ad mortem. Quoad vitia organica ad cor, nulla regula sumi potest; et fere idem dicendum est de hydropisi, et de morientibus ex mera senectute. In phthisi pulmonari habetur signum ex pulsu vix sensibili, respiratione intermittente et amissione luminis oculorum. Quando febris typhoïdaea non coniungitur cum delirio et tribus vel quatuor hebdomadibus durat, tunc infirmus lenta consumptione et cum sensibus moritur. Vulnera in ventrem penetrantia, et omnes hemorragiae sensus non adimunt; sed ipsa sanguinis effusi copia, et consequens pulsus extrema debilitas proximae mortis signum praebebit. Denique, si vultus iam horribiliter cadavericus evaserit, tunc mortem esse vicinam semper iudicabis.

1106. *Quid si parochus, propter alios infirmòs àliasve graves necessitates, agonizantem deserere cogeretur, neque alium sacerdotem sibi subsistere posset?* Tunc curabit ut assistentes pios affectus moribundo identidem suggerant, Crucifixum ei osculandum praebeant precesque pro eo fundant. *Rituale.*

APPENDIX

De parocho quoad ecclesiasticam sepulturam et alia officia defunctos respicientia.

1107. *Ecclesiastica sepultura in quo consistit?* In duobus 1. in inhumatione cadaveris in coemeterio seu loco sacro; 2. in caeremoniis a Rituali praescriptis.

1108. *An coemeterium cessare possit esse sacrum?* Affirmative; sed solum quando evadit pollutum iuxta terminos iuris; quod accidit 1. per sepulturam infidelis; 2. per sepulturam excommunicati vitandi; 3. per effusionem sanguinis vel homicidium; 4. per effusionem seminis, v. g., fornicationem, mollitiem etc. (Intellige si haec sint non solum graviter peccaminosa et loco sacro iniuriosa, sed etiam notoria); 5. per pollutionem Ecclesiae (dummodo sit contigua); polluta enim Ecclesia (propter praedicta), pollutum censetur etiam coemeterium. Cf.

D'Annibale (*III.* 18), Vecchiotti (*II.* § 56), et Baruffaldi (*Tit. LXXIII. n.* 46).

1109. *Quid itaque si coemeterium evasisset pollutum?* Esset reconciliandum; vel (si hoc fieri nequiret) benedicenda esset fovea in qua cadaver reponi debet.

1110. *Suntne aliqui quibus ecclesiastica sepultura dari non potest?* Utique; et (de lege communi) sunt sequentes: 1. Infideles omnes; 2. infantes mortui sine baptismo; 3. haeretici et eorum fautores; 4. apostatae; 5. schismatici; 6. excommunicati notorii; 7. interdicti nominatim, et ii qui sunt in loco interdicto eo durante; 8. suicidae (ex desperatione vel iracundia) nisi ante mortem dederint signa poenitentiae; 9. Morientes in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa; 10. manifesti et publici peccatores, qui sine poenitentia obierunt; 11. qui notorie praecepto paschali non satisfecerunt, et sine contritionis signo decesserunt. Ita Rituale. Vide alia apud De Angelis (*II. Tit. XXVIII. n.* 7 *et seqq.*).

1111. *Si aliquis ex istis indebite sepultus fuisset, pollueretur ne coemeterium, et deberetne cadaver exhumari?* Exceptis infidelibus et excommunicatis vitandis, coemeterium offenderetur quidem sed non pollueretur; et proinde (iuxta plures) exhumatio cadaveris stricte necessaria minime foret. Cf. De Angelis (*l. c. in fin.*).

1112. *Quid notandum circa infantes mortuos sine baptismo?* 1. Lex de iis in loco sacro non sepeliendis intelligitur si sint nati, vel ex utero matris (per operationem caesaream) extracti (*Rit. de Bapt.*); non vero si intra uterum matris mortuae adhuc sint. 2. Si in dubio de vita sub conditione baptizati fuissent, tunc in coemeterio et ritu consueto sepeliri deberent (*Rit. de Bapt.*). 3. Infantes certe non baptizati extra quidem sed prope coemeterium sepeliri debent. 4. Deceret ut intra coemeterium ipsum adesset pars aliqua non benedicta pro his parvulis reservata. 5. Si parvulus sine baptismo mortuus sepeliretur in coemeterio, multi sentiunt quod coemeterium ipsum non pollueretur (dummodo ex christianis parentibus natus fuerit), quia stricto sensu infidelis non censetur; sed haec doctrina non est omnino certa. Idem dic de catechumenis. Cf. Vecchiotti (*II.* § 56) et Del Vecchio (*II.* 551).

1113. *Quid notandum circa sepulturam haeretici ex secta?* Quaesitum fuit an sacerdos catholicus, in locis quibus haeretici proprios non habent ministros, possit comitari cadaver haeretici a domo ad coemeterium, etsi cadaver in Ecclesiam non

deferatur, neque campanae pulsentur? S. C. S. O. (19 *Ian.* 1886) respondit: Negative (*Acta XVIII. pag.* 343).

1114. *Praescindendo a mortuis sine baptismo, et ab haereticis ex secta, et loquendo de iis, qui saltem nomine catholici sunt, quotuplici ex capite sepultura ecclesiastica denegari deberet iuxta Rituale et sacros canones?* Ex quadruplici capite; scilicet 1. ratione status publici peccatoris, qui sine poenitentia decesserit; 2. ratione excommunicationis vel interdicti; 3. ratione suicidii et transgressionis praecepti paschalis; 4. ratione quorumdam delictorum, pro quibus (ad terrorem) Ecclesia vetuit sepulturam ecclesiasticam, etsi defunctus plus vel minus cum signis poenitentiae obierit; cuiusmodi sunt speciatim usura, peculium religiosorum etc., maxime vero duellum. Cf. De Angelis (*III.* xxviii. 8), Vecchiotti (*II.* v. § 63) et Ferraris (*v. Sepultura n.* 176-188).

1115. *Explica enucleatius quo sensu denegari deberet sepultura ecclesiastica in casibus praedictis, si standum esset in puncto iuris, si nempe circumstantiae a iuris rigore recessum non exigerent.*

1116. I. *Publici peccatores, qui sine poenitentia obierint,* intelliguntur non solum qui in morte obstinatam et notoriam impoenitentiam positive ostenderint (sacramenta recusando, sacerdotem cum blasphemiis repellendo etc.); sed etiam alii, de quibus notorie praesumendum est vehementissime quod in statu peccati mortalis obierint. Sic, v. g., in Decreto (2. *p. Causa* 13. *q.* 2. *Palea c.* xxxi) dicitur: « Fures et latrones, si « in furando aut depraedando occidantur, visum est pro eis non « orandum ». Quod passim Auctores intelligunt de quolibet, qui actu peccati improvisa morte correptus fuerit, vel sensibus destitutus remanserit; quin aliquis de datis signis poenitentiae fidem faciat. *Ferraris v. Sepultura n.* 186. Imo id extendunt ad alios mortuos non in actu sed in statu peccati (v. g., propter notorium concubinatum, meretricium, sectam iniquam, officium illicitum etc.), toties quoties nullo modo constet quod sacerdotem petiverint vel utcumque resipiscentiae signa dederint. *Cf. Baruffaldi* (*tit.* xxxv. 42-51), *Vecchiotti* (*II.* § 63), *Berengo* (*n.* 110. *v. Quando*) *etc.*

1117. II. *Excommunicati* (ii scilicet, de quibus publice praesumendum est quod cum excommunicatione mortui fuerint), stando semper in puncto iuris, non possunt sepultura ecclesiastica donari, nisi pariter aliquis fidem faciat quod ante mortem poenitentiae signa ostenderint. Imo, si fuissent vitandi, opor-

teret insuper in cadavere illos prius absolvere. *Cf. Salmant. X.* III. *n.* 75; *S. Lig. VII.* 187.

1118. Quamvis autem in dicto casu sepultura ecclesiastica dari valeat, tamen vitanda esset pompa et solemnitas funeris. Patet ex decreto sequenti: « Persaepe accidit ut, graviter ae- « grotante aliquo excommunicato publico, vel publico et noto- « rio peccatore, eius consanguinei vel familiares parochum ad- « vocaverint, qui tamen aegrotum vel iam mortuum, vel sen- « sibus destitutum adeoque ad retractationem emittendam et « scandalum utcumque reparandum omnino inhabilem invene- « rit. Rogati consanguinei et familiares respondent, aegrotum « sacerdotis operam desiderasse aut resipiscentiae signa dedisse, « osculando imaginem SS.mi Crucifixi, vel alios pietatis actus « edendo; ac propterea cadaver religiosa pompa ad ecclesiam « deferri debere. Quaeritur itaque quomodo parochus hoc in casu « se gerere debeat? » S. C. S. O. (19 Sept. 1877) respondit: « In casu exposito dari posse sepulturam ecclesiasticam, vitatis « tamen ecclesiasticis pompis, et solemnitatibus exequiarum. « Quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae concur- « rant, parochus consulat Ordinarium, et stet eius mandatis ».

1119. Si petas quid significent verba *vitatis pompis et solemnitatibus exequiarum*, responderem non prohiberi ea quae a Rituali praescribuntur vel suadentur; sed magnam modicitatem (intellige respectivam) esse servandam. *Cf. Monitore* (*III.* II. *pag.* 115) *et Ballerini* (*I.* 389. *not. c*).

1120. *Quid de haereticis non ex secta?* Haeretici sunt excommunicati; et proinde sub eodem iure cadunt. Martinus V. (Const. *Inter cunctas*) dixit: « Et si tales haeretici publici ac « manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tam « gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepoltura; « nec oblationes fiant aut recipiantur pro iisdem ». *Cf. Comment. Rom. Const.* Apostolicae Sedis (*Vol. II. pag.* 82).

1121. *Suicidae.* Si certe constet quod homo non fuerit ab alio occisus; bene vero seipsum non casuali eventu sed voluntarie occiderit; aliqui dictitant hoc semper ex insania evenire; et sic sepulturam ecclesiasticam hac sola ratione suicidis semper dari posse. Opinio huiusmodi est certe falsa et contra sensum Ecclesiae, ut patet ex Rituali. Regula vera (stando in puncto iuris) est sequens: Si suicida non dederit indicia insaniae sed solum iracundiae vel desperationis; tunc sepultura ecclesiastica privari debet. Si manifeste ostenderit in insaniam incidisse, tunc suicidium nihil considerandum erit. In dubio, si

nempe aliqua indicia sive insaniae sive bonae fidei (v. g., prius ad confessionem accedendo) dedisset ; tunc donari quidem posset sepultura ecclesiastica, sed vitatis pompis et solemnitatibus exequiarum. Cf. Decretum S. C. S. O. (22 *Febr.* 1887) apud *Monitore* (*III.* II. 115).

1122. *Transgressores praecepti paschalis.* Ut isti (stando semper in puncto iuris) privari debeant sepultura ecclesiastica; oportet 1. ut transgressio fuerit per publicum edictum declarata, vel saltem notoria (*Baruffaldi tit. XXXV.* 54) ; 2. ut transgressio fuerit etiam per plures annos continuata (*De Angelis l. c.*) ; 3. ut transgressor absque ullo signo contritionis obierit. (*Rituale*).

1123. *Duellantes.* De his ius severissimum est. Benedictus XIV (Const. *Detestabilem* § 9) scripsit : « Decernimus ac de- « claramus sepulturae sacrae privationem a Sacrosancta Trid. « Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, « incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam iudicis, « a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibi- « dem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum « fuerit, ac *etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poe- « nitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutio- « nem obtinuerit;* sublata Episcopis et Ordinariis locorum super « hac poena interpretandi ac dispensandi facultate; quo caeteris « documentum praebeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae « legibus obedientiam praestandi ». Cf. De Angelis (*l. c. n.* 8).

1124. *Regulae istae vigentne hodie quoque et ubique, ita ut quilibet parochus absolute et in quovis casu illis se uniformare debeat vel possit?* Negative. Nimia frequentia casuum, et proinde iurgiorum contra parochos atque indignationis contra Ecclesiam, non sine gravibus scandalis et subinde etiam persecutionibus ; constructio coemeteriorum municipalium, imposita ab auctoritate civili obligatione in iisdem (et non alibi) quemcumque (nulla omnino facta distinctione) sepeliendi ; introductio funerum mere civilium, quae scandalum adaugent, et salutarem horrorem, qui ex denegatione sepulturae ecclesiasticae proveniebat, ad nihilum redigunt ; denique defectus fidei et religionis ; haec omnia simul sumpta efficiunt, ut pristina disciplina valde moderari debeat ; rigor enim non amplius in aedificationem, sed in destructionem redundaret.

Hoc patet etiam ex praxi passim vigente ; unde iam vix unquam audimus quod sepultura ecclesiastica alicui denegetur ; quae praxis non solum ab Episcopis, sed etiam a Theologis

legitima iudicatur. Cf. Scavini (*App. X. n.* 63. 7), Gousset (*II.* 636), Frassinetti (*Man.* 381-389), et *Monitore eccles.* (*III.* II. *pag.* 148).

Patet denique ex sensu Ecclesiae, quae, ad effugienda mala maiora, sepulturam ecclesiasticam modo tolerandam, modo etiam exequendam esse censuit. S. C. S. O. (13 *Iul.* 1609) dixit: « Sepulturam haereticorum tolerandam esse, si ei absque « scandalo resisti non potest » (*Comment. Rom. Const. Apostolicae Sedis II. pag.* 97). Et Pius IX. ad Archiep. Parisiens. (26 *Oct.* 1865) scripsit: « Si ecclesiastica sepultura negari non « potest sine gravi incommodo, lethali aut omni culpa caret « mortuum efferre ritu catholico, eique solemnia funerum sol-« vere, dummodo haec non extorqueantur in contemptum Ec-« clesiae, et dummodo defunctus non efferatur signis massoni-« nicis feretro aut vexillis appositis » (*apud Zitelli Apparatus II.* III. *A. V.*). Quibus consonant responsa S. Poenit. apud Scavini (*IV.* 221. 237).

Quamvis autem alicubi plus aequo habenae solverentur, et iam de abusu ageretur (qua de re difficile constabit); tunc deberet quidem Episcopus reclamare, atque efficaciter abusum e medio tollere; sed donec id non fiat, nonnisi imprudenter et maiora mala provocando, aliquis parochus, contra universalem aliorum praxim, sepulturam ecclesiasticam denegare posset.

1125. *Hodie itaque quales regulae teneri debent?*

1. Imprimis parochus communem praxim sequatur (ut supra dicebam) si pro casu ei obvento de illa constet; et tunc ne oportet quidem ut Episcopum consulat.

Contingere tamen potest quod praxis, quae in civitate, ad evitanda scandala funerum civilium, legitime servatur, ruri (ubi tale periculum non adsit) servari nequeat.

II. Parochus non solum in dubio, sed etiam si certum ei videretur sepulturam ecclesiasticam esse denegandam, Episcopum consulat. Ita docet Frassinetti (*Man. n.* 382); qui insuper notat, Episcopum esse adęundum, quamvis civitas episcopalis valde distaret; neque (casu urgente) publico epistolarum diribitorio (vulgo *posta*) esse utendum; sed parochum personaliter aut saltem per personam tutam (quae epistolam deferat in qua circumstantiae omnes accurate exponantur) Episcopum ipsum adire debere. Si autem Episcopus consuli nequiret, sepultura ecclesiastica danda erit, nisi contrarium esset certum et evidens prorsus. Frassinetti (l. c. 383), Gousset (n. 636) et Scavini (IV. 634).

III. Curandum pro viribus, ut casus strictus, in quo sepultura ecclesiastica denegari debeat, impediatur. Hinc

IV. Impoenitentia moribundi, aut circumstantia quod actu peccati mors evenerit, secreta servetur (si fieri possit).

V. Si ad infirmum publicum peccatorem vel excommunicatum notorium parochus aditum habere possit, curet remanere solus cum ipso; et, si ad sacramenta recipienda illum disponere nequiverit, reluctantiam istam occultet; ut scilicet, quod infirmus benevole sacerdotem exceperit et cum ipso conscientiae suae consuluerit, populus supponat, aliisque causis tribuat, si Viatici administratio aut aliquid aliud locum non habuerit. Si autem familiares moribundi obstinationem animadvertissent, moneantur, ut (ad scandalum evitandum) illam occultam servent. Si denique reiectio sacerdotis, recusatio sacramentorum, et uno verbo impoenitentia, iam notoria evasisset; non ideo parochus ita animo deiiciatur, ut subveniendi ovi suae in tali ac tanto aeternae damnationis periculo constitutae, simulque impediendi definitivae et publicae mortis impoenitentis scandalum, curam prorsus abiiciat; sed, nisi Episcopus (qui in tali casu consuli deberet) aliud decernat, curet ut saltem in extremis advocetur, unde ad minus praedictum scandalum evitetur vel imminuatur.

VI. Si parochus ad infirmum (publicum peccatorem vel excommunicatum) accedere non potuerit, nisi quando iam iam animam agebat, non dicat se nullum poenitentiae signum percipere potuisse, aut se vocatum fuisse quidem a familia sed non ab illo; bene vero curet tunc quoque remanere solus cum eo, et, absolutione sub conditione ei concessa, dicat se illum absolvisse etc.

VII. Si qui tenebat officium illicitum, aut commisit facinus, cui excommunicatio adnectitur, mortuus inveniatur; casu quo bona fide et ignorantia excusari possit, aut supponi valeat quod ab excommunicatione absolutionem obtinuerit; parochus curabit ut a parochianis haec notentur.

VIII. Si defunctus esset quidem (iuxta generales iuris canonici regulas) ecclesiastica sepultura indignus; sed ex una parte ex sepulturae denegatione gravia incommoda sequerentur, et ex alia sepulturae concessio scandalum nullum (aut comparative non attendibile) praeberet; tunc sepultura ipsa (Episcopo tamen consulto, si ex communi praxi non dignoscatur quomodo fieri debeat) concedi poterit. Gousset (*II.* 636) scripsit, quod ut ratione impoenitentiae sepultura ecclesiastica deneganda sit, oportet ut impoenitentia ipsa sit adeo publica atque adeo scan-

dalosa, ut sepulturae concessio novum scandalum esset. Et hanc sententiam Frassinetti (l. c.), Scavini (IV. 63) aliique passim referunt. Pompa tamen et solemnitas exequiarum evitari deberet.

IX. Si autem sepultura ecclesiastica denegari posset ad tramitem iuris, quin communis praxis obstaret et quin ullum secuturum esset inconveniens; tunc deneganda foret. Idem dic a fortiori si cleri interventus magnam christifidelium offensionem et scandalum ingereret; maxime vero si in contemptum Ecclesiae exequiae exigerentur. Pro casu huius scandali vel contemptus valet sequens decisio S. Poenitentiariae: « Si quis « ex iisdem censura ecclesiastica notorie innodatis obierit, et « iuxta sacros canones et normas hac super re a Doctoribus « traditas, ecclesiastica sepultura carere *omnino* debeat; et « contra pertinaciter gravibus minis expostulentur exequiae et « ipsa ecclesiastica sepultura; quomodo in huiusmodi casu se « gerere debeat parochus? R. Curandum ut cuncta ad normam « sacrorum canonum fiant (*ut scilicet non solum exequiae de-* « *negentur, sed etiam extra locum sacrum cadaver sepeliatur*). « Quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri « nequeat; parochus neque per se, neque per alios sacerdotes « ad exequias et sepulturam ullo modo concurrat » (10 *Decr.* 1860). Nota quod dicit *ullo modo*; et proinde ne sonitum quidem campanae Parochus concedere posset.

1126. *Supponendo quod sepultura ecclesiastica dari debeat, habetne parochus ius ut in sua ecclesia funus peragatur?* Affirmative; sed non semper. Punctum istud declarabitur infra, ubi de iuribus parochi.

1127. *Quid si defunctus esset pauper, vel familia pro consuetis emolumentis nihil solvere vellet, quamvis posset?* Parochus officium suum quoad parochianos sepeliendos nunquam recusare potest; et lumina, clericum, pulsationem campanae, utensilia etc., quantum stricte necessaria sunt, ut functio iuxta ecclesiae ritum peragatur, semper praestare debet. Si defunctus esset absolute pauper, tunc parochus nihil exigere potest; si vero familia defuncti consueta emolumenta retribuere posset; fas esset quidem parocho illa exigere, sed solum postea, non vero prius ad modum conditionis sine qua non.

1128. *Debetne cadaver deferri ad Ecclesiam antequam ad coemeterium deferatur?* Affirmative iuxta Rituale. Equidem alicubi in civitatibus quoad pauperes contrarius est mos. Si tamen familia feretri baiulos compensatura esset, atque exopta-

ret ut defunctus ad Ecclesiam deferretur, consuetudo pro tali casu non valeret et tamquam abusus considerari deberet.

1129. *Teneturne parochus curare ut una saltem Missa praesente cadavere, celebretur?* Rituale dicit: « Quod antiquissimi « est instituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, « praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam se« pulturae tradatur ». Et in fine subdit: « Missa vero, si hora « fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, non o« mittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua ne« cessitas aliter suadeat ». Cf. etiam Decr. 4119 (2 *Sept.* 1741).

1130. *Quid notandum circa taxas funerarias et funerum diversitates?*

I. Taxae debent esse iustae, ut infra declarabitur, ubi de iuribus Parochi. Iustitiam autem et aequitatem parochus servabit non solum quoad emolumenta quae ad se spectant, sed etiam quoad stipendia, quae sacerdotibus atque oedituis dantur; ne scilicet cum familiae damno nimis abundet; aut e contra nimis parce procedat, et speciatim extraordinarii incommodi (v. g., ruri propter longitudinem itineris, intemperiem, vias impervias etc.) rationem non habeat.

II. Oportet ut funera in diversis classibus distinguantur iuxta maiorem vel minorem solemnitatem, atque ut parochus sciat quantae circiter in funere talis vel talis classis expensae sint.

III. Si familia pro funere nihil vel parum solvere posse videretur, et nihilominus funus propriis viribus non proportionatum exigeret; tunc parochus quanta pecuniae summa sit necessaria indicabit; ne scilicet postea (quod facile tunc contingere posset) omnia de proprio solvere, aut saltem molestissime litigare cogatur. Interdum parochiani rogant parochum ut ipse expensas omnes sustineat; sed (quia plures reapse nihil solverent) generatim expedit ut blando modo hoc onus declinet, id enim non solum sibi ipsi sed etiam successoribus praeiudicium inferret.

1131. *Quid de devotione in emortualibus functionibus adhibenda et procuranda?* Rituale dicit: « His itaque praestandis « (Parochi), qua par est modestia et devotione ita se habebunt, « ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, « quemadmodum vere sunt; non ad quaestum eiusmodi ritus « sancti instituti esse videantur... Psalmi devote, distincte, « gravique voce recitari debent usque ad Ecclesiam ». Distractiones voluntariae etiam in privatis precibus evitari debent. Nunquid haec obligatio cessabit quia eleemosina recipitur, aut

quia preces sunt publicae et Sacerdotum evagationes scandalum ingerunt? Parochus itaque scandalum istud impedire curabit. In hunc finem maxime deservire possunt sequentia: 1. Si ipse et vicarius bonum exemplum praebeant; 2. Si in cadaveris delatione psalmi, sin minus continue prorsus, saltem ita frequenter recitentur, ut ineptae loquacitates locum habere nequeant; 3. Si sacerdotes non turmatim, sed bini incedant; 4. Si in choro, data necessitate, nutus aliquis fiat ut silentium servetur; aut saltem chorus ipse tentoriolis clausus teneatur; 5. Si sacerdotes nimiae garrulitati dediti quanto minus fieri possit invitentur.

1132. *Quid si ruri aliqui Sacerdotes ad cadaveris associationem se conferre non possent, aut functione non adhuc persoluta abire indigerent?* Ordinarie familiae id aegre ferunt; atque insuper non est aequum ut sacerdotes qui laborem associationis sustinuerunt, aequiparentur aliis qui domi remanserunt. Nihilominus rigor absolutus variis de causis hac in re servari non potest. Interdum tamen, attenta nimia distantia et difficultate itineris necnon praevisione quod multi associationis laborem declinaturi erunt, expedit omnino ut stipendium associationis a stipendio Missae et exequiarum distinguatur et annuntietur. Licentiam autem abeundi, antequam exequiae persolutae sint, Parochus non facile concedat, et solum ad casus raros verae necessitatis illam reservet.

1133. *Quid de consuetudine quod parochi ad cadaverum associationem interveniant solum pro divitibus; quoad pauperes vero non interveniant, et nihilominus quasi intervenissent stipendium exigant?* Si exigerent stipendium praecise pro interventu ad associationem (non praestito), de iniustitia manifesta res esset; et proinde consuetudo pro corruptela haberi deberet nihilque suffragaretur.

1134. *Quid de parochis qui, dum funus in propria Ecclesia celebratur, pinguiori stipendio pro Missa assignato, stipendium ipsum dant quoque aliis Sacerdotibus in aliis Ecclesiis celebraturis?* Id solum de consensu familiae expresso, aut saltem (existente consuetudine) tacito, fieri posset salva iustitia.

1135. *Si ad cadaveris associationem confraternitates aut Regulares invitarentur, ubinam isti coadunari debent?* In Ecclesia parochiali, non vero ad ianuam domus defuncti (*S. C. Epp. et Reg.* 28 *Nov.* 1642 *apud Berengo n.* 170).

1136. *Num liceat uti curru ad mortuos efferendos ad coemeterium; ideoque an liceat parocho et clero ritu ecclesiastico*

ita delatum fidelem ad sepulturam associare? « Ecclesiae ri-
« tum iubere, fidelium cadavera, utcumque deferuntur sive ad
« Ecclesiam sive ad coemeterium, semper a Sacerdote esse as-
« socianda » S. R. C. (*Decr.* 5670. 15 *Iul.* 1876).

1137. *Quid de usu alicubi nuper invecto, ut florum corona in feretro quoque personae coniugatae ponatur?* Rituale statuit ut corona ex floribus adhibeatur pro pueris *in signum integritatis carnis et virginitatis.* Hinc profluit consuetudo huiusmodi corona insigniendi feretrum etiam adultorum, qui a vinculo matrimonii soluti usque ad mortem perdurarunt, quique proinde virgines praesumuntur. Utique haec consuetudo laudabilis est. Quod autem nunc eadem corona pro coniugatis quoque adhibeatur, contra Ecclesiae sensum est, atque in evangelici consilii praeiudicium vergit. Abusus est itaque sine dubio. Si tamen in loco iam sit generaliter introductus, non tantum ad parochos, quantum ad Episcopum, illum e medio auferre spectabit.

1138. *Quid si defunctum comitarentur etiam societates laicae cum propriis vexillis? Et quid si in feretro essent signa massonica?* « Quoad vexilla in Ecclesiam introducenda; non esse
« admittenda nisi vexilla Confraternitatum, et ea quae benedi-
« cta fuerint » (*S. C. S. O,* 3. *Oct.* 1887 *apud Avvisatore An. XI. pag.* 255). Quoad signa massonica, vide supra (*n.* 1124).

1139. *Quid de sonitu organi in Missis pro defunctis?* Si iam adsit consuetudo immemorabilis, permitti potest (et quidem non obstante prohibitione Ordinarii); attamen sono moesto et lugubri. *S. R. C. Decr.* 807. 31. *Mart.* 1629.

1140. *Missa de requie ut in die obitus quandonam cantari potest et quandonam impeditur?* Tres distinctiones fieri debent; nempe cadavere 1. praesente, 2. absente sed non adhuc sepulto; 3. sepulto.

Praesente cadavere, fere semper Missa de Requie cantari potest. Dies impediti sunt solum sequentes: Dies Epiphaniae; S. Ioseph; Triduum mortis Christi; Dominica Resurrectionis; dies Ascensionis; Dominica Pentecost.; Festum Corporis Domini; S. Io Baptistae; Ss. Petri et Pauli; Assumptionis; Omnium Sanctor; Nativitatis Domini; Patroni principalis civitatis et dioecesis; Titularis; Festa quae magna pompa celebrantur si sint primae classis: durante expositione SS. mi Sacramenti; et demum si, ad celebrandam Missam de Requie, Missa conventualis aut pro populo omitti deberet. Si defunctus his diebus solemnibus sepeliri deberet, neque sepultura ad diem sequentem differri posset; funus ad horas vespertinas (post absolutum

officium diei) esset differendum, et tunc etiam cum cantu exequiae peragi possent. Mane autem ab edendis quoque signis e-mortualibus aere campano abstinendum esset. A Carpo (*Compend. III. n.* 49). In triduo autem mortis Christi exequiae recitandae sunt submissa voce, excepto sabbato sancto sub vesperam, qua hora possunt etiam decantari. A Carpo (*l. c. V.* 154).

Cadavere absente, sed non adhuc sepulto, Missa solemnis de requie prohibetur etiam in omnibus duplicibus primae classis, quamvis forte non esset festivum de praecepto, prout in Fer. 3ª Pasch. et Pentecost. Decr. 4526 ad 43, et 5320.

Cadavere sepulto, dicta Missa prohibetur insuper in omnibus duplicibus secundae classis, nec non omnibus diebus Dominicis et festivis de praecepto. Oportet praeterea ut funus non ultra diem sepulturae subsequentem, vel primam ritu non impeditam, protrahatur. Si mors in remotis regionibus secuta fuerit, Missa tamquam in die obitus cani poterit die subsequenti post notitiam habitam, vel prima die non impedita. Cf. Decr. 3110. et 4393.

1141. *Quid si (deficientibus Sacerdotibus) prorsus impossibile sit ut Missa cum cantu celebretur?* Haec legi poterit ut in die obitus. Hoc privilegium extenditur etiam ad anniversarium ex fundatione; sed non ultra. Cf. Decr. 3565 et 4891.

1142. *Missa solemnis de requie ut in die tertia, septima, trigesima, et anniversario quandonam impeditur?* Dies impediti, praeter supra recensitos, sunt octavae privilegiatae, nempe Epiph. Pasch. Pentecost. Nativ. Domini, et Corporis Christi; item vigiliae quatuor priorum solemnitatum, et feria IV. Cinerum, nec non tota hebdomada maior. Caeterum duplex sive minor sive maior (loquendo semper de sola Missa cantata) non obstat. Decr. 4410. 4336.

1143. *Circa dies in quibus cantari potest Missa die tertia, septima, trigesima, vel anniversario, estne aliquid aliud notandum?* Anniversarium a die non depositionis sed obitus; dies autem tertia, septima et trigesima ab alterutro iuxta consuetudinem computari potest. Decr. 4336, et 4410. Si tertia, septima, vel trigesima die impedita (ex ritu) occurrat, ad primam non impeditam transferri, imo et anticipari potest. Decr. 4175 ad 7. Quoad anniversarium distingui debet. Si celebrandum sit ex fundatione (nempe ex testamento), transferri vel anticipari potest ut supra; et Missa praecise sicut in anniversario cantari poterit. Decr. 3110. Si vero ad vivorum instantiam celebrari debeat, tunc primum semiduplex expectare oportebit. Decr.

5220. Anniversaria improprie dicta, quae nempe singulis annis stata die pro Confratribus, aut pro omnibus Paroeciae defunctis celebrantur, sine indulto Apostolico celebrari nequeunt, et pro cantu Missae de Requie primum semiduplex expectari debet. Decr. 4669 ad 55 et 4765. Idem dic de annua Missa cantata relicta a testatore sine praefixione diei. Decr. 4336. Si autem huius annuae Missae dies a testatore praefixa fuerit, tunc (quamvis de vero anniversario non ageretur) Missa de Requie etiam in festo duplici cantari, atque etiam (si dies assignata foret impedita) transferri posset, quin semiduplex expectetur. Decr. 4237.

1144. *Extra casus funeris, tertiae, septimae, trigesimae et anniversarii, Missa solemnis de requie impediturne in aliis diebus?* Impeditur in omnibus duplicibus, ut notissimum est.

1145. *Si Missa de Requie, ritu obstante, cani nequeat; poteritne cantari Missa de die?* Affirmative; sed prius lectica aliaque signa emortualia amoveri debent, neque post Missam de die absolutionem peragere licet. Decr. 5166. 5188.

1146. *Quid de Missis privatis de Requie?* Praesente quoque cadavere (excepto casu indicato n. 1141), celebrari nequeunt, nisi in semiduplicibus; eisque a fortiori omnia praedicta obstant. Si ex testatorum institutione Missae privatae de Requie celebrandae inciderent in diem impeditam; tunc non iam differri sed de festo currenti dici deberent cum applicatione. Decr. 2709.

1147. *In exequiis parvulorum potestne celebrari vel cantari Missa de Angelis?* Negative. *Berengo n.* 172.

1148. *Potestne parochus concedere, ut laudatio funebris fiat a laico in coemeterio?* Negative, nisi de licentia expressa Episcopi. *Del Vecchio* (*I.* 541).

1149. *Potestne permittere, ut inscriptiones emortuales pro libitu in coemeterio ponantur?* Negative: sed hae quoque de iure ab Episcopo prius approbari debent. *Del Vecchio* (*l. c.*).

1150. *Debetne Parochus rationem habere legum civilium vel municipalium, quae vetent delationem cadaverum nisi tali vel tali hora, tali vel tali via, tali vel tali modo; aut interdicant eorundem inhumationem, nisi prius a civili auctoritate licentia obtenta fuerit?* Utique; secus enim ad minus familia defuncti gravibus molestiis et poenis obviam itura esset. Dixi *ad minus familia defuncti;* in rigore enim poenae a legibus comminatae parochum ipsum et clerum respicere non videntur. Vide Rivarolo (*Il governo della Parrocchia I. tit.* II. *c.* 3. *a,* 1. *n. VII*).

1151. *Quid notandum circa coemeterium?*

I. Si fieri possit, oportet ut in ipso quaedam adsint distinctiones; scilicet 1. pars non benedicta pro parvulis mortuis sine baptismo; 2. alia pars non benedicta pro aliis ecclesiastica sepultura indignis (quatenus ex lege civili nemo extra coemeterium sepeliri possit); 3. In coemeterio benedicto locus proprius pro sepultura parvulorum (*Rit. De Exequiis parvul.*); item alius locus pro Sacerdotibus et clericis (*Rit. De Exequiis*); item (quatenus opus esset) pro monialibus (*Berengo n.* 174).

II. Coemeterium muro aut saltem densa sepe et cancello ita clausum esset debet, ut animalia ipsum ingredi nequeant. (*Berengo* (*l. c.*).

III. Nulla animalium pabula; nullaeque arborum consitiones in illo admitti possunt; herbae autem sponte succrescentes, recidi ibique cremari debent. (*Berengo l. c.*).

IV. Sine licentia Ordinarii (*Rit. et Baruffaldi Tit. XXXIV. n.* 128), atque etiam (hodie apud nos) auctoritatis civilis (*Cf. Rivarolo p. I. tit.* 2. *c.* 3. *a.* 2), nullum cadaver exhumanari potest.

§ VIII.

De parocho quoad vigilantiam et correctiones.

1152. *Cur ad correctiones quoque parochus tenetur?* Quamvis parochus praedicet, sacramenta administret et bonum exemplum praebeat; nihilominus plurima peccata, vitia et scandala semper remanebunt; multi enim Ecclesiam non frequentant, vel concionem sibi non applicant, vel tentationibus et difficultatibus vinci sinunt. Malis huiusmodi maxima ex parte remedium adhiberi nequit; sed aliqua per privatas correctiones congrue et efficaciter e medio auferri possunt. Hinc discreto harum quoque correctionum onere gravatur parochus; et, si in hoc graviter deficeret, timere deberet de illa Domini exprobratione (Ezech. XXXIII. 5): « Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a « via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem « autem eius de manu tua requiram ».

1153. *Quanto cum incommodo parochus ad hoc tenetur?* Quamvis necessitas extrema vel adeo gravis occurrere possit, ut parochus cum magno (et forte etiam vitae) sacrificio damnationem alicuius animae aut publica scandala impedire debeat (bonus enim pastor animam suam dat pro ovibus suis); attamen casus, in quibus parochus cum magno sacrificio ad correctiones

vere teneatur, nequeunt esse frequentes; et in genere statui debet quod obligatio corrigendi non potest esse adeo incommoda vel molesta, ut si talis esset, nemo officium parochi sumere vellet. Scripsit Lugo (*XIV.* 133): « Neque enim tenetur supe-« rior cum quolibet suo damno (inordinationes) impedire; nec « ad hoc gravissimum onus intendunt se se obligare, quando hu-« iusmodi munera suscipiunt, sed ad rationabilem et prudentem « vigilantiam et curam, quae proportionata debet esse, et maior « ad maiora, minor ad minus gravia praecavenda ».

1154. *Cur parochus tenetur vigilare et inquisitiones facere?* Quia secus plurima eum laterent, aut non tempestive ad eius notitiam pervenirent. « Quae potest esse pastoris excusatio « (scripsit D. Gregorius) si lupus oves comedit, et pastor nescit? ».

1155. *Explica quomodo practice vigilare possit et debeat?* Vigilet imprimis circa proprios familiares, et suae ecclesiae inservientes. Notet diligenter quinam pueri doctrinam christianam non frequentent, et quinam parochiani praecepto paschali non satisfaciant. Vigilet speciatim circa clericos qui suo tempore ad sacros ordines promoveri debent. Occasione benedictionis domorum in paschate, observet an imagines obscoenae e muris pendeant; an religionis signa animadvertantur; an adsint lecti sufficientes ut sexuum separatio servetur. Occasione census animarum, si prudenter possit, inquirat ad quas scholas seu apothecas filii mittantur; an filiae alibi serviant et ubinam; an pax in familia adsit etc. Specialiter quoque vigilet circa puellas quae, mortua matre, solum cum patre et quasi sine ulla custodia remanserunt; istae enim in magno periculo versari solent; et tunc parochus bonam et provectioris aetatis vicinam rogabit, ut quasi mater earum curam suscipiat, et, si aliquod periculum suboriatur, illud secretissime sibi indicet. Si forte impiorum aut haereticorum scholae in paroecia adessent, tunc quam maxime vigilare deberet ne filii ad illas mittantur. Summam denique vigilantiam sub gravissima obligatione adhibere deberet, si quidam perversi aliquam sectam vel alia paroeciae adhuc bonae extremam ruinam allatura machinarentur.

1156. *Tenenturne parochi minutiores inquisitiones facere, ut de quolibet parochiano sciant quibus moribus sit imbutus?* Negative. Tunc enim non solum onus intolerabile et infinitis scrupulis subiectum parochis imponeretur, sed etiam parochiani id quam maxime aegre ferrent et parochum odio haberent. Haec minuta inquisitio (*ut ait Diana. T. VII. Tr. IV. R.* 25. *n.* 3) « generat scandala, et occasionem praebet odiis et dis-

« sensionibus. Nam homines moleste ferunt, sua ab aliis facta « scrutari, et suapte natura talis inquisitio iniuriam infert pro« ximo, cuius honori adversatur et aestimationi, quam de se « optimam omnes habere cupiunt ». Hinc theologi passim observant, parochum inquirere quidem debere, sed in genere, quaerendo nempe (speciatim circa illas paroeciae partes quae a parochiali residentia longe dissident) an quidpiam inordinati adsit. Si tamen parochus aliquem fundatum et gravem suspectum circa rem (cui, iuxta dicenda paullo infra, remedium apponendum sit) haberet; utique tunc vigilare specialiter et inquirere teneretur.

1157. *Expeditne ut parochus, ad parochianorum notitias habendas, confessionali utatur?* Negative; secus enim multi, id advertendo, accederent non iam ad confitenda cum spiritu poenitentiae peccata propria, sed ad facta aliorum enarranda; et sic confessionale in locum querelarum dicteriorumque (ne dicam murmurationum et calumniarum) converteretur. Plurimi demum a confessione apud parochum faciendam prorsus abhorrerent, tum propter timorem huiusmodi molestarum interrogationum, tum speciatim ne tamquam delatores publice habeantur. Res demum eo desinerent, ut eius confessionale desertum remaneret, et parochus quoad sacramenti poenitentiae administrationem se inutilem redderet.

1158. *Quid notandum circa delationes et delatores?* Extra confessionale quemlibet (delationes calumniosas facere non assuetum) parochus audire poterit, dummodo non facile credat; spontanei enim delatores saepe saepius ex passione loquuntur, decipiunt aut saltem res valde exaggerant. At vero delationum vel inquisitionum frequentia magnam prudentiam exigit. Parochus, qui multis delatoribus, aut paucis quidem sed secretum non servantibus (quales saepe sunt foeminae et sacristiae inservientes) vel iudicio aut bona conscientia carentibus, se circumdaret, odiis iurgiisque aditum aperiret, et tandem propriam auctoritatem et existimationem in discrimen coniiceret, speciatim si notorie huius vel illius foeminae (maxime vero propriae ancillae) delationes assidue exquireret aut libenter audiret. Exceptis itaque casibus raris, parochus ab aliquo bono sacerdote dumtaxat. aut viro gravi, notitias paroeciae regimini necessarias exquirere debebit.

1159. *Postquam parochus aliquid mali de suis parochianis audiverit, quomodo se gerere debet?* Non praepropere procedat, sed circumstantias consideret, ne tamquam certum habeat

id quod dubium et forsan omnino falsum esse potest. In dubio autem (nisi res sit adeo gravis ut nihilominus nulla interiecta mora procedere debeat) sinat ut tempus rem bene dilucidet; secus enim periculo alios temere offendendi, et seipsum vel odiis gravissimis vel despectui exponendi obviam iret. Cautela specialis haberi debet dum primitus parochus ad paroeciam advenit.

1160. *Quid exigitur ut parochus ad correctiones faciendas vere teneatur?* Exigitur 1. ut (saltem ordinarie) non respiciant peccata nimis communia; 2. ut non debeant praesumi perniciosae; 3. ut non debeant existimari inutiles.

1161. *Cur dixisti quod correctiones peccata nimis communia (saltem ordinarie) respicere non debent?* Quia istae non solum immodice parochum gravarent (*vide supra n.* 1153); sed etiam illum exosum et invisum redderent; quod in destructionem non parum cederet; res enim eo tandem desinerent, ut parochiani illum despicerent et vocati ad eum non accederent. Ita reapse sentiunt parochi etiam optimi. Verum est quod multi Theologi dicunt, pastores oves suas in peccato mortali existentes corrigere debere; sed hoc intelligendum est per quantum moraliter fieri possit et bono paroeciae regimini deserviat. Scavini (*I.* 452) scripsit: « Plerumque impossibile est ut omnes « singillatim corrigantur, cum nimius sit delinquentium nume- « rus: quo in casu correctio prudenter fiat passim in catechesibus et publicis concionibus ».

1162. *Quandonam correctio praesumi debebit perniciosa, et quando non?* Praesumi debet perniciosa quando vel nihil boni sit sperandum sed solum maiora mala sint formidanda: vel bonum quod speratur in comparatione mali quod timetur minus aestimari debeat. « Mallem aliquando tacuisse, quam ad « tantam reprehendisse perniciem » S. Bern. Veniendo ad particularia, haec pernicies ordinarie timeri debet in sequentibus casibus:

I. Si agatur de hominibus incredulis, qui iam cum ecclesia et sacerdotibus nihil commune habere volunt (*Frassinetti Man. n.* 69. 81). Quaedam tamen facilius ab istis quam a catholicis interdum obtinentur, dummodo ad modum non correctionis sed gratiae petantur (Casus contingere potest in celebratione matrimonii ecclesiastici, si civili tantum coniungerentur). Ex quadam naturali honestate et comitate, vel propter respectum uxoris et filiorum, vel ad propriam potentiam aut animi generositatem ostendendam, et maxime si res petita in ipsorum utilitatem vel honorem redundaret, subinde parochorum petitionibus obse-

quuntur. Idem dic si interdum ipsi aliquid a parocho peterent, aut aliqua alia propitia eos adhortandi occasio se offerret. Caeterum verissimum est quod ordinarie, si de infami pellice relinquenda vel de re simili ageretur, parochus non nisi peiora mala (et fortasse acrem persecutionem) ex correctione expectare deberet.

II. Si agatur de hominibus catholicis quidem sed parocho infensis, vel superbis et praepotentibus; si enim res sit de correctionibus quae in malam partem accipi solent, valde facile est quod in odium parochi (qui illos correxit) inordinationes et scandala adaugeant atque multiplicent. Vae parochis, qui inimicum potentem et perpetuum (maxime si divitiis vel auctoritate praeditus sit) in paroecia habent!

III. Si agatur de vitio minime notorio, ita ut correctus suspicari possit quod uxor vel alia persona domestica aut vicina rem parocho detulerit; speciatim si in delatione falsitas vel exageratio subesse potuerit; maxime vero si res esset de furto, adulterio, debito pecuniario non soluto, vel aliis similibus, in quibus correctio valde ingrata esse, et aversionem contra parochum ingerere solet.

E contra correctio ordinarie non debet praesumi perniciosa 1. si agatur de pueris vel adolescentibus, vel mulieribus, vel de peccatore qui in limine mortis atque imminentis aeternae damnationis periculo versetur. Interdum etiam si agatur de scandalo enormissimo (quo iam fere nihil peius expectari possit), dummodo aliqua (etsi tenuis) resipiscentiae spes effulgeat.

1163. *Quandonam correctio, etsi non perniciosa, tamen inutilis existimanda erit?* 1. Si credendum sit quod subditus per se ipsum emendabitur, aut certe aequalis vel maior spes in aliis mediis (quae peccatori non desint) collocanda sit; 2. Si correctio iam iterum atque iterum tentata fuerit sed semper frustra; 3. Si ageretur de homine iam a longo tempore habituato atque non iam ex ignorantia vel spiritualium auxiliorum defectu, sed ex pura malitia, seu ex profunda voluntatis perversitate, peccante. Attamen notanda sunt sequentia: 1. Interdum correctio, quamvis sit inutilis respectu peccatoris, potest esse utilis respectu aliorum, ne scilicet parochiani scandalizentur eo quod parochus videat et non corrigat. Hoc tamen (si parochus zelo praeditum se ostendat) non facile supponendum est. 2. Utilis ordinarie censeri debet correctio si persona corrigenda ex aliquo motivo valde indigeat ut parochus ei benevolus sit. 3. Aliquae corre-

ctiones adeo necessariae esse possunt, ut fieri debeant quamvis spes fructus valde exigua esset.

1164. *Quinam sunt casus magis practici, in quibus (omnibus perpensis) correctio ordinarie fieri debet?*

I. Si ageretur de scandalo publico, quod (speciatim in paroecia satis bene morata) proveniret, v. g., ab aliqua meretrice, vel publico concubinatu, vel matrimonio mere civili, vel puella antequam matrimonium ineat uterum gestante, vel aliquo cinysmum exercente, vel aliquo publice festa profanante, vel a publicis ludis tempore divinorum officiorum continuatis, vel denique a choreis et serotinis conversationibus (si valde in usu non sint). Idem dic multo magis si ageretur de aliquo extraordinario scandalo contra fidem, v. g., si parochianus protestantibus domum pro templo vel schola locare vellet.

II. Si in aliqua domo masculi cum foeminis promiscue dormirent, vel imagines obscoenae expositae conspicerentur.

III. Si puella in magno delinquendi vel se prostituendi periculo versaretur.

IV. Si aliqui genitores circa filiorum educationem valde delinquerent, v. g., si ad doctrinam christianam eos non mitterent, aut filios vel filias magnis periculis exponerent etc.

V. Si quis praecepto paschali non satisfecisset (dum alii communiter satisfacerent), aut periculose decumbens sacramenta non peteret.

VI. Si magna rixa aut discordia suboriretur, et idem dic si inter maritum et uxorem divortium illegitimum adesset.

VII. Si parochus esset praesens quando aliquod peccatum committeretur aut committi vellet.

VIII. Speciali demum et minutiori modo corrigere deberet clericos ad Ordines Sacros non adhuc admissos; et (quantum moraliter fieri potest) orphanos quavis pene custodia destitutos.

1165. *Quid notandum circa modum quo correctio fieri debet?* Documenta sequentia deservire possunt.

I. Curet parochus ut sit ipse irreprehensibilis, utque a parochianis existimetur et ametur.

II. Pro felici correctionis exitu Deum oret.

III. Efficaces paret rationes non solum supernaturales, sed etiam naturales; mala enim et pericula temporalia quae ex peccatis profluunt, pro iis praecipue qui Deum parum timent, optime deservire possunt. Obiectiones autem et difficultates praevideat, atque ad illa solvenda maiori qua poterit efficacia se praeparet.

IV. Interdum tempus opportunum expectari debet; v. g., si parochianus brevi accessurus sit ad parochum pro eleemosyna; vel si hic et nunc passiones sint nimis accensae etc.

V. Si correctionis publicitas non sit necessaria, et haec personae corrigendae displicere possit (prout ordinarie contingit); tunc correctio secreto fieri debet, et curandum ut familiares nihil audiant nihilque sciant. Imo interdum expedit ut parochus parochianum non advocet (maxime per alium), sed potius ipse ad illum accedat cum aliquo praetextu, vel per viam illum alloquatur, quin alii quidquam suspicari possint.

VI. Pastor clarissime patefaciat quod ex solo ovis suae amore et ex mero desiderio eius boni temporalis et aeterni, prout munus suum exigit, correctionem facit.

VII. Homines amore et timore moventur. Parochus primitus (saltem ordinarie) viam amoris tenebit; idque maxime si personae corrigendae aetas, educatio, conditio et indoles specialem respectum et lenitatem exposcant. Delictum itaque non exaggerabit; et, si illud dubium foret, cavebit ne loquatur quasi certum esset. Imo, etsi parochus sciat, delictum certissime fuisse commissum, non raro melius erit ut hanc cognitionem abscondat, et de solis dicteriis quae in paroecia fiunt sermonem habeat. Si qui corrigitur bonis etiam qualitatibus polleat, has laudet; et dicat se paternam admonitionem facere, quia scit illum esse bonum atque obtemperaturum. Correctio suapte natura amorem proprium offendit, et totum periculum ne boni pastoris verba in malam partem accipiantur, ex hac amoris proprii offensione procedere solet; quem proinde, quantum possibile est, quietum servare et quodammodo blandiri oportet. Parochus itaque, sepositis obiurgationibus verbisque vehementibus, serio quidem, sed mitissime loquatur; neque ab hac via recedat, si forte (prout saepe accidit) correctus aliquod verbum paullo iniuriosum contra illum proferat. Imo interdum expedit ut parochus indirecte procedat, et, quasi delictum commissum ignoraret, de illo ne verbum quidem faciat; sed si peccator aliud vitium minus quidem probrosum sed a parochis corrigi solitum habeat, ex hoc occasionem sumat illum adhortandi et simul aeternas veritates meliori modo possibili in eius mentem revocandi, ut a miserrimo peccati mortalis statu eum eripiat. Prima correctione non iuvante, interdum secunda et tertia tentari debebit: unde scripsit D. Chrysostomus; « Dixisti « semel et non audivit: dic bis et ter et toties donec persua« seris ». Si tandem per viam amoris nihil obtineri possit, tunc

parochus (si prudentia id sinat) viam timoris tentabit, quin tamen in obiurgationibus et minis limites excedat, ne scandalum ingerat aut (attenta minarum qualitate) familiis se odiosum reddat.

VIII. Si foeminae iuventute adhuc florentes (aut ipsum parochum calumniare capaces) corrigendae sint, curet ut coram ipsarum matre aut aliis testibus vel in confessionali illas corrigat; et in exhortatione facienda teneritudines evitet. Caveat speciatim , si forte aliqua puella (quae cum parocho aliquam relationem, etsi honestissimam, habuerit) esset gravida et oporteret illam abscondere ut clam parturiret, caveat (inquam) ne ipse locum quaerat aut pecuniam ei suppeditet. Caveat uno verbo ne seipsum et proprium honorem in gravissima discrimina coniiciat.

IX. Si parochus animadvertat esse impossibile aut non opportunum ut per se ipsum peccatorem admoneat; tunc videat an ope alicuius personae familiaritate vel amicitia eidem coniunctae convenienter et efficaciter suum intentum obtinere queat. Foeminae, quamvis vitam devotam non profiteantur, si rogentur a parocho ut alicui inordinationi in propria familia existenti remedium apponere satagant, talem ac tantam adhibere solent curam et industriam, ut saepe saepius obtineant ea, quae parochus suo immediato interventu nunquam obtinuisset. Si ne hoc quidem modo proficere possit, interdum recurrere poterit correctioni negativae; quatenus scilicet, v. g., eleemosynas, vel favores, vel obsequia, vel signa benevolentiae, quae prius praestabat, amplius non praestet aut imminuat.

X. Frassinetti (Man. n. 86) suggerit etiam ut Parochus ope epistolae peccatores huiusce generis admoneat. Sed heu quot epistolae (apud nos) scribi deberent! Heu quoties huiusmodi epistolae in conversationibus, cafaeis et cauponis parochum publicis irrisionibus exponerent! Apud theologos, qui Frassinettium praecesserunt, hoc medium indicatum non invenio, illudque practice excludi debere censeo, nisi forte ex una parte de persona educatissima (ad quam parochus accedere nequiret), et ex alia de casu gravissimo et urgentissimo ageretur; et tunc quoque cum maxima ponderatione procedendum esset, ne aliquod verbum minus prudens e calamo elaberetur. Quid si parochianus gravi infirmitate laboraret? Expediretne tunc ut parochus, si eius visitationes recusarentur, ad epistolam recurreret? R. Negative. Quis malas, quae ex hac epistola oriri queunt, consequentias divinare potest? Si potius parochus aliis mediis con-

suetis procuret ut aditum obtineat, semper aliquam spem remanebit quod saltem in extremis advocetur; sed, si propter hanc epistolam infirmus eiusque familia vehementer irritetur (quo nil facilius), nonne haec spes prorsus evanesceret?

1166. *Quum praeter correctionem adsint alia media quae iuvare possunt ut haec vel illa inordinatio e medio tollatur aut minuatur; quaeritur an expediat vel oporteat, ut parochus ad illa recurrat?*

I. Quaedam media, dum inordinationem aliquam e medio tollunt, aliud forsan maioris momenti malum suscitant; et haec adhiberi non debent. Qui itaque curant ut domini modo hanc modo illam familiam e fundo arceant; vel (ut aliquem parochianum a periculo eripiant) modo hunc modo illum seductorem nominatim vituperant aut infamant; vel demum semper in eo sunt ut brachium saeculare invocent et parochianos in carcerem coniiciant; hi, inquam, caveant ne mala multo maiora provocent; ne scilicet parochianorum benevolentiam amittant, et multas familias ita irritent ut contra sacerdotes acerrimum et perpetuum odium concipiant. Idem dic de parochis qui meretricibus, concubinis, aliisve maleviventibus pecuniam suppeditant ut a peccatis desistant, dum forsan bonos pauperes et puellas honestas sine ullo subsidio relinquunt. Systema huiusmodi nihil boni obtinere solet; et, quamvis interdum aliquo modo proficeret, haec utilitas comparari nequiret cum damno quod ex alia parte oriretur; notitia enim quod parochus non bonis sed perversis subsidia confert, efficit ut boni animo deiiciantur; et pravi ansam ad enormitates perpetrandas et ad fingendam poenitentiam sumant. Parochi itaque ordinarie videant prius veros et stabiles poenitentiae fructus, et postea subsidia praestent.

II. Quaedam media multa peccata impediunt quin ullum aut fere ullum malum provocent; sed sunt ita extraordinaria ut inter parochorum obligationes nunquam recensita fuerint. Huiusmodi essent si parochus, v. g., domos huc illuc conduceret ne a meretricibus aliisve delinquentibus habitentur.

III. Alia denique media optime deserviunt, satisque ordinaria apparent, unde parochi timoratae conscientiae ad illa adhibenda vere se esse obligatos censent. Exempla. Sacerdos scandalosus in paroecia adest. Parochus Episcopum admonere debet; et, si esset proprius vicarius, illum quamprimum dimittere deberet. In aliqua domo, propter extremam miseriam, lecti sufficientes non adsunt; unde foeminae cum masculis promiscue dormiunt. Utique tunc parochus, si possit, providere tenetur (non tamen

pecuniam sed lectum suppeditabit). In fluminibus et in littore maris adolescentes se lavant et publicum pudorem gravissime offendunt, aut in aliqua bona paroecia meretrix maximam ruinam infert; et iam familiae clamant quod parochus remedium quovis pacto apponere deberet. Etiam in his casibus meliori modo possibili providendum esset; et, si alia media deficerent, brachium saeculare (quatenus assistentia sperari posset) invocari deberet. Quamvis enim supra dixerim non expedire ut parochi semper in eo sint ut brachium saeculare invocent, nihilominus tales dari possunt circumstantiae, in quibus (attenta gravitate et raritate casus, communi approbatione, aut cautela qua proceditur) expediat, aut etiam omnino oporteat, ut talis recursus locum habeat.

1167. *Quibus in casibus parochi apud nos a brachio saeculari assistentiam vel aliquod adiumentum sperare possunt?*

Responsio patet ex codicum nostrorum articulis, quos hic transcribo:

Quoad meretrices (Regolamento sulla prostituzione)

Art. 17. « Sono considerate come meretrici le donne che esercitano notoriamente la prostituzione...... L'autorizzazione ad « una meretrice di rimanere in abitazione particolare (nempe « extra postribulum) sarà concessa...... con molto riserbo, e « sempre previo il consenso del proprietario della casa ». Licentia legalis necessaria est ut meretricium toleretur (Art. 20). Ut autem haec licentia obtineatur, exigitur non solum ut domus proprietarius consentiat, sed etiam ut mulier bis in hebdomada visitationibus medicorum se subiiciat (Art. 71), nec alibi, absque nova licentia, ultra triduum se conferat (Art. 29).

Art. 32. « È assolutamente vietato alle meretrici 1. Di abitare « presso un venditore di bevande spiritose, vino, birra e simili. « 2. D' uscire vestite in modo poco decente od in istato d' ubbriachezza. 3. D' affacciarsi alle finestre o di stazionare sulle « porte anche della propria abitazione. 4. Di fermarsi o frequentare le vie principali, le piazze e le pubbliche passeggiate. 5. « Di commettere atti indecenti nei luoghi pubblici, e di tenervi « discorsi osceni. 6. Di seguire i passeggieri per le vie, o di « adescarli con parole o segni. 7. Di rimanere fuori di casa « senza giusta causa dopo le ore otto di sera dal mese di ottobre al marzo inclusivamente, e dopo le ore dieci negli altri « mesi. 8. Di girovagare nelle vie, specialmente in quelle adiacenti alla loro abitazione, sopratutto nelle ore vespertine. « 9. È vietata alle meretrici la frequenza ai teatri, e saran-

« no punite quelle che vi si presentassero in modo indecente ».

Art. 44. « L'autorità non acconsentirà mai che si stabiliscano « postriboli nelle vie frequentate della città, nè in vicinanza « di case di educazione, di pubblici stabilimenti, e di edifizii « destinati al culto ».

Art. 45. « Le finestre dei postriboli debbono essere provviste « di vetri appannati nell'inverno, e di persiane fisse e chiuse « nell'estate sino all'altezza di due metri dal suolo interno « della camera ».

Art. 59. « È proibito ai tenenti-postribolo d'ammettere nelle « loro case donne che non abbiano ancora compiuta l'età di « 16 anni ».

Art. 64. « L'ufficio di questura...... ordinerà la chiusura « immediata dei postriboli clandestini, ossia aperti senza auto- « rizzazione ».

Art. 60. « Se qualche prostituta dimostra intenzione di abban- « donare il meretricio, il tenente-postribolo deve tosto avvertire « il direttore dell'ufficio sanitario. dal quale sarà incoraggiata « ad attuare l'ideata risoluzione. L'essere la prostituta in de- « bito col tenente-postribolo non sarà in tal caso ostacolo alla « sua uscita ».

Art. 25. « Se nell'interrogatorio deferto alla donna nell'atto « della sua iscrizione, si riconosca aver essa intrapreso il me- « retricio senza aver calcolato la gravità della situazione, o non « di sua libera volontà, o che desideri di abbandonarlo, ne sarà « immediatamente avvertita la di lei famiglia. Qualora non pos- « sa rientrare in famiglia e desideri di essere ricoverata in « qualche ritiro di ravvedute, l'ufficio procurerà di agevolarne « i mezzi ».

Quoad lenones (Codice penale) Art. 421. « Chiunque avrà « eccitato, favorito o facilitato la corruzione di persone dell'uno « o dell'altro sesso, minori degli anni ventuno, e chiunque le « avrà indotte alla prostituzione, sarà punito col carcere non « minore di tre mesi, ed ostensibile a tre anni ».

Art. 424. « Il Marito che prostituisce la propria moglie sarà « punito colla reclusione ».

Quoad scandalum (Codice penale) Art. 420. « Chiunque offen- « da l'altrui pudore od il buon costume in maniera da eccitare « il pubblico scandalo, sarà punito col carcere ostensibile a sei « mesi. Se l'oltraggio al pudore è seguito in privato, e vi sia « querela della parte offesa, il colpevole sarà punito col carcere « estensibile a tre mesi ».

Quoad adulterium et concubinatum (Codice penale) Art. 482. « Non si può procedere per adulterio senza querela del « marito contro la moglie ».

Art. 483. « Non si può procedere per concubinato senza que- « rela della moglie contro il marito, il quale abbia tenuto la « concubina nella casa coniugale ».

Quoad sodomiam, incestum et stuprum; vide Cod. penale Art. 425. 481. 489 et seqq.

Quoad ludos aleatorios, vide Cod. pen. Art. 474 et seqq.

Quoad conventiculas periculosas (Legge e regol. sulla sicurezza pubblica) Art. 26. « Ove occorra di sciogliere una riunione « o un assembramento nell' interesse dell' ordine pubblico, le « persone assembrate saranno prima invitate a sciogliersi dagli « uffiziali di pubblica sicurezza...... Art. 117. La recidiva potrà « esser punita anche col carcere ».

Quoad reatus sacrilegos (Cod. pen.) Art. 183. « Chiunque « con violenze, o vie di fatto, o minacce, o tumulti, impedi- « sca, interrompa, o turbi le funzioni o cerimonie della Reli- « gione dello stato, nelle Chiese o fuori di esse, sarà punito « colla pena del carcere estensibile a sei mesi, e con multa e- « stensibile a Lire 500 ».

Art. 185. « Chiunque con animo deliberato proferisca pubbli- « che contumelie ad oltraggio della Religione, sarà punito con « multa estensibile a Lire 500, e cogli arresti. Incorrerà nella « stessa pena chiunque pubblicamente commetta fatti che siano « di natura da offendere la Religione, od eccitarne il disprezzo, « e producano scandalo. Art. 187. Gli insulti e gli oltraggi « contro i ministri della Religione nell' esercizio delle loro fun- « zioni sono puniti colla pena del carcere estensibile a sei mesi « e con multa estensibile a lire cinquecento ».

§ IX.

De parocho quoad scandala e medio tollenda.

1168. *Quomodo se gerere debet parochus quoad scandala impedienda vel e medio tollenda?* Imprimis distinguendum est inter scandala occulta et manifesta.

1169. *Quid itaque si scandala sint occulta?* Praeter correctionem (quae forte fieri possit scandaloso) et orationem, valde difficile erit quod parochus ad quidquam aliud teneatur. Scit, v. g., non esse fidendum quoad morum honestatem de tali me-

dico, de tali hero, de tali paedagogo, de tali socio vel socia, de tali persona quae in domum introducitur, de tali officina, de tali schola, de tali confessario etc.; sed, donec res sunt prorsus occultae, poterit quidem esse necessarium ut interrogatus respondeat; *informationes cape ab aliis;* et etiam ut aliquid dicat de cautelis generatim adhibendis, quandoquidem hodie de nemine fidendum est; maxime vero ut sub aliquo praetextu ovem suam a lupo avertat; non vero ut secretas quas ipse habet notitias (nisi forte personae valde prudenti) manifestet, aut suspectus particulares positive ingerat; secus enim querelis innumeris se exponeret, plurimisque personis et familiis se invisum redderet, et sic mala maiora (et quidem saepissime sine ullo fructu) provocaret. Si tamen in occulto aliquod malum magnum et extraordinarium, v. g., efformatio impiae sectae (in paroecia bona), machinaretur; tunc parochus de impedimento apponendo meliori modo possibili cogitare deberet.

1170. *Quid de scandalis manifestis?* Videndum an dentur a multis, an vero a paucis.

1171. *Quid si dentur a multis?* Tunc parochus illa corrigere debebit in concione, et non facile tenebitur ad aliud. Exemplum habes si in paroecia plurimi blasphement; vel turpibus sermonibus indulgeant; vel die veneris et sabbati carnem manducent; vel diebus festis laborent; vel contra fidem et religionem loquantur; vel libros prohibitos aut folia impia legant; vel obscoena cantent; vel extra ecclesiam maneant dum concio habetur etc. Idem dic si in paroecia foeminarum immodestia et procacitas valde communis esset, etc. Si tamen ageretur de magna offensione publici pudoris (prout contingere potest in balneis, quae corpore nudo fiant in locis frequentatis), tunc per recursum ad publicas auctoritates facile et efficax remedium haberi posset; et eo casu parochus sive per se, sive (quod forte melius erit) per personas laicas, ad hoc teneretur.

1172. *Quid de choreis, serotinis conversationibus, larvis, theatro etc.?* Etsi qui res huiusmodi tolerant aut promovent de peccato forte incusari nequeant, nec omnes qui ad res huiusmodi concurrunt culpis inquinentur; tamen certum est quod peccata plurima exinde profluunt; et proinde parochi (ut in Ecclesia semper servatum est) congruis instructionibus atque exhortationibus ad populum directis (sed non facile privatis correctionibus) satagere debent, ut oves propriae huiusmodi pericula serio animadvertant atque evitent, et multo magis ut patresfamilias in propriis domibus haec non admittant.

1173. *Quid si scandala manifesta dentur a paucis?* Tunc est iterum distinguendum. Aliquando enim scandalum datur a paucis simulque extenditur ad paucos, ut puta, si intra aliquam domum statuae vel imagines obscoenae expositae retinerentur. In tali casu privata admonitione, subsistente spe fructus, utendum esset. Interdum verum scandalum datur quidem a paucis, sed extenditur ad multos; et tunc opus erit ut parochiani in publicis concionibus praemuniantur. Hoc tamen cum debita prudentia et discretione fieri debebit, ne forte scandala maiora provocentur. An autem, praeter concionem, adhiberi debeant quoque privatae admonitiones erga eos, qui scandali causa sunt, decisio pendet a circumstantiis.

§ X.

De parocho quoad discordias sopiendas et pacem inter inimicos componendam.

1174. *Notitia habita alicuius discordiae, debetne semper parochus operam suam interponere?* Negative; sed solum quando de re valde momentosa agatur, et parochi interventus utilis et necessarius esse videatur.

1175. *Quid si discordia sit occulta?* Tunc parochus caute procedat, neque facile offensorem advocet; ne forte suspicetur partem offensam rem ei detulisse, et sic animi magis magisque exacerbentur. Mulieres speciatim recurrere solent ad parochum cum mille querimoniis. Parochus non facile credat; ordinarie enim exaggerant, et saepe ipsae et non alii in culpa sunt. Illas ad patientiam, maxime vero ad occasionem non dandam adhortetur; et fere in quovis casu, saltem donec res notoria non evaserit, a personali interventu abstineat.

1176. *Quid si de iurgiis foeminarum res sit?* Practice ex parochi interventu nihil boni obtineri solet. *Non est ira super iram mulieris.*

1177. *Quid si discordia ab aliqua prava consuetudine ortum habuerit, v. g., inter iuvenem et genitores puellae ab eo seductae?* Tunc curabit quidem parochus ut discordiae excessus evitentur, sed cavebit ne pax ita firmetur, ut pristina consuetudo prava renovetur.

1178. *Quinam est modus practicus pacem componendi?* Discordiae notitia habita, parochus (si videat operam suam esse interponendam) illico, nullaque interiecta mora (maxime si

magni excessus intra breve tempus reformidandi sint), advocare debet litigantes (aut ad ipsos se conferre), eosque audire; sed seorsim. Bene erit si parochus (alios etiam caute interrogando) verum rei statum cognoscat; sed, quamvis animadverterit quis rationem habeat, ab hoc iudicio suo proferendo (nisi forte agatur de re evidentissima) non solum cum litigantibus sed etiam cum aliis omnino abstineat, nec litigantes de mendaciis redarguat; secus enim periculum adesset, ne contra illum ipsum ira excandescere incipiant. Parochus itaque ad modum non iudicis sed patris procedat, totusque in eo sit ut pericula et damna tum corporalia tum spiritualia, quorum discordia ferax est, partibus ostendat, illasque ad pacem inducat. Uno verbo parochus palam faciat non eo animo se ingerere ut facta praecedentia iudicet aut puniat: bene vero ut malas consequentias quae in posterum ex discordia accidere possent, praeveniat et impediat. Si tamen ageretur de viduis aut pupillis inique oppressis, aut de parochianis offensis a personis exteris; tunc eorum partes apertius tueri posset. Interdum expedit ut per tertiam personam reconciliationem procuret. Si pars laesa in reparatione exigenda (quae reapse ei debeatur) firma remaneat, parochus curabit ut offensor illam praestet. Si reparatio pacifice obtineri nequeat, et una pars tribunalia adire velit; tunc parochus (nisi agatur de dictis pupillis etc.) id expresse non approbet, et, sin minus dissuadeat, saltem passive se habeat. Si partes ad pacem coram parocho firmandam se induxerint, non est permittendum ut de iniuriis praeteritis verba faciant (ne discordia renovetur); sed exigendum est dumtaxat ut super omnia lapidem (ut vulgo dicitur) ponant, et sic in christiana pace et charitate conversentur. Notandum denique quod si compositio rerum temporalium divisionem vel pecuniae solutionem in posterum exequendam respiceret; tunc compositio ipsa in scriptis, atque ita ut vere valida sit, peragi debebit; secus enim facile lis renovari posset, et ordinarie de solis verbis non est fidendum.

§ XI.

De parocho quoad adiutores sibi adiungendos, et speciatim quoad vicarium, seu (ut nos dicimus) capellanum.

1179. *Habetne parochus revera obligationem istam et quando?* Affirmative, si eius personalis opera populi necessitatibus non sufficiat. Ad hoc etiam ab Episcopo cogi potest, dicente

Tridentino (*Sess. XXI* IV): « Episcopi, etiam tamquam Apo-
« stolicae Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus vel
« Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus
« Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis mini-
« strandis, et cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel
« alios ad quos de iure pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc
« munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda
« et cultum Divinum celebrandum. Vide dicta n. 641-642 et
« n. 773 ».

1180. *Quid si in dioecesi, ubi Sacerdotes satis abundant, parochus dicat se non posse invenire vicarium, vel alios qui illum coadiuvent?* Si alii ordinarie coadiutores inveniant, tunc parochus culpae propriae tribuat si illos invenire nequeat. Ratio enim facile est quia congruam retributionem eis dare non vult. Avaritiam expellat, et coadiutores non deerunt.

1181. *Quid si parochus redditus sufficientes in hunc finem non haberet?* S. C. C. (16 *Apr.* 1639) dixit: « Supposita nu-
« merositate populi et tenuitate reddituum Prioratus, cui adnexa
« est curam animarum, cogendum esse ipsum Priorem sibi
« adiungere pro administrandis Sacramentis et cultui Divino
« peragendo, Sacerdotem; eique subministranda esse per popu-
lum ad vitam sustentandam necessaria ». Caeterum Benedictus XIV (*Instit. XCIV.* 7) notat, non valere excusationem eorum, qui dicunt non habere media praebendi alimenta et stipem vicario, dum interim consanguineos alunt, et forsan pro iisdem capitalia accumulant.

1182. *Quid notandum circa vicarii electionem?* In hoc parochus cautissime procedat; non solum enim considerare debet an corporis viribus polleat; sed etiam, imo praecipue, utrum quoad mores de ipso plene fidendum sit; nec facile sacerdotem iuvenem (etsi sanctum) eligat, si in parochiali domo foeminae iuvenes (v. g., parochi ipsius neptes) adsint. Vae parochis qui in necessitate versantur vicarios perversos aut tolerandi aut dimittendi! Perpendendum est quoque utrum, considerata indole tum parochi tum vicarii, sperari possit quod iugiter bene procedere valeant.

1183. *Potestne parochus adsciscere sibi vicarium sine approbatione Episcopi?* Negative. Poterit quidem parochus, inconsulto Episcopo, adsciscere sibi sacerdotem qui illum adiuvet ad breve tempus et in aliqua circumstantia extraordinaria; sed, si agatur de vicario stabili, approbatio Ordinarii exigitur; nec sufficeret si ad confessiones, vel etiam ad praedicationem, esset

approbatus. Id decisum fuit, ut videre est apud Vecchiotti (*I.* § 86) et Monitore (*IV.* 1. *pag.* 221).

1184. *Quid de parocho qui omnia vel fere omnia Vicario committeret?* Qui omnia facit per Capellanum non satisfacit; munia enim maioris momenti sunt omnino personalia. Quoad Missam pro populo vide n. 664. Quoad sermonem ad populum n. 694. Quoad pueros catechizandos n. 736. Quoad confessiones audiendas n. 772. et 809. III.. Quoad SS. Eucharistiae administrationem n. 760 et 832. Quoad assistentiam moribundorum n. 1081. Quoad matrimonium n. 1049. Quoad Baptismum n. 745.

1185. *Quomodo se gerere debet parochus erga suum vicarium?* 1. Illum nimis non oneret; et, saltem in casibus extraordinariis, assistentiam moribundorum aliosque labores cum ipso dividat. 2. Caveat solertissime a quadam invidia, quae valde facile suboritur, si forte parochiani illum laudent, vel eum cum praeferentia advocent, vel ad eius confessionale maiori numero accedant. Quid si parochus ex zelothypia accurrere vellet ipse, quando parochiani non illum sed vicarium desiderant; aut si semper in eo esset ut illum censuraret? 3. Parochus sincero amore vicarium suum diligat, illumque tamquam socium laboris in vinea Domini, et tamquam brachium suum dextrum consideret; et, si in domo parochiali habitet, quoad victum et alia omnia (maxime vero si infirmetur), tamquam fratrem illum habeat. 4. Honore debito illum privatim et publice prosequatur, nec permittat ut quisquam minus reverenter erga eundem se gerat. Quid de parochis qui a vicario servitia, quae sacerdotali dignitati nullo modo conveniunt, exigunt, illoque tamquam vili famulo utuntur? 5. Optimum factu est si parochus deambulando, vel optimates visitando, vel ad infirmos se conferendo, vicarium suum (nisi aliquid obstet) secum habeat. 6. Identidem illum laudet, ut animum sumat. 7. Leves defectus dissimulet, toleret, aut humanissime corrigat. Vigilet tamen (maxime in primis annis), et si forte aliquid grave deprehendat, de seria correctione cogitet, et interdum de dimissione; quae nihilominus ad casum extremum reservari debet, ne incidat in Syllam dum vult vitare Carybdim; multo magis quia frequentes mutationes nedum admirationi sed etiam scandalo paroeciae esse solent, et tam parochi quam vicarii famae ut plurimum praeiudicant. 8. Cavendum speciatim ne vicarius otiosus remaneat, aut parochianorum domos non vocatus frequentet. Parochus libros opportunos ei tradat, conferentias modo theologicas, modo liturgicas, modo asceticas cum ipso habeat, quin tamen

illum tamquam discipulum tractet. 9. Denique (quod supremi momenti est) bonum exemplum ei praebeat.

1186. *Quid si parochus propter corporis aut mentis perpetuam infirmitatem iam prorsus inhabilis esset?* Tunc, nisi vicarius Episcopo benevisus iam adsit, coadiutor ab Episcopo ipso nominandus (parocho quoque reluctante) assignari potest. Cf. Lucidi (*I.* III. 274). Vide dicta n. 638 et seqq.

§ XII.

De parocho quoad scandalum non dandum, bonum exemplum praebendum, et existimationem sibi procurandam.

1187. *Quid de scandalo in parocho?* Scandalum in parocho quid horribile est. Parochus scandalosus gregem, qui ab illo salvari deberet, ad perditionem impelleret; seductiones valde faciliores redderet (dicerent quippe non pauci: Eia age, sic faciamus, quia sic facit etiam Parochus); fidei ipsi valde noceret (dicerent enim etiam: Si infernus vere adesset, Parochus non ita faceret); non suam paroeciam dumtaxat, sed finitimas quoque suis scandalis laederet; denique aliis etiam sacerdotibus, cum maximo religionis damno, praeiudicium inferret; ut enim dicebat s. Augustinus, malevoli dum ab uno Sacerdote crimen admitti vident, *instant, satagunt, ambiunt ut de omnibus hoc credatur.*

1188. *Scandalum consistitne solum in delictis?* Negative; sed consistit etiam in imprudentiis, quae male suspicandi occasionem praebent.

1189. *Quid de parocho qui diceret: Sum ruri, sum in montibus: parochiani sunt simplices et ignorantes; non oportet ut multas cautelas adhibeam et paulo liberius procedere possum?* Parochus qui sic diceret, quammaxime se illuderet. Rustici malitiosissimi sunt, atque ad suspectus concipiendos, imo ad res sinistre prorsus interpretandas, sunt multo magis proclives quam cives. Adde quod, dum in civitatibus plurimi de parocho non curant, ruri e contra oculi omnium ad illum diriguntur. *Cf. Frassinetti* (*Man.* 530).

1190. *In quo consistit bonum exemplum a parocho praebendum; et cur necessarium?* Consistit in sanctitatae vitae quae sit 1. non ficta sed vera; 2. non communis sed exemplaris. Est autem necessarium, quia sine illo caetera omnia parum vel nihil valerent.

1191. *Quomodo parochus existimationem sibi procurabit; et cur exigitur?* Existimationem sibi procurabit 1. praedicta sanctitate vitae ; 2. prudentia ; 3. doctrina (non vero divitiis, potentia saeculari , superbo incessu , magnis obiurgationibus etc.). Exigitur autem quia, ea seclusa, parochiani neque reverentiam, neque confidentiam erga illum haberent ; et proinde eius monita , consilia , correctiones etc. , parum valerent et fortasse despicerentur.

1192. *Bona existimatio estne semper necessaria eodem modo?* Est semper necessaria ; sed speciatim in initio ; tunc enim parochiani parochum magis observant. Unicus error , quem tunc committat, sufficere potest, ut sinistrum conceptum statim de eo efforment ; et quidem ita ut difficillimum sit, quod unquam in posterum bonam existimationem de illo habituri sint.

1193. *Quale est scandalum magis perniciosum quod dari potest a parocho ?* Est scandalum in genere impudicitiae, et speciatim quoad foeminas.

1194. *Quaenam sunt regulae principales a parochis stricte observandae quod consuetudinem cum foeminis ?* I. De iure communi (imo et naturali) parochi (et idem dic de quibuslibet clericis) evitare debent quamlibet consuetudinem *suspectam*. Trid. (*XXV*. XIV) dicit : « Prohibet S. Synodus quibuscumque « clericis, ne..... mulieres de quibus possit haberi suspicio , in « domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem « habere audeant ». *Cf. De Angelis* (*III*. II. 1°). II. Leges insuper dioecesanas (si quae vigeant et rem istam magis determinent) observare tenentur. Alicubi, v. g., Episcopi licentia expressa exigitur, antequam in domo parochiali aliqua foemina (exceptis consanguineis vel ultra quadragenariis) stabiliter recipiatur (Optandum ut lex adeo salutaris ubique adesset et vigeret).

1195. *Pro suspicione , de qua Trid. et sacri canones loquuntur, debetne intelligi quaecumque suspicio , etiam temeraria et sine ullo fundamento prorsus ?* Ordinarie negative. Benedictus XIV (*Instit. LXXXIII*. 17) dicit : « Donec sceleris « *legitima* suspicio in vulgus emanaverit ». (*Vide etiam Notif.* 82. 4. *et De Syn. XI*. IV. 7). Ordinarie itaque oportet ut aliquid saltem minus rectum subsistat, vel imprudentia aliqua irrepserit. Sed hoc melius explicabitur infra.

1196. *Veniendo magis ad particularia, quid de foeminis sive consanguineis sive affinibus in domo parochiali retentis ?*

I. Istae ordinarie, quamvis in iuventutis flore essent, nullum

suspectum contra parochum ingerunt. Aliqui (*Bouix, Schmalgr. etc.*) excipiunt uxorem fratris eo vivente; sed Benedictus XIV (*Inst. LXXXII.* I) dicit, posse parochum cohabitare cum uxore fratris, *sive ipse inter vivos agat, sive vita decesserit.* Ut tamen iuventus non obstet, oportet ut de gradibus propinquioribus agatur; nempe (ut explicat idem Benedictus XIV l. c.) de primo et secundo gradu consanguinitatis (cuiusmodi sunt sorores, neptes sive ex fratre sive ex sorore, primae consobrinae etc.); et de solo primo gradu affinitatis, nisi forte de uxore avunculi defuncti (quae est in 2° gr.) res esset.

II. Oportet insuper ut hae consanguineae (sive iuvenes sint sive aetate provectiores) nedum nullum positivum suspectum de turpi relatione cum parocho dederint (ut supra dicebam); sed etiam ut absolute bona fama gaudeant, et nullo ex capite paroeciae scandalum praebeant; secus enim nequidem ad earum procurandam emendationem parochus eas acceptare posset, ut rectissime docet Frassinetti (*Man. n.* 520).

III. Oportet denique ut propter particulares circumstantias parocho ipsi periculosae non sint. Circumstantiae huiusmodi essent non solum si lapsus iam locum habuissent; sed, iis quoque seclusis, si quaedam sympathia a sensualitate non seiuncta intercederet. Haec a pulchritudine, maxime vero ab indole cara et amabili, procedere solet; atque facillime (si parochus nonnihil ad venerea pronus et fragilis sit; maxime vero si solus cum sola commoretur) prius ad confidentias impellet, et dein ad scelera manifesta, quae probabilissime peccatorum catenam efformabunt et nunquam finem habebunt. Et notandum quod status huiusmodi adhuc horribilior esset, quam si de famula extranea ageretur; quando enim de consanguinea vel affine agitur, illius eiectio valde difficilior et subinde moraliter impossibilis esse solet; unde miserrimus parochus in verissimo quasi inevitabilis damnationis laqueo versaretur. Quid enim si dicta mulier esset uxor fratris, quae cum marito et filiis in domo parochiali habitaret? Adde quod tunc matrimonium istud scelera omnia velaret, et hac etiam de causa (nullo infamiae timore a nefanda consuetudine retrahente) miserabilissimi parochi status peior esset.

IV. Quamvis itaque canonistae et theologi (rem hanc sub solo respectu decentiae externae considerando) facile concedant, ut parochus mulieres consanguineas vel affines (ut supra) secum retinere possit; tamen, priusquam illas acceptet, omnia serio consideret et discretionem magnam adhibeat, ne in huius-

modi abyssum se coniiciat. Heu quot parochi, speciatim occasione uxoris fratris viventis domi retentae, damnantur! Cf. Frassinetti (*l. c.* 520).

1197. *Quid de mulieribus extraneis?* Quamvis optandum esset ut parochi potius virorum quam mulierum opera ad famulatum uterentur, tamen ex hodierna Ecclesiae disciplina licitum est parochis ancillam etiam extraneam tenere; si nempe vel consanguineas secum non habeat, vel ipsae ad servitia praestanda non sufficiant. At vero tunc speciales cautelae, maxime circa famulae aetatem, necessariae esse possunt.

1198. *Quid itaque de aetate ancillae?* In quovis casu ad minus erit semper bonum consilium ut famulae sint aetate provectiores. Attamen, praescindendo a legibus dioecesanis atque etiam a circumstantiis particularibus, distinguere oportet imprimis an parochus cum aliis, an vero cum ancilla sola cohabitet. In primo casu aetas provectior in famula rigorose non exigitur; bene vero in secundo. Scripsit Benedictus XIV (*Instit. LXXXII.* 3): « Ipsarum quoque (famularum) aetas cognita « sit, ita ut parochi famulae, qui consanguineis careat, qua« draginta saltem annos iam absolverint. Aliter tamen decer« nendum est, si cum parocho etiam mulieres consanguineae « versentur... Magnum discrimen interest, cum plures simul « mulieres... eadem domo continentur; diverso tamen modo « res se habet, cum sola mulier, nulla sanguinis propinquitate, « sed famulae tantum conditione accita, cum parocho versatur, « qui fortasse per hyemem longissimum noctis spatium non « precibus aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem « vanis colloquiis insumit ».

1199. *Exigiturne revera ut ancilla parochi quadragesimum annum expleverit, ita ut ille absolute peccet si mulierem talem aetatem non adhuc assecutam acceptet?* Si parochus cum alia famula iam lapsus fuisset, aut sua levitate vel imprudentia suspectus et dicteria provocasset, ita ut absolute quoad famulas malam famam habeat; tunc, sin minus solius viri opera uti velit, saltem oportebit ut mulierem omnino annosam recipiat, et forsan quadraginta annorum aetas non sufficiet. *Cf. Bened. XIV.* (*l. c.* 2). Praescindendo ab hoc casu, censeo, considerandam esse praxim in Dioecesi vigentem. Si enim a parochis etiam omnino timoratae conscientiae, vel certe passim sine ulla vituperatione (et quin Episcopi quidquam in contrarium unquam dicant) acceptarentur ancillae quadraginta annorum aetatem adhuc non habentes (dummodo iuventutis florem praetergressae

fuerint); tunc peccatum hac in re adesse non videretur; multo magis quia non pauci dantur casus, in quibus invenire personam, quae ex una parte dictam aetatem expleverit, et ex alia honestate, habilitate et sanitate ita gaudeat, ut congruum servitium in domo parochiali praestare possit, vel impossibile esset, vel saltem antequam inveniretur diu expectare oporteret. Apud nos ordinarie videtur sufficere si famula circa triginta annorum aetatem habeat, saltem si quaedam adminicula concurrant, cuiusmodi essent, v. g., aetas provectior in parocho, specialis vitae exemplaritas in ancilla, vel si parochus non esset absolute solus sed famulum quoque haberet, vel si ancilla erat etiam prius in domo parochiali vivente matre parochi, et quia optimum servitium semper praestitit, ea quoque mortua, retineri velit etc. Certe Frassinetti, quamvis ex professo de hoc puncto (et quidem rigorem ostendendo) tractaverit, dictam quadraginta annorum aetatem necessariam esse non dixit; imo subindicavit minorem aetatem permitti posse; carpit enim solum parochos, qui puellas viginti vel ad summum vigintiquatuor annorum, et quidem pulchras, acceptare non dubitant (*Man. n,* 526).

1200. *Quid de ancilla coniugata?* Frassinetti (*l. c.*) dicit quod ancilla aut virgo aut vidua esse debet. Attamen Benedictus XIV (*Instit. LXXXII. n.* 23) permittit ut parochus maritum et uxorem pro famulis habere possit, dummodo scilicet famulae maritus non alibi sed cum uxore sua in domo parochiali cohabitet.

1201. *Potestne parochus duas ancillas habere?* Decisio pendet a circumstantiis (quae efficiant ut ex hoc rationabiles suspectus non suboriantur); maxime vero a necessitate; ut puta, si prior ancilla propter senectutem vel habitualem infirmitatem servitiis praestandis sola amplius non sufficeret. Benedictus XIV (*Inst. LXXXII.* 2) dixit: « Parochus... unam vel etiam duas « famulas in domum recipiat; modo tamen has conditiones ob- « servet etc. ».

1202. *Quomodo se gerere debet parochus cum ancilla, ne vel se ipsum in periculum coniiciat, vel etiam suspectibus et scandalo aditum praebeat?*

I. Debet firmissimus esse in non incipienda ulla confidentia, quae cum sacerdotali modestia et sanctitate componi nequeat (*Cf. Frassinetti Man.* 527). Vae si inciperet! Vae si turpi passioni tantillum cederet! In hunc finem caveat a periculo; quod, si tentationibus subiiceretur et solus cum sola habitaret,

vere extremum esset. Neque de virtute est fidendum; stellae enim ceciderunt de coelo. Media evitandi periculum (praeter communia orationis, meditationis, frequentis confessionis etc.) sunt 1° Quanto minus fieri potest immorari cum illa, et speciatim in circumstantia indicata supra (n. 1198); 2° Stare semper in gradu suo, et reverentiam exigere; 3° Ancillae confessiones non audire, procurando simul ut apud alium saepe confiteatur.

II. Etsi nihil mali, imo et nihil periculi, subsisteret, cavebit solertissime parochus ne ullam male suspicandi occasionem praebeat; quod contingeret speciatim si permitteret ut ancilla (quasi nova sponsa) nimis adornata in publicum prodiret; aut si (quod peius esset) ipse id procuraret, vestes et ornamenta ei emeret, vel secum (quasi ad ostensionem) illam sic ornatum in curru duceret. Idem dic si semper in eo esset ut illam laudaret, vel amoris (etsi honestissimi) significationes expressas ei daret. Foeminae cupiunt amari, et quod amentur facile se iactant et res exaggerant. Criterio carent, leves sunt atque loquaces, et consequentias non considerant. Hinc parochus de bono servitio se quidem contentum demonstret, sed, potiusquam laudibus et muneribus, mercede abundet. Caveat autem speciatim ne in testamento nimiam haereditatis partem (maxime praetermissis consanguineis vel neglecto famulo) ancillae relinquat. Denique non permittat ut famula, speciatim coram aliis, arroganter respondeat, quoddam imperium ostendat et quasi domina procedat; maxime vero non sinat ut in rebus paroeciae se ingerat.

1203 *Quid notandum circa alias foeminas, quae famulae non sunt?* Videndum imprimis an locum habeat frequentia, vel non.

1204. *Quid si frequentia locum non habeat; quo modo scilicet gerere se debet parochus cum foeminis, quae pro casibus fortuitis ad illum se conferunt, vel cum quibus extra domum parochialem casu loquitur?*

I. Seclusa etiam frequentia cum aliqua in particulari, non leve scandalum daret parochus si habitualiter tractu nimis festivo cum foeminis omnibus (speciatim iuvenibus et pulchris) procederet; facetiis et levitatibus cum iisdem indulgeret; diutius et libentius cum illis quas cum viris moras traheret etc.

II. Non sufficit ut parochus huiusmodi pravum habitum non habeat; sed exigitur ut in casibus particularibus (speciatim si de foeminis iunioris aetatis agatur) 1. quo citius fieri potest se

expediat; 2. oculorum modestiam et sacerdotalem gravitatem (quae tamen cum rustica duritie confundi non debet) servet; 3. nimiam corporum propinquitatem evitet; 4. manum foeminae ad se venientis non apprehendat; et, si forte apprehensio ista (propter patriae morem, qui personis quoque ecclesiasticis communis esset) sine inurbanitate declinari nequiret, levissime prorsus et fugaciter id fiat; 5. caveat ne si quid matri denegasset, illud filiae preces renovanti, concedat; imo, si filia notabile subsidium peteret, facile expedire potest ei indicere ut mater vel pater se praesentet; 6. Si ageretur de foemina malae famae, tunc prudentia omnino specialis necessaria foret; sive illa ad parochum sive parochus ad illam se conferret, ut per se patet; 7. Denique in quovis casu optimum consilium est, ut dum colloquium cum foemina habetur, porta aperta teneatur; atque ut (quantum fieri potest) evitetur ne mulieres extraneae (etsi bonae famae essent) in domo parochiali pernoctent.

1205. *Quid si ageretur de frequentia?* Tunc casus longe maioris momenti est; et valde difficile contingere poterit quod parochus modo ex stricta obligatione, et modo ex magna congruitate, illam evitare non teneatur.

1206. *Quandonam tenetur parochus ex stricta obligatione frequentiam, de qua loquimur, evitare?* Ratione scandali ad hoc tenebitur 1. Si foemina, quae domum parochialem frequentat, vel ad quam parochus frequenter se confert, sit malae famae, eo quod, v. g, notorie lapsa fuerit (etsi solum cum aliis), nec tractu temporis et bonis moribus famam recuperaverit; 2 si (quamvis esset boni nominis prorsus) non appareret quo honesto motivo frequentia illa locum habeat; nec sufficeret motivum quod a populo sperneretur. Casum habes si parochus pro conferentiis spiritualibus ad foeminam se conferret aut illam in cubiculo suo reciperet; 3. si parochus ipse confidentiis vel imprudentiis notoriis (v. g., foeminae vestem emendo vel pecuniam donando) graves suspectus provocasset. 4. Si foemina amore captam erga parochum se ostenderet, v. g., occasiones eum invisendi semper quaerendo, de illo semper loquendo, munuscula ei praebendo etc.

1207. *Quandonam parochus saltem ex magna congruitate foeminae vel foeminarum frequentiam evitare debebit?* Quando, etsi motivum honestum non desit, tamen de re periculosa, et dicteriis subiecta agatur, neque stricta necessitas urgeat. Ex hoc capite ad minus maxime convenit ut parochus evitet 1. docere puellam aliquam (nisi forte esset adhuc impuber) sive lit-

teras, sive harmonii sonitum etc.; 2. acceptare administrationem rerum temporalium alicuius familiae, si hac de causa frequens relatio cum foeminis (nisi forte essent vetulae), remotis arbitris, contingere deberet; 3. advocare puellas iam adultas in domum parochialem diebus festis, ex praetextu vel etiam sincero motivo sic eas a mundi periculis praeservandi. Dixi *ad minus maxime convenit;* vera enim et gravis obligatio abstinendi in his quoque casibus urgere potest ratione periculi; et heu quot miseri sacerdotes in huiusmodi occasionibus naufragium fecerunt! Praescindendo etiam ab hoc periculo, heu quam facile est quod foeminis relationem cum parocho habentibus statim dicatur, eas esse parochi ipsius tractum et pellices! Quid si, quamvis parochus esset innocentissimus, puella cum ipso relationem habens alterius opera gravida evaderet? Quid si (quo nil facilius) delicti auctor, ad se occultandum, pecunia quoque oblata, ei suaderet ut parochum culparet?

1208. *Quid si scandalum iam datum, vel utcumque iam subortum fuisset?* Distinguendum inter scandalum subortum 1. quin parochus ullam omnino occasionem ei dederit; 2. ex lapsu manifesto; 3. ex solis indiciis vel imprudentiis.

1209. *Quid si parochus scandalo suborto nullam omnino occasionem dederit?* Si scandalum istud oriretur dumtaxat ex ignorantia alicuius circumstantiae; tunc circumstantia ipsa prudenter declarari deberet. Si ortum fuisset ex speciali malignitate vel stultitia alicuius, ita ut dicteria quidem nonnulla facta fuerint, sed personae prudentes illa despexerint, vel certe de re ex se ipsa cito evanescente agatur, tunc parochus ad summum aliquam maiorem cautelam adhibere poterit, sed de caetero ad nihil tenebitur; vae enim si parochi, toties quoties aliquid huiusmodi accidit, res suas semper immutare cogerentur! Si vero calumnia adeo colorata fuisset, ut neque in declarationibus, neque in constanti bono exemplo, spes collocari valeret; tunc parochus (ut gregem suum utiliter regere posset) sacrificium subire et sic facto ipso calumniam eliminare deberet.

1210. *Quid si scandalum ex lapsu manifesto ortum fuisset?* Tunc publica poenitentia, et imprimis totalis separatio ab occasione, necessaria foret, ut per se patet. Aliqua difficultas esse posset si de re antiqua ageretur, et non solum iam a longo tempore emendatio subsisteret, sed etiam populus magna emendationem ipsam supponendi motiva haberet. Ego sic dicerem: Si parochus foeminam, quacum olim misere peccavit, sat facile dimittere posset, ad hoc teneretur; ex una parte enim suspectus

imminuti quidem sed non destructi forent, et ex alia obiectum praesens infaustam semper renovaret memoriam et pastoris infamiam semper vivam teneret. *Cf. Bened. XIV* (*Instit. LXXXIII.* 12. 13). Si autem foemina nonnisi gravissima incommoda provocando eiici posset (ut puta, si ageretur de uxore fratris cum filiis etc.): maxime vero si exinde novi suspectus et nova scandala provocarentur; tunc (secluso periculo hallucinationis et de consensu Episcopi aut saltem cum consilio prudentis Confessarii) res in statu quo relinqui possent.

1211. *Quid si scandalum non quidem ex lapsu manifesto, sed ex imprudentiis, vel indiciis sive a parocho sive a foemina datis, ortum fuisset?* Tunc certe imprimis ab imprudentiis cessandum est; durantibus enim imprudentiis et indiciis, quomodo scandalum cessabit? Casus esset si parochus domum sibi non convenientem frequentaret, aut domesticam nimis iuvenem et levem retineret etc. Nec iuvabit dicere: *Sunt malae linguae, sunt calumniae, innocens sum etc.* Cf. Frassinetti (*Man. n.* 538). Si autem in facto per se irreprehensibili obiter imprudentia aliqua irrepsisset, vel indicium aliquod datum fuisset; tunc casus valde speciem mutaret; si enim imprudentiae et indicia non renoventur, contingere potest quod res ex sese cito ad nihilum redigatur, et quod proinde nullam mutationes faciendi ratione scandali obligatio remaneat. Sed quid si sive ex gravitate indicii et difficultate quod suspectus evanescant sive ex lapsibus vere subsistentibus (etsi a populo non certo cognitis), parochus occasionem illam (v. g., ancillam) dimittere vere teneretur? Tunc, etsi occasio esset certe dimittenda, tamen in tali dimissione exequenda caute procedendum foret, ne apud populum parochi delictum ex dubio certum evaderet; atque etiam ne ancilla ipsa infamiam subiret. Hinc procurandum foret ut ancilla non eiecta sed motu proprio abiens appareret. Expectari deberet etiam tempus opportunum, quale non esset, v. g., statim post exercitia spiritualia a parocho peracta.

1212. *Scandalum in genere impudicitiae oriturne solum ex prava vel suspecta relatione cum foeminis?* Negative. Oriri posset etiam ex aliis indiciis; qualia essent, v. g., si parochus imagines vel statuas inverecundas domi suae expositas retineret; si notorie libros eroticos legeret; si in sermone pudicus non esset; si oculorum modestiam minime servaret; si theatro interveniret; si nimis concinne se vestiendo, odores secum ferendo, comam discriminando etc., se animum libidinosum habere palam faceret.

1213. *Praeter impudicitiam quales sunt alii casus principales scandali in parocho?* Si esset avarus, vel turbolentus, vel ebriosus, vel aere alieno nimis gravatus.

1214. *Quid itaque si parochus esset avarus?* Tunc, quamvis multis bonis rarisque dotibus ornaretur, existimatione gaudere non posset; eius praedicatio efficacia careret; atque omnibus malevisus esset. *Frassinetti* (*Man.* 552).

1215. *Quaenam sunt signa praecipua avaritiae?*

I. *Difficultas pecuniam solvendi* (intellige excessiva); ut puta, si parochus, ad parum expendendum laceras vel sordidas vestes indueret; si domus parochialis, vel fundorum Ecclesiae, vel etiam Ecclesiae ipsius et sacrorum apparatuum, restaurationes negligeret; si quoad mercedem famulis, operariis, oedituis, clericis etc. dandam, nimis subtiliter procederet; aut nimis frequenter in contractibus pro obulo litigaret; si in debitis solvendis tardus esset; se non mortificationis sed pecuniae amore ieiunaret, atque ad famem patiendam familiares quoque cogeret; si pauperibus eleemosynam non faceret; si ad nihil vel parum expendendum in vicariis, concionatoribus, confessariis, libris etc. spiritualem ipsam paroeciae curam detrimentum pati sineret etc.

II. *Cupiditas pecuniam acquirendi*; ut puta, si parochus negotiationem exerceret; fundos conduceret; si tritici aut aliarum rerum (quas vendere debeat) pretii augmentum se desiderare ostenderet; si ad usuras procederet; si procuraret ut moribundi sibi aut suae Ecclesiae legata relinquerent; si dum aliquod donum, maxime vero pecunia, ei affertur, nimiam laetitiam ostenderet; si ipsam parochianorum mortem desiderare aut de illa gaudere patefaceret; si emolumenta funeraria a pauperibus quoque exigeret, aut illa plus aequo adaugeret, aut pro illis inconsultissime litigaret etc.

III. *Fundorum emptio;* si nempe parochus ex bonis patrimonialibus dives non esset; unde palam faceret quod, loco erogandi in eleemosynis aliisve usibus piis fructus beneficii, illos ad possessiones acquirendas convertere studeat.

1216. *Quales sunt praecipuae occasiones avaritiae?* 1. Amor immoderatus consanguineorum, speciatim si illos secum retineat; 2. Timor excessivus futurarum necessitatum propter infortunia, senectutem etc. 3. Interdum voluntas faciendi aliquam piam fundationem post mortem. His motivis multi quaedam dictamina sibi efformant, quae valde erronea sunt; haec enim non eo usque valere possunt, ut parocho in vita sua contra iustitiam, vel charitatem, vel decorem sacerdotalem, vel mu-

nera sive beneficiati, sive rectoris ecclesiae, sive habentis curam animarum, deficere, et (uno verbo) avaritiam (non sine populi scandalo et gregis sui detrimento) ostendere liceat, ut bene arguit Frassinetti (*Man. n.* 554. 555).

1217. *Quid si parochus esset turbulentus?* Hic etiam defectus magnum scandalum ingerere solet, maxime si cum sacerdotibus quoque in discordia viveret.

1218. *Quid de parochis, qui aere alieno se gravant?*

I. Si res eo usque procederet, ut debita solvere nequirent; tunc, propter damnum creditorum (speciatim si essent multi, maxime vero si aliqui forent quoque pauperes), scandalum magnum et valde clamosum efformaretur. Adde quod parochus debitis onustus omnem existimationem amittit apud parochianos; qui insuper (speciatim ruri et in parvis oppidis) rem istam valde aegre ferunt.

II. Occasio principalis esse solet excessus expensarum; quia scilicet parochus redditus parochiales non bene perpenderit; et, sive nimia consanguineorum familia se gravando; sive in victu, vestitu, equitatu, famulatu, commessationibus, itineribus etc. limites excedendo; sive in subsidiis et eleemosynis nimis abundando; sive fabricas faciendo; sive in negotiis ruinosis se implicando; sive pro his vel illis fideiubendo etc.; multo plus expenderit, quam redditus paterentur.

III. Interdum occasio est etiam quaedam incuria debita ipsa solvendi. Inter alia venit frequentius stipendium ancillae; saepe enim parochi ei stipendium non solvunt; unde v. g. post viginti aut triginta annos servitii, eveniente parochi ipsius morte, misera mulier tam diuturni laboris mercede prorsus defraudata remanet. Parochus itaque, qui in conscientia quietus esse, et nec in vita nec in morte damna aliis afferre velit, curet ut in fine cuiuslibet anni omnia semper paria sint.

1219. *Praeter defectus hucusque recensitos, suntne alia, quae parochi existimationi obsint?* Utique; scilicet praecipue 1° Nimia cum parochianis familiaritas; 2° Familiae propriae inordinatio; 3° Defectus ponderationis in agendo; 4° Exaggerationes et zelus indiscretus.

1220. *Quid de nimia cum parochianis familiaritate?* Haec contingeret si parochus nimis frequenter ad eorum domos se conferret, vel domi propriae illos reciperet (intellige inutilis conversationis et meri solatii causa). Hoc modo Parochus proprios defectus omnibus ostenderet. Adde (ut taceam de periculis dicteriorum, zelotypiarum etc.) imminutionem venera-

tionis, et cuiusdam salutaris timoris, nec non confidentiae pro peccatis ei in confessione accusandis. Haec autem accumunatio adhuc magis perniciosa esset, si exinde parochus tamquam otiosus et vagabundus haberetur; aut si immoderate ludo indulgeret; aut si nocturno tempore quoque sive extra domum parochialem degeret, sive (familiis id aegre ferentibus) hos vel illos domi suae ad ludendum detineret; aut si helluonem se ostenderet; aut si verba platealia et gradui suo non convenientia fere semper in ore haberet etc.

1221. *Quid de inordinationibus in familia parochi?* Inordinationes istae parocho existimationem valde adimunt, et stupiditatem, ineptitudinem atque incuriam extremam in ipso demonstrant; quatenus scilicet nequidem domum suam gubernare valeat; et tam parum de tollendis scandalis sollicitus sit, ut in sua ipsa familia illa toleret. Sed hac de re sermo redibit infra.

1222. *Quid de defectu ponderationis in agendo?* Speciatim in rebus gravioribus et non obviis, ponderatio, circumspectio, praevisio consequentiarum, studium, petitio consilii, exiguntur; quae, si ex praesumptione vel superbia vel pigritia vel iracundia vel levitate et temeritate omitterentur, errores, et quidem graves, cum non levi existimationis iactura inevitabiles essent. Et notandum quod unicus error sufficere potest, ut existimatio prorsus (et forsan sine remedio) amittatur.

1223. *Quid de exaggerationibus et zelo indiscreto?* Caveat parochus ne tamquam mala magna repraesentet ea quae levia, aut solum contra perfectionem sint; et, quatenus res ita ferat, debitas distinctiones faciat. Parochiani (etsi valde rudes essent) exaggerationem intervenire statim cognoscunt; et parochus scrupulosus, exaggeratus et indiscretus, cito existimationem plus vel minus amittit, et periculum subit, ne, ubi etiam recte loquitur, eius dicta spernantur.

1224 *Quid si parochus se errasse seu falsam viam iniisse cognosceret?* Curet parochus ne in hoc casu versetur. Attamen, errore iam commisso, in eo non se obstinet; sed, falsa relicta, viae bonae statim se committat; quamvis enim cogi a proposito desistere palam faciat, parochum non fuisse prudentem, atque adeo eius existimationi noceat; tamen in errore se obstinare valde peius esset.

§ XIII.

De parocho quoad benevolentiam et confidentiam sibi procurandam.

1225. *Quid de parochis qui de benevolentia sibi procuranda nihil sunt solliciti, et potius toti in eo sunt ut timeantur?* Errant quam maxime. Quando parochiani proprium parochum amant, a rebus quas sciunt esse ei ingratas cavent, et facile monitis illius sive privatis sive publicis obsecundant. Uno verbo, parochus amatus maximam (ad bonum procurandum et malum avertendum) in paroecia sua influentiam habet; et proinde benevolentia parochianorum tamquam bonum maximi et principalissimi momenti considerari debet. Equidem timore quoque aliquid obtineri poterit, sed certe multo minus; homines enim multo magis amore quam timore trahuntur, et parochus timorem quidem Dei incutere poterit, sed non sui ipsius; ad hoc enim pauca admodum media habet; unde tandem res eo desinere solent, ut spernatur, et parochiani praecise in illius despectum peius faciant. Experientia patet quod parochus suis parochianis invisus non solum fere inutilis redditur, sed etiam mala plurima provocat. Et notandum quod unica familia, imo unica persona, quae, in parochi odium, bonum impedire et malum provocare satagat, totius paroeciae ruina esse potest.

1226. *Quaenam sunt regulae generales, ut parochus benevolentiam sibi procuret?* Sunt tres; nempe 1. Caveat (quantum potest) a rebus, quae parochianis displicere possunt; 2. Abstineat a rebus, quae futurae discordiae periculosae sunt; 3. Faciat ea quae parochianis grata esse solent.

1227. *Quomodo cavebit a rebus, quae parochianis displicere possunt?* Regulae sunt sequentes:

1. Caveat ab iracundia (speciatim si ex indole ad illam sit proclivis). Caveat insuper a superbia, ab avaritia, et uno verbo a pravis passionibus. Caveat etiam a zelo indiscreto et prudenter se gerat. Zelus indiscretus parochianos offendit speciatim in sequentibus casibus: 1. Si parochus in inquisitionnibus faciendis limites excederet, iuxta dicta n. 1156-1158, et maxime si foeminas omnia minutula ei deferentes audiret eisque fidem praestaret; 2. Si nimis frequenter aut nimis acerbe parochianos corrigeret; 3. Si in iis quoque rebus, in quibus parochiani a parocho nullo modo dependere tenentur, nec parochus ullam obedientiam exigendi ius habet, dependentiam et obedientiam

exigeret. Casum habes in parocho, qui exigat, ut parochianae ab eo dependeant plus quam moniales ab Abbatissa; ab iisque non solum legum Dei et Ecclesiae observantiam, sed etiam ea quae perfectionis sunt, aut fortasse, inspectis circumstantiis nequidem ad consilium pertinent, mordicus praetendat. Vae si puella capillos hoc vel illo modo componat; vel in veste tale vel tale ornamentum habeat; vel ad fenestram se praesentet etc. Vae si parochianae aliquid faciant, vel alicubi se conferant, quin prius licentiam ab eo petiverint. Vae si, potius quam ad paroeciam, ad aliam ecclesiam se contulerint etc. Vae, inquam, si ita se gererent; statim enim parochus ad obiurgationes, minasque recurreret, magnumque strepitum faceret. Talis agendi ratio nedum molestiam, sed etiam vexationem intolerabilem includeret, et nedum devotionem sed etiam iugum Dei nimis grave et odiosum redderet. Vide etiam dicta (n. 1161) et infra dicenda (n. 1250)

II. Dissidia, contentiones et altercationes sedulissima cura evitet. Lites iuridicas cum parochianis (et maxime cum piis confraternitatibus) non instituat; et prius omnia media pacifica tentet, atque compositionem (quamvis non adaequatam) facile acceptet.

III. Nihil mali de parochianis dicat, neque fidat fore ut eius dicta secreta serventur. Ne ex facetia quidem ridiculum aliquem reddat.

IV. Vigilet ne famuli et familiares male tractent parochianos, aut de iisdem aliquid mali dicant; et nunquam permittat ut cum aliqua familia inimicitiam habeant.

V. Nullam personarum acceptionem habeat, nullamque domum frequentius prae aliis adeat; id enim (praeter alia inconvenientia) aliarum familiarum invidiam provocaret.

VI. Contra politicas factiones, quamvis iniquas (maxime si optimates quoque eis adhaererent), fanaticus non sit; ex hoc enim facile accidit quod parochus, ad factiosorum domos ratione sui officii se conferens, non excipiatur, et (ut ita dicam) portam perpetuo clausam inveniat. Modus autem non deest sana principia aperte profitendi, quin fanatice et imprudenter procedatur.

VII. In concionibus caveat ne ita loquatur, ut aliqui indignentur aut rubore suffundantur; prout contingeret si contra factum recens a paucis personis commissum declamaret, et maxime si personae ipsae concioni praesentes essent.

VIII. Parochus curare debet, quantum potest, ne displicentias provocet; sed maxime in duobus casibus: 1. si ageretur de de-

terminatione, quae paroeciam totam, aut magnam eius partem, aut familias potentiores, acriter esset offensura; 2. dum primitus ad paroeciam se praesentat; tunc enim mutationes, quae plus vel minus displicere possunt, valde maiorem impressionem facere maioremque magisque diuturnam contra parochum aversionem producere solent.

IX. Caveat ne immerito vel imprudenter amorem proprium alicuius offendat. Hinc iustas praeminentias et distinctiones, prout de more, servet. Exemplum habes, v. g., in publicationibus matrimoniorum (si forte eodem die divitis et pauperis matrimonium publicari deberet); in distributione candelarum in festo Purificationis B. M. V. (intellige ubi talis est mos), illos scilicet prius advocando, qui maiorem oblationem fecerunt; in processionibus (dando, v. g., lumina, aut vocando ad delationem baldachini vel sacrae Imaginis, iuxta merita erga ecclesiam, nobilitatem etc. et imprimis iuxta consuetudinem). Et idem dic de similibus.

X. Caveat speciatim ne quoad bona fortunae parochianis nimiam molestiam, maxime vero damnum, inferat. Hinc parassitationem (*scrocconeria*) evitet. Occasione funerum aut festorum, non excitet familias ad expendendum ultra vires proprii status, ut ea solemniora faciant. Circa iura stolae occasione funerum minutiose non procedat, et pauperibus gratis aut fere gratis (ut dixi n. 1127) operam suam praestet. Quoad oblationes voluntarias (v. g. pro Animabus purgantibus, pro SS.mo Sacramento etc.) nimis non insistat, nec (eo quod parum collectum fuerit) querimonias moveat. Nemini occasio damni sit, ut alteri lucrum obveniat; et speciatim quoad testamenta cautelas supra (n. 1089 et seqq.) indicatas adhibeat. Generatim demum et praecipue caveat ne eius opera parochiani in carcerem detrudantur, officia lucrosa amittant, a possessionibus quas colunt eiiciantur, aut alia gravia damna subeant; nec (et hoc bene notetur) de secreto fidat.

1228. *Nunquid ergo parochus a qualibet parte odiosa abstinere debebit, et nunquam tenebitur ad ea, ex quibus aliquorum malevolentia aut odium ei obvenire possit?* Id non dico. Parochus tenetur certe contra vitia clamare; exigentiis, quibus satisfieri nequit, non satisfacere; in Sacramento confessionis poenitentes ad turpes amicitias obtruncandas obligare etc.; nec propter malevolentiae vel odii timorem a suo munere adimplendo se eximere potest. Apostolus Paulus dicebat: « Si ho-« minibus placerem, Christi servus non essem ». Dico itaque

1. Malevolentiam non esse provocandam sine necessitate; saepe enim parochus finem suum obtinere potest ita caute, industriose et prudenter, ut nullam contra seipsum malevolentiam suscitet; 2. Videndum an adsit spes fructus; ut quid enim odia contra se ipsum concitare et familias sibi inimicas reddere sine ulla utilitate? 3. Subsistente etiam spe fructus, videndum ne simul cum hoc bono effectu mala aliqua exoritura sint, et ne forte timendum sit ne malum superet bonum. Inter haec mala computari debet quoque hoc ipsum odium parochi, speciatim si de offensione gravissima, aut non de unica persona vel familia sed de pluribus ageretur; maxime vero si casus essent frequentes aut adeo publici malamque impressionem facientes, ut parochus toti paroeciae se invisum redderet. Si ageretur de odio mortali et de periculo vitae, ipsa mors parochi damnum spirituale non leve esse posset, maxime se tanta adesset sacerdotum penuria ut paroeciis providere difficile foret; tunc enim vita parochorum speciali modo pretiosa redderetur. Dico 4° quod non propter quamcumque parochianorum utilitatem aut necessitatem parochus tenetur suam vitam in serium discrimen coniicere. S. Lig. (*II.* 39) dicit, parochum ad id teneri solum in casu necessitatis extremae aut gravis; qualis certe non adest quando parochiani etiam sine auxilio et opera parochi, possent absque magna difficultate sibi consulere si velint. Dico 5. quod obligatio parochorum ad partes odiosas adimplendas non eo usque extendi potest, ut ipsum officium parochi valde odiosum reddatur; secus enim quisnam huiusmodi officium acceptare vellet? Dico 6. optimam regulam esse observare an talis vel talis obligatio iam communiter recognoscatur; et in dubio (si de re momentosa agatur) Episcopum esse consulendum. S. Lig. (*III.* 360).

1229. *Quomodo parochus abstinebit a rebus quae futurae discordiae periculosae sunt?*

I. In negotiis temporalibus (quae diuturnitatem praeseferant) cum parochianis se non liget; ministros nempe et famulos ex familiis de paroecia non eligat; et officia executoris testamentarii, tutoris et curatoris, quantum potest declinet. Curet etiam ne proprii consanguinei parochianis nubant et in paroecia domicilium figant. Soetler (II. VI).

II. Familiaritates, quae durare nequeunt atque in discordiam desiniturae sunt, sedulo evitet; unde divitibus, personisque superbis, iuxta proverbium *nec prope nec procul*, benevolentiam quidem ostendat, sed strictiorem amicitiam cum iisdem non contrahat, eorumque visitationes et conversationes fre-

quentes atque prandia modo urbano declinet; idque maxime si increduli aut vitiosi essent, ne eorum errores et vitia approbare videatur.

1230. *Quid de praestandis a parocho, ut faciat ea quae parochianis grata esse solent?* Sciat imprimis, parochianos valde gratum habere si ipsorum parochus sit sanctus, doctus et prudens; de hoc enim magnum gaudium ostendere et se iactare solent. Deinde parochus demonstret sibi valde cordi esse pauperes et (in civitatibus) operarios; ad populorum enim benevolentiam comparandam nihil magis conducit. Divites honore prosequatur. In genere autem loquendo, parochianos suos omnes diligat sincero et vere paterno amore, quem ostendat verbis et factis.

1231. *Quid de verbis?* Affabilitatem (quae benevolentiam quam maxime conciliat) vultu hilari omnibus ostendat, quin differentiam ullam inter divites et pauperes faciat. Quando parochiani bene faciunt, eos (etiam publice) laudet. In correctionibus persuasiones et blandos modos adhibeat.

1232. *Quid de factis?* In medio filiorum suorum libenter commoretur; quanto minus enim (etiam ratione praedicationis) in gyrum ibit, tanto magis a suo populo amabitur. Ecclesiae decorem procuret, et functiones horis populo commodis peragat; confessionali attendat; magnam puerorum et infirmorum curam demonstret; et uno verbo muneribus suis plene satisfaciat. Si parochiani operam illius petant, statim et libenter eis obsecundet, aliaque negotia, amicos, imo et ipsam orationem, deserat; neque sinat ut iterum petere aut diutius expectare cogantur. Idque (repeto) sine ulla personarum acceptione; et quamvis petitio privatam aliquam benedictionem, aliudve servitium non stricte debitum respiceret; neque displicentiam ostendat, etsi forte inutiliter (v. g., pro reputato infirmo) advocatus fuisset, magnoque cum incommodo illuc se contulisset. Iura stolae exigat quidem; sed, si a parochiano debitore aliqua dilatio petatur, illam benevole concedat. Cum inimicis semper dissimulet maximamque patientiam adhibeat, et in bono malum vincere satagat. Si parochiani munuscula afferant, gratitudinem demonstret eosque remuneret. Pueris magnum amorem ostendat, et optimum factu erit si parochus domos ingrediens exigua munuscula parvulis praebeat. Quomodo autem in particulari erga pauperes et divites se gerere debeat, innui supra et minutius declarabo infra.

1233. *In annuendo parochianorum petitionibus potestne in-*

tervenire defectus? Utique; ipsi enim interdum ea quoque petunt, quae concedi nequeunt. Exemplum habes si peterent dispensationes, quas concedendi parochus auctoritatem non haberet; aut si, salva iustitia, aut veritate, aut prudentia etc., annuere non posset. Bonus debet esse parochus, sed non nimis bonus; et ex hoc ipso quod, omnibus petitionibus obsecundando, sit excessive bonus, graviter delinquere potest.

1234. *Quid si parochiani peterent a parocho notabiles pecuniae summas aut quid simile ad mutuum, vel ut pro iis fideiussorem se constitueret?* Ordinarie non expedit ut petitionibus huiusmodi annuat; si enim exiret notitia quod parochus cum hoc vel illo ita se gessisset, alii et alii indesinenter similia vel maiora peterent, et sic periculo vel coniiciendi se ipsum in impossibilitatem satisfaciendi obligationibus, vel subeundi malevolentiam eorum, quibus annuere nequiret, se exponeret.

1235. *Quomodo se gerere debet parochus cum illis, qui petunt ut pro ipsis se intercessorem constituat, aut aliter eos adiuvet; et ex una parte id praestare nequeat, ex alia timeat ne ipsi denegationem in malam partem accepturi sint?* Ordinarie expedit nonnullas difficultates (quae illos non offendant) in medium adducere ut parum sperent; et deinde dicere: *Fili mi, bona te adiuvandi voluntas mihi non deest; et quod potero pro té faciam.* Interdum dicere poterit: *Hic et nunc tibi satisfacere nequeo; sed in posterum videbimus quid fieri queat.* Si ageretur de magna eleemosyna petita, quae dari nequeat, similiter poterit dicere: *Hic et nunc media non habeo; in posterum tui memoriam habebo, sed pauperes sunt nimii, redditus exigui, expensae multae etc.* In quibusdam tamen casibus denegatio absoluta necessaria est; et tunc displicentia ostendatur, et meliori modo possibili curetur ut parochianus offensus non remaneat. Parochianus, v. g., petit mutuum momentosum. Si ex una parte parochus (iuxta supradicta) annuendum esse non crederet, et ex alia petens esset pauper, loco mutui eleemosynam paullo pinguiorem (si possit) ei tribuat.

1236. *Quid de bonorum morum testimoniis (italice: certificati di buona condotta)?* Si Parochus ignoret quibus moribus parochianus sit imbutus, dicat: *Fidem facio ad meam cognitionem non pervenisse aliquid, quod de bonis moribus N. N. quidquam dubii ingerere possit.* Si parochianus bona fama gaudeat, sed parochus eius perversitatem cognoscat, tunc dicat: *Fidem facio quod N. N., per quantum scio, bona fama gaudet.* Si demum pravi mores parochiani sint publice noti, tunc testi-

monium deneget. Si tamen ex denegatione aliquod magnum malum serio pertimesceret, tunc (quum nemo ita malus sit, ut aliquas bonas qualitates non habeat) fidem faciat dumtaxat de una vel altera qualitate bona, quae in eo dignoscitur. Et, si parochianus in antecessum publice perversus fuerit, sed hodie contra illum nihil dicatur; tunc parochus testari poterit, quod *actualiter* contra ipsum (quantum dignoscitur) nihil adest.

1237. *Quid si parochus interrogaretur ab extraneis circa mores alicuius parochiani?* Si eum laudare nequit, dicat se nihil mali de eo dicere posse; aut se illum bene non cognoscere et informationes ab aliis peti posse. Excipe nisi casus esset valde momentosus et de informationem petentis silentio parochus plene tutus esse posset; tunc enim quomodo res se habeant declarare deberet.

1238. *Quid de testimonio paupertatis quod ad obtinendas eleemosynas ab aliis parochianus petat?* Si non solum pauper sed vere indigens esset; tunc miserias magis principales exponat, et fidem faciat illum esse subventione dignum. Si vero esset quidem pauper, sed eleemosyna non indigeret, tunc dicat solum, illum esse pauperem nihilque possidere.

1239. *Suntne personae, quibus specialem benevolentiam parochus ostendere, vel cum quibus speciali modo collisiones evitare debeat?* Affirmative, scilicet 1. Cum Sacerdotibus; 2. Cum patribus familias; 3. Cum piis confraternitatibus; 4. Cum rectoribus aliarum ecclesiarum vel Regularibus (si forte in paroecia adessent); 5. Demum in genere cum iis omnibus, qui valde iuvare, et e contra si adversi evaderent, valde nocere possent; quales sunt, v. g., magistri municipales, magnati et potentiores, maxime vero syndici etc.

1240. *Quid de iis parochianis qui nullum Religionis usum habent?* Saltem consueta benevolentiae signa eis praebeat parochus, sub spe quod uxori et filiis libertatem actus religiosos exercendi relinquant, et saltem in morte sacerdotem acceptaturi sint.

1241. *Estne aliquid notandum speciatim circa confidentiam, quam parochus sibi conciliare debet?* Si parochus amorem parochianis suis ostendat, atque sanctitate, doctrina et prudentia, existimationem sibi procuret, iam ex hoc ipso confidentiam quoque sibi conciliabit. Attamen speciatim notari potest, quod parochiani confidentiam in ipso habere nequirent, si secretus non esset, aut si utcumque res ad illum delatae postea rescirentur. Non solum itaque caveat parochus ne ipse sive directe

sive indirecte quidquam dicat; sed etiam procuret ut, advenientibus parochianis pro aliquo negotio, familiares nihil audire possint.

§ XIV.

Notantur aliqua in particulari quoad pauperes.

1242. *Teneturne parochus non solum ex communi obligatione charitatis, sed etiam ex officio, curam pauperum habere?* Utique. Trid. (*XXIII.* 1) aperte dicit: « Cum praecepto divi- « no mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa « est,... pauperum aliarumque miserabilium personarum curam « paternam gerere etc. ». Verba itaque Psalmi (*X.* 14): « Tibi « derelictus est pauper; orphano tu eris adiutor » parochi speciatim sibi applicent.

1243. *Qualis est hac in re regula generalissima?* Regula generalissima est, ut parochus personaliter de eleemosyna requisitus a parochiano, illam nunquam deneget. Parum det (si aliud fieri nequeat vel non expediat), sed aliquid det, aut saltem offerat.

1244. *Quid si parochus tenue beneficium haberet?* Nihilominus eleemosynam, saltem pauperibus ad eius ostium venientibus (etsi non essent parochiani) facere deberet, si id exigeretur ut bonum exemplum praebeat et avaritiae notam declinet. Quid enim si parochiani (etsi miseri operarii vel agricolae) eleemosynam facerent, et parochus non? Ille itaque omnino servare debet documentum Tobiae (IV. 8) dicentis: « Quo modo potue- « ris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter « tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter imper- « tiri stude ». Considerandum esset quoque an parochus habeat bona propria patrimonialia. Dicunt: Haec spectant ad familiam: relinqui debent nepotibus: tangi nequeunt. Sed sermo huiusmodi totaliter probari non potest.

1245. *Quid si parochus beneficium pingue haberet?* Tunc ad eleemosynas elargiendas strictius teneretur; ea enim, quae remanent post honestam sustentationem et expensas cultus, sunt pauperum patrimonium, et non solum ex charitate sed etiam ex religione in eorum levamen erogari debent. Certe mortaliter peccaret qui huiusmodi bona ad consanguineos sive ditandos sive alendos otiosos, vel ad luxum, impenderet. Imo in ipsis expensis caeteroquin laudabilibus moderatio adhibenda

esset, si in paroecia multi pauperes adessent. Quid enim si parochus totus esset in ornando sumptuose ecclesiam (ne dicam domum parochialem), dum interim, propter extraordinariam annonae caritatem, pauperes innumeri fame perirent?

1246. *Quibusnam pauperibus eleemosyna fieri debet?* Loquendo de subventionibus momentosis, et maxime repetitis; hae fieri debent solum pauperibus veris; iis scilicet qui in vera necessitate versantur, neque laborando sibi subvenire possunt; non autem pauperibus fictis aut voluntariis, qui aliena pecunia proprium otium et vitia fovere satagunt. Cum istis tamen parochus lites hac de re non instituat, sed prima vice aliquid (v. g. mediam libellam) eis tribuat; et, si redeant, blando modo se excuset et eleemosynam diminuat; sic enim post unam vel alteram vicem redire cessabunt.

1247. *Quid de eleemosynis fixis?* In his dandis et promittendis parochus non sit facilis. Ex una parte enim qui hoc anno sunt vere indigentes, sequentibus annis possunt non esse tales, multaeque exurgere possunt circumstantiae, quae non esse continuandum suadeant vel cogant; et ex alia cessatio subventionis fixae nimiis molestiis et difficultatibus subiici solet.

1248. *Quomodo parochus cognoscere poterit quinam sint veri pauperes?* Macies in vultu, squallor in vestibus, miseria in domesticâ supellectili, impotentia laborandi, numerosa proles, magna infortunia, infirmitas, senectus, viduitas, maxime vero accuratae informationes, veram paupertatem indicabunt; et cavendum etiam ne haec sit voluntaria propter otium et vitia. Loquendo semper de subventionibus momentosis, solis recurrentium narrationibus, imo (si agatur de illis mulieribus, quae, distracto sermone in aliis rebus, statim tranquille loquuntur) ne lacrymis quidem parochus facile credat. Attamen in casu repraesentato urgenti, rei verisimilitudinem consideret, recurrentem examinet, responsionum cohaerentiam notet, et (nisi fictionem detegat) pro ea vice subventionem praebeat; expedire enim potest ut eleemosyna prodigatur, potius quam magnae angustiae non succuratur. Paupertas gradus habet; sed parochus reminiscatur, extremum gradum solere esse in iis, qui eleemosynam petere suasque angustias aliis patefacere verecundantur.

1249. *Subsistente etiam vera et non voluntaria paupertate, debetne distinctio fieri inter pauperes honestos et scandalosos?* Exceptis pauperibus ostiatim mendicantibus (quibus frustulum panis vel eleemosyna tenuissima dari solet) et exceptis quoque

casibus extraordinariis (v. g., infirmitatis), parochus abstinebit a subveniendis personis scandalosis (quales maxime esse solent mulieres malam vitam ducentes); huiusmodi enim subventiones ex una parte malas consuetudines abrumpere non solent, et ex alia sunt in causa cur boni pauperes (maxime si ipsis nihil aut multo minus detur) animo deiiciantur, multasque querimonias moveant et dicant melius esse malam vitam ducere. Parochus itaque, ut suae eleemosynae huiusmodi pessimum effectum non producant, saltem de regula ordinaria, bonos praeferre debet malis. Caveat tamen ne personam cum familia confundat; interdum enim in familia pessima aliquis individuus optimus et subventione dignissimus adesse potest. Mulieres quoque ad bonam frugem reversae misericordiam merentur. Ipsae tamen, frequentando ecclesiam atque sacramenta, et conversionem fingendo, decipere solent parochos. Cavendum est itaque; neque verbis sed factis credendum; et, si de conversione nunc ineunda ageretur, proponenda essent media (v. g., confugiendi ad locum tutum, non adeundi loca periculosa, non recipiendi viros in domo propria, laborandi, et actus religiosos exercendi). Si haec media acceptentur libenter; tunc quoque erit casus aliquod subsidium praebendi. Continuatio tamen a mediorum ipsorum executione pendebit.

1250. *Personae magis piae et virtuosae ab aliis, quae solum ordinariam vitae honestatem praeseferunt, debentne distingui?* Si agatur de mulieribus devotis, maxime si ecclesiam parochialem frequentent, haec distinctio magnis inconvenientibus, nempe invidiae, persecutionibus, suspectibus et calumniis aditum aperiret; unde ad minus valde caute hac in re procedendum esset.

1251. *Quomodo eleemosynae fieri debent?* 1. Ex corde; pauperes scilicet libenter videndo, libentissime iis subveniendo, et de levamine eorum miseriis dando vere gaudendo. Quid enim si parochus solum ex respectu humano, et quia necessitate cogitur, aegro animo, et quasi pauperes ne videre quidem posset, aliquas eleemosynas (forsan mussitando et increpando) faceret? Dices: Pauperes sunt ficti, importuni, ingrati, vitiosi etc. Respondeo. Generatim non est ita. Miseriae verissimae et extremae heu nimis subsistunt et abundant. Si qui importuni sunt, hoc est prae fame et prae filiis, quos sciunt esse domi et famem pati. Adeo autem longe sunt ab ingratitudine, ut benefactores benedicant, eorumque laudibus civitatem repleant. Adde quod eleemosyna, quae pauperi fit, Christo ipsi fit. Adde meritum

etc. Attamen 2. Eleemosyna non fiat ultra vires. Quid enim si parochus in hunc finem aere alieno adeo se gravaret, ut tandem aliquando creditores insoluti remanere cogerentur? Ad charitatem exercendam nunquid iustitiam laedere licet? 3. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua;* scilicet quoad pauperes occultos (*vergognosi*) eleemosyna secreto peragi et secreta servari debet. 4. Quoad eleemosynas momentosas regula sit, ut, etiam in casu pauperis notorii, secretum servetur et exigatur; secus enim alii multi eleemosynas similes peterent (et quidem etsi forte vere indigentes non essent); et, dum parochus denegare cogeretur, ex denegationibus odium sequeretur. 5. Quoad mulieres (maxime iuvenes) magna prudentia adhibenda est; puellae; v. g., eleemosynam petenti (si de re frequenti aut de eleemosyna momentosa res esset) dicatur ut mittat matrem (ut alibi admonebam); maxime vero parochus eius domum non adeat et solus cum sola non commoretur etc. 6. Si eleemosyna detur, v. g., ut lectus (ne masculi cum foeminis dormiant) provideatur, tunc non pecunia sed lectus detur (ut pariter alibi dixi). Idem dic de calceis, si v. g., genitores dicant se non posse mittere filios ad doctrinam christianam, quia calceos non habent. 7. Generatim non permittatur ut personae, quae alibi eleemosynam petere possunt, illam in confessionali petant. 8. Ex eleemosyna parochus occasionem arripiat (si opus sit) inculcandi et exigendi, ut filii ad catechismum mittantur, ut filiae custodiantur etc. 9. Si parochus ex aliena commissione aliquam eleemosynam singulis paroeciae suae pauperibus distribuendam haberet, tunc neminem, qui expresse aut verisimiliter illam exoptet (et exclusus querimonias moturus esset), excludere deberet.

1252. *Quid si parochus subventionem petitam concedere nequiret?* Non iam petentem dure et aspere a se repellat: bene vero displicentiam ostendat; et (quatenus res ita ferat) aliquod aliud medium ei suggerat. Vide etiam supra (*n.* 1243).

1253. *Praeter eleemosynas, potestne parochus aliis modis pauperibus auxilium praebere?* Potest, et subinde debet. Exemplum habes speciatim in commendationibus, curando scilicet v. g., ut miserae puellae aliquam dotem obtineant: ut infirmi in hospitali, et orphani in orphanotrophio recipiantur; ut in quibusdam magnis angustiis, aut in aliquo magno infortunio, eleemosynae ab aliis obtineri possint, de hoc fidem faciendo in scriptis; vel ad publicae beneficentiae congregationem recurrendo etc. Aliquando matrimonium esse posset optimum medium

ut aliqua misera puella aut vidua a magnis angustiis eripiatur; sed parochus caveat ne in re huiusmodi (ad modum eorum qui matrimonia conciliant) se immisceat.

1254. *Quid si puellae grandiores, eleemosynae quaerendae causa, ad personas periculosas diverterent, vel in gyrum se conferrent? Aut si pauperes puellae sine matre et sine ulla custodia remansissent?* Pro casibus istis maxime necessarium est ut parochus periculum avertere satagat.

1255. *Quoad pauperes, estne aliud notandum?* Parochus pauperes aeque ac divites tamquam filios consideret, nec sit acceptator personarum: imo maiores curas pauperibus prodigat; libentius illos alloquatur, et, speciatim in concionibus, adhortetur ut Divinam Providentiam non blasphement, laboribus (non vero peccatis) victum sibi comparent, a vitiis abstineant, et propriam paupertatem brevi tempore duraturam cum Christo paupere, coelestiumque divitiarum intuitu, patienter tolerent. Quoad testimonium paupertatis vide dicta (n. 1238).

§ XV.

Notantur aliqua in particulari quoad divites.

1256. *Quomodo se gerere debet parochus circa divites?*

I. In concionibus de magnis periculis spiritualibus, quae in divitiis reperiuntur; de bono exemplo praebendo: de religione et honestate a propriis famulis et subditis exigenda; de commoditate pro actibus religiosis praestandis eis relinquenda; de operibus subministrandis, cum debita et prompta mercede, operariis; maxime vero de eleemosyna pauperibus (iis speciatim qui illam petere verecundantur) elargienda, sermonem habebit; ita tamen ut eos non arguat neque incuset, quasi coram populo eos tamquam avaros aut iniquos traduceret. In eleemosynis autem praebendis, illis (quantum potest) bonum exemplum praebeat.

II. Curabit ut cum iisdem bene procedat. Cavebit ne illos offendat. Civilitatis obsequia prout de more eis praebebit. Attamen, ut alibi dicebam, eorum familiaritatem evitabit.

III. Cum iisdem (ut pariter alibi dicebam), etsi non nimiam familiaritatem, tamen bonam relationem semper habere procuret. In hunc finem maxime cavebit ne obsequiis deficiat, quae sint de more, eisque valde grata esse solent, cuiusmodi sunt (apud nos in civitatibus) v. g. occasione primi ingressus ad paroeciam

et in festis principalibus paroeciae ipsius eos invitare eisque aliquid gustandum praebere; item eos invisere ante festa natalitia; item, si aegrotent, mittere quotidie aliquem qui nomine parochi petat quomodo se habeant etc.

§ XVI.

Nonnulla valde laudabilia, quae a parochis vero zelo praeditis cum magno fructu adhiberi solent.

1257. *Quaenam sunt ista?* Sunt, vel esse possunt, speciatim sequentia:

I. Diebus festis advocare populum non solum mane ad missam parochialem, sed etiam post meridiem ad benedictionem SS.mi Sacramenti; secus enim iuvenes in ludis et genialibus conversationibus totum diem festum insumerent.

II. Ultimis diebus bacchanalium piis functionibus populum detinere.

III. Ruri confessarii extraordinarii commoditatem aliquibus vicibus singulis annis (v. g., occasione maiorum solemnitatum) populo suppeditare; non solum ad procurandam maiorem frequentiam sacramentorum, sed etiam ut sic provideatur iis miseris, qui prae verecundia nunquam se inducunt ut apud parochum aliosque sacerdotes consuetos, a quibus nimis cognoscuntur, peccata magis probrosa confiteantur.

IV. Praebere viris commoditatem confessionem faciendi in sacristia aliove loco convenienti; speciatim in maioribus solemnitatibus, maxime vero tempore paschali in civitatibus.

V. Frequentiam sacramentorum studiosissime procurare: hoc enim est medium principalissimum sanctificandi paroeciam. Haec frequentia procurari debet non solum quoad foeminas, sed etiam quoad viros, qui quo indigentiores, eo tardiores hac in re esse solent. In hunc finem valde expedit ut festa maiora Dominica praecedenti annuntientur, eaque occasione viri speciatim ad sacramenta recipienda impellantur.

VI. In singulis paroeciis quaedam festa solemniori pompa celebrari solent; at vero curandum ut festa huiusmodi non in magna dissipatione consistant sed in magna devotione; ad quod maxime confert si ad communionem generalem populus invitetur.

VII. Nihil dico de missionibus, saltem singulis decenniis, et de exercitiis spiritualibus, saltem singulis trienniis, populo procurandis. Missionarii idonei veroque zelo praediti advocentur,

iisque vitia dominantia manifestentur; et tempus opportunum (ut populus concurrere possit) eligatur. Parochus autem fructum missionis custodire atque adaugere satagat.

VIII. Procurare (quantum fieri potest) ut familiae bonae, quae praeclarum bonorum operum exemplum praebeant, a paroecia non discedant; periculum enim est ne, novis familiis advenientibus, non solum bona exempla cessent, sed etiam scandala magnam ruinam inferentia subintrent. Non raro paucarum libellarum subventio satis est ut bona familia non discedat. De huiusmodi familiis parochus se esse valde contentum ostendat, easque (v. g., occasione status animarum) laudet, atque ad prosequendum in bono, toto animo confortet.

IX. Si in paroecia adsint sacerdotes vel clerici, curet parochus ut eos sibi devinciat, et conferentias instituat.

X. Bibliothecam catholicam (vulgo *circulantem*) instituere; qua boni libri distribuuntur ut legantur et lecti restituantur.

XI. Pietatem fovere, sed veram et solidam.

XII. Comitatus catholicos instituere, v. g., ut bibliotheca catholica sustineatur, infirmis subventiones praebeantur, SS.mum Viaticum honorifico comitatu semper condecoretur etc.

XIII. Piam unionem Patrum et Matrumfamilias instituere; quibus convocatis saltem bis vel ter in anno de propriis obligationibus sermo habeatur.

XIV. Specialissimam iuventutis curam habere. De solida et perfecta instructione pueris suppeditanda, et de ratione cum ipsis instituenda ut pateat non solum an didicerint, sed etiam an operibus vitae christianae propriis se assuefecerint; de his, inquam, iam egi supra (n. 717-738). Sed, postquam pueri ad primam communionem fuerint admissi, non sunt deserendi; bene vero curandum ut in aliquo sodalitio tamquam in arca salutis, in bono perseverent et a mundi periculis iugiter praeserventur. Quoad adolescentulos deservire poterit, v. g., sodalitium sub invocatione S. Aloysii; et quoad puellas sodalitium filiarum Mariae, vel SS. Cordis Iesu etc. Attamen sedulo notandum quod sodalitia parum vel nihil proderunt, si in celebranda aliqua annua festivitate solum consistant. Ut vere prosint, oportet ut, ex ipsius sodalitii instituto, singulis mensibus iuvenes ad sacramenta accedant simulque coadunentur, ut sermonem sibi ipsis accomodatum audiant. Dies designatus pro puellis in oppidis et civitatibus poterit esse ferialis; sed adolescentuli solum die festo coadunari poterunt. Quoad istos; si parochus sive per se sive per alium singulis diebus festis, et

maxime horis vespertinis (quae solent esse periculosiores) in ludis et exercitiis gymnasticis, non sine brevi sermone nonnullisque precibus et canticis spiritualibus, illos detinere posset; et multo magis si identidem aliquam merendam eis procuraret; hoc esset medium efficacissimum (ut patet ex Oratoriis Salesianis) ut plurimi efficaciter praeserventur. Iuvant etiam praemia, munuscula, deambulationes etc.

XV. Adveniente tempore conscriptionis militaris, si forte iuvenes antequam discedant invisant parochum, ipse sacrum numisma et monita salutaria illis dabit; et praecipue 1. Ut pravos socios (qui in militia adeo abundant et a quibus quam maxime tentabuntur) evitent, et cum bonis (qui erunt quidem pauci sed non deerunt) conversentur; 2. Ut otium declinent; et, quando ab exercitiis militaribus vacant, legant, scribant, obiecta poliant etc.; et hoc modo ab iis, qui pravos sermones facere vellent, se liberent. 3. Ut horis deambulationi destinatis identidem ad aliquam Ecclesiam vel Religiosorum conventum clam se conferant, ibique confessionem peragant. Valde expediret si parochus de hoc puncto tam necessario ad populum sermonem haberet. Heu! quot iuvenes, qui prius boni erant, expleto servitio militari, non solum corruptissimi quoad mores, sed etiam amissa prorsus fide et religione, domum redeunt, et paroeciae magnam ruinam inferunt.

XVI. Quoad foeminas (in quibus hodie fere solis, maxime in nostris civitatibus, collocari potest spes habendi auxilium ut Religio penitus non collabatur) multum obtinebit parochus, si sodalitium, ut supra, instituat; sed ut hoc ipsum sodalitium in flore servetur, et verum, copiosum atque perseverantem fructum facillime producat, valde expediret ut aliquae virgines, singulari Dei amore et salutis animarum zelo flagrantes, iugem et diligentissimam puellarum custodiam habeant. In hunc finem hodie fere ubique ad vitam revocatum est Institutum *Ursolinarum*, praecise sub forma qua olim a S. Angela Merici fundatum fuit (quatenus nempe hae virgines non in monasteriis sed in domo propria vitam ducant), magnasque a Sede Apostolica approbationes et laudes habuit. De hoc Instituto nuperrime Pius IX (11 Iul. 1861) in decreto Urbis et Orbis dixit: « Sancta Angela Merici... Sacrarum Virginum sodalitium sub « patrocinio et nomine S. Ursulae... instituit, cuius curae de- « mandavit, ut adolescentulas tam divites quam pauperes fidei « rudimenta doceret, ad recte casteque vivendum informaret, « illisque eas, quae propriae mulierum sunt, exercitationes tra-

« deret. Uberes ex hoc Instituto Angela ad Ecclesiae bonum « et Societatis retulit fructus, eique Deus Omnipotens ita gra- « tiae suae dona copiose largitus est, ut ubique terrarum dif- « funderetur ». Parochus itaque virginitatis excellentiam populo et maxime puellis ostendat; sic enim certo certius virginalem vitam aliquae electurae erunt. Ipsae quovis terreno affectu solutae, Caelestisque Sponsi dumtaxat amore aestuantes, toto animo non solum in propriis familiis Religionem custodire curabunt, sed etiam in vicinia puellarum curam suscipient. Illas diebus festis a periculis avertent, secumque ducent ad ecclesiam, ad sacramenta, nec non ad honestas recreationes. Vigilabunt super iisdem, et, si quae minus bene propendere videantur, erga ipsas sollicitudinem adaugebunt, nec facile erit quod aliqua se separet atque ad malum declinet. Sic fervor servabitur, perseverantia et magna unio obtinebitur; et parochus singularem pietatem, spectabilemque morum honestatem in sua paroecia florescere conspiciet. Regulae inspici poterunt in libello, cui titulus *Manuale delle Vergini* (Ed. Faventiae an. 1881).

§ XVII.

De Parocho quoad relationes cum Episcopo.

1258. *Quid de relationibus istis?* Parochus relationes habet (et subinde habere debet) cum Episcopo 1. quoad consilia ab eo petenda; 2. quoad dispensationes, facultates vel approbationes ab eo obtinendas; 3. quoad denuntiationes ei deferendas; 4. quoad obedientiam ei praestandam; 5. quoad auctoritatem illius sustinendam et obsequia ei praebenda; 6. quoad iura ei persolvenda.

1259. *Quid notandum circa consilia ab Episcopo petenda?*

I. Quum consilia Episcopi sint auctoritativa (non vero mere doctrinalia), ad quietandam conscientiam valent plus quam decisiones cuiuslibet theologi, et (nisi evidentur de errore constet) regulam tutissimam semper suppeditabunt.

III. Consilium Episcopi, modo ex stricta obligatione et modo ex magna convenientia, exquiri debet in casibus momentosis, si periculum errandi plus vel minus adsit; speciatim si commode exquiri possit, aut alii desint a quibus pro rei gravitate sat tutum consilium exposci valeat.

IV. Casus magis practici sunt sequentes: 1. Denegatio sacramentorum (*cf. n.* 762. 1003); 2. Denegatio sepulturae ec-

clesiasticae.(*n.* 1125) ; 3. Si parentes singulari casu infantem baptizare nollent (*n.* 749) ; 4. Si detur casus extraordinarius et difficilis in moribundo propter retractationes etc. (*n.* 803); 5. Si periculum adesset obviam eundi magnis discordiis cum parochis conterminis, vel cum piis confraternitatibus, vel cum potestate civili etc. 6. Si parochus, propter senectutem vel habituales infirmitates, suo muneri non amplius ex toto satisfacere posset; aut si circa proprium vicarium gravia dubia haberet.

1260. *Quid notandum circa dispensationes ab Episcopo petendas?*

I. Ubi, non de declarando an talis vel talis lex urgeat nec ne, sed de veri nominis dispensatione concedenda, parochi requirantur; ipsi, exceptis casibus, in quibus ex manifesta consuetudine id possint (v. g., quoad opera servilia in quibusdam locis et circumstantiis), ad Episcopum recurrere debent.

II. Episcopi dispensare possunt non solum in legibus dioecesanis; sed etiam (pro casibus urgentibus, ita ut non adsit modus et tempus recurrendi ad S. Sedem) in legibus pontificiis, saltem de regula ordinaria.

III. Casus practici, in quibus pro dispensatione ad Episcopum recurrere oportet, sunt speciatim sequentes: 1. pro celebrando matrimonio, omissis totaliter vel partialiter proclamationibus (*n.* 910. 911), vel statim post ultimam proclamationem (1052), vel elapso bimestri ab ultima proclamatione (919), vel tempore vetito (1030), vel privatim et sine Missa (1001), vel occulte prorsus (celebrando scilicet matrimonium conscientiae *n.* 898). 2. Pro obtinendis (sive ab Episcopo sive per Episcopum) dispensationibus ab impedimentis matrimonialibus, sive ante sive post matrimonium sive ipso actu (dum omnia sunt parata), detectis (*n.* 1071. 1073. 995); 3. Pro obtinendis dispensationibus a votis S. Sedi non reservatis vel pro foro externo; 4. Pro delatione SS. Viatici cum bireto iuxta dicta (*n.* 858), vel occulte prorsus (*n.* 834); 5. Pro dispensatione ab aliquo ritu, administrando Sacramenta tempore pestis (851. 857. 6); 6. Pro administrando Baptismo domi solemniter (748), vel pro differenda illius administratione ultra triduum (747).

1261. *Quales sunt casus magis mentione digni, in quibus ad Episcopum recurrere oportet pro facultate aliqua sive ab ipso sive per ipsum obtinenda?* 1. Pro facultate abessendi a residentia parochiali (*n.* 576); 2. Pro alienatione rerum vel locatione fundorum Ecclesiae; 3. Ad assistendum matrimonio personae, de qua dubitatur an vere parochiana dici possit; vel

si contrahens videretur semifatuus; vel si parentes essent inviti; vel si matrimonium per procuratorem aut epistolam aut sub conditione (n. 1001) aut quin actus civilis perfici velit (885) contrahendum foret. 4. Pro faciendis exorcismis solemniter; 5. Pro conferendo Baptismo infideli adulto (*n.* 753). 6. Pro permittenda laudatione funebri in coemeterio personae saeculari (1148).

1262. *Quales sunt casus practici, in quibus oportet recurrere ad Episcopum pro obtinenda aliqua approbatione?* Sunt speciatim pro obtinenda approbatione vicarii, vel concionatorum quadragesimae, adventus, missionis etc.

1263. *Quid de denuntiationibus Episcopo faciendis?* Casum habes 1. Si factis publicationibus, impedimentum aliquod deferretur (920); 2. Si parochus contra clericum aliquid grave subsistere detegeret (*n.* 880); 3. Si contra sacros canones in aliis ecclesiis tempore catechismi populus campanae sonitu convocaretur; 4. Si novis miraculis, novisve revelationibus in paroecia obventis notitia reciperetur.

1264. *Quid si parochus esset etiam vicarius foraneus?* Tunc denuntiare teneretur Episcopo 1. Si quis parochorum sui vicariatus diem supremum obierit, et haec denuntiatio nulla interiecta mora fieri debet. 2. Si (quod absit) in clero eius vigilantiae commisso scandalum vel gravis aliqua inordinatio accideret.

1265. *Quid de obedientia Episcopo praestanda?* Si non de simplici consilio vel exhortatione, sed certe de vera lege vel praecepto res sit, Episcopo obediendum est sine dubio. Caeterum simplicibus quoque Episcopi consiliis obsequium magnum praestari debet; unde vulgo dicitur quod consilia superiorum habenda sunt tamquam praecepta. Adde quod interdum consilium Episcopi legis naturalis declaratio est.

1266 *Quid si lex facta quidem fuisset, sed non observaretur?* Si Episcopus reclamet; aut inobservantia restringatur ad aliquos, et sic scandalum ingerat; tunc obediendum erit. Si vero etiam a parte meliore cleri lex non observetur, et inobservantia scandalum amplius non praebeat, atque Episcopus videat et taceat; tunc quod lex ipsa per consuetudinem contrariam vere cessaverit, credendum erit. Notandum quod consuetudo contra legem, stante superioris videntis et tacentis conniventia, brevi tempore efformari potest.

1267. *Quid si lex videretur irrationabilis et proinde invalida?* Practice difficile admodum est quod ex hoc solo capite

subditi ab illius observantia eximantur. Oporteret enim ut ex una parte dubium esset grave, prudens et maturatum, sine periculo hallucinationis, atque adeo esset etiam apud sacerdotes magis doctos et exemplares; et ex alia lex naturalis (propter turbationes et scandalum) non exigeret, ut lex positiva (quamvis per se invalida foret), ad maiora mala evitanda, observaretur. Practice itaque lex erit observanda, donec consuetudine (ut supra) aut alio modo legitimo non abrogetur.

1268. *Quid si Episcopus praeciperet executionem legis pontificiae; sed lex ista videretur aliter interpretanda?* Interpretationi practicae ab Episcopo imperatae standum est, donec S. Sedes contrarium non decernat.

1269. *Quid de sustinenda auctoritate Episcopi?* Censurare actiones sive privatas sive publicas Episcopi, ut plurimum, iniustum et temerarium est; subditi enim difficile cognoscere possunt motiva, quae ad talem vel talem determinationem superiorem impulerint. Quamvis autem Superior vere errasset vel utcumque male se gessisset, recolendum esset non solum quod non reperitur homo sine defectu (et proinde patientia et charitas adhiberi debet); sed etiam quod bonum publicum exigit ut existimatio et auctoritas Episcopi (modo tacendo, modo excusando etc.) quantum fieri potest sarta tectaque servetur et sustineatur.

1270. *Quid de iuribus Episcopo persolvendis?*

I. Alicubi quaedam pensio Episcopo solvitur, sive vi iuris communis, quo casu cathedraticum vel synodalicum vel pensio paschalis vocatur; sive vi legis dioecesanae, quo casu subsidium charitativum, vel quarta decimatio, vel quarta mortuaria, vel quarta episcopalis appellatur. In his omnibus, dicit Vecchiotti (*I.* §. 65), consuetudo cuiusque Dioecesis retinenda est.

II. Alicubi Episcopus exigit aliquid pro Chrismate et SS. Oleis, scilicet pro expensis necessariis in materia comparanda et ministris retribuendis. Taxa ista est contra SS. Canones; sed, si ab immemorabili semper exacta fuerit, et valde modica sit, tolerari potest. S. C. C. 20 *Dec.* 1879 (*Acta XIII. pag.* 180-184).

III. Occasione S. Visitationis Episcopi ius habent ad procurationem; qua de re Tridentinum (XIV. III) dicit: « Caveant « ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint neve « ipsi, aut quisquam suorum, quidquam procurationis causa pro « visitatione.... nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, « etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non obstante qua-

« cumque consuetudine etiam immemorabili; exceptis tamen « victualibus, quae sibi ac suis frugaliter moderateque, pro « temporis tantum necessitate et non ultra, erunt ministran- « da.. .. Quod si quisquam (quod absit) aliquid amplius in su- « pradictis casibus omnibus accipere praesumpserit; is, praeter « dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poe- « nis... absque ulla spe veniae, mulctetur ».

1271. *In procuratione praedicta comprehenduntur ne vecturae?* Si standum sit decisionibus, quae a S. Sede hucusque prodierunt, responderi debet negative. Teste Vecchiotti (*I.* § 64), S. C. C. (25 *Febr.* 1826) decrevit quod itineris et equorum seu vecturarum expensae nunquam Episcopo visitanti debentur. Vide etiam Lucidi (*I.* I. 51) et Ferraris (*v.* Episcopus *Cap. VI. n.* 115).

1272. *Procuratio debeturne Episcopo etiam in civitate episcopali et suburbiis?* Negative. Ita S. C. C. pluries. Cf. Vecchiotti (*l. c.*).

1273. *Quid si consuetudines essent in contrarium?* Apud Acta S. Sedis (*XV.* 85) legitur: « Nihil esse accipiendum, « praeter victualia, sacrae visitationis causa, ita rigorose « praeceptum fuisse, ut minime proficiat contraria consuetudo, « etiam immemorabilis ». Quum quidam Coeremoniarius ex antiqua consuetudine recipere soleret duodecim libellas a Rectoribus Ecclesiarum, S. C. C. interrogata an talem retributionem percipere valeret, (17 *Dec.* 1881) respondit: *Negative; nisi operam suam praebeat a Rectoribus Ecclesiae specialiter invitatus.* Apud Acta (*l. c.*).

§ XVIII.

De parochialibus libris, regestis, documentis, instrumentis, etc. et de archivio.

1274. *Quinam sunt libri parochiales?* Sunt 1. Liber baptismorum, si paroecia sacrum fontem habeat: 2. Liber confirmatorum; 3. Liber matrimoniorum; 4. Liber defunctorum; 5. Liber status animarum.

1275. *Quaenam sunt alia regesta, documenta, instrumenta etc.?* 1. Inventarium rerum Ecclesiae, scilicet bonorum immobilium, mobilium, iurium etc. 2. Elenchus onerum quibus Ecclesia gravatur; 3. Documenta et instrumenta, quae ad praedicta bona et onera spectant. 4. Regesta pro uniuscuiusque oneris,

(scilicet Missarum pro populo, pro hoc vel illo legato pio etc.), satisfactione a parocho exequenda. 5. Regesta pro oneribus v. g. decimarum, censuum etc. satisfaciendis ab aliis. 6. Regesta pro piis confraternitatibus, si a parocho regantur et administrentur. 7. Theca (*busta*) continens chartas ad Vicariatum spectantes, si parochus sit etiam vicarius foraneus. 8. Theca pro SS. Reliquiarum et Indulgentiarum testimonialibus. 9. Theca miscellanea pro epistolis Episcopi, vel quibuslibet aliis memoriis vel documentis, quae ad praedicta quidem non pertineant, sed necessario vel utiliter servanda sint.

1276. *Quid notandum circa libros parochiales?* 1. Quae scribi debent, in iisdem (non vero in foliis volantibus), et quidem statim, scribantur. 2. Non solum praesentes, sed etiam antiqui, conserventur. 3. Quoad baptismata, exigitur etiam liber notitiarum secretarum (iuxta dicta *n.* 755).

1277. *Quid notandum circa archivium parochiale?* Non tantum ut libri ecclesiae statim inveniri possint, quantum ad evitandum periculum, ne post parochi mortem ab haeredibus sumantur, oportet ut in singulis paroeciis locus pro iisdem reservatus adsit, qui pro archivio primo intuitu cognoscatur, et verbum *Archivium* in fronte habeat. In illo autem libri, instrumenta, regesta etc. supradicta, reponantur, et sub clave custodiantur. Si aliquid ab archivio extrahi atque ad tempus alibi remanere debeat; tunc eius loco memoria ponatur. Alia vero, quae ad parochum spectent atque ad haeredes transire debeant, non in archivio sed alibi teneantur.

§ XIX.

De parocho quatenus est custos atque administrator rerum Ecclesiae et beneficiatus.

1278. *Quomodo, cur, et sub qua culpa tenetur parochus res ecclesiae custodire?* Debet eas custodire diligenter, quia (ut ait Trid. XXV. II) *Dei sunt*, et summopere oportet ut sarta tectaque serventur, ut Dei cultui et pauperum levamini prospici possit. Negligentia gravis, ex qua grave detrimentum vel periculum suboriturum esset, peccati mortalis reatum includeret sine dubio.

1279. *Explica in particulari ad quid teneatur parochus ut custos rerum Ecclesiae?* Tenetur 1. ad inventarium; 2. ad

conservationem ; 3. ad defensionem ; 4. ad manutentionem ; 5. ad procurandam fructificationem.

1280. *Quid de inventario?* Parochus, dum primitus ecclesiae suae possessionem ceperit, cognoscere debet quomodo res se habeant; nempe quinam sint fundi, quaenam capitalia et iura; quid in bono statu et in tuto, quid vero in malo statu et in periculo sit; et quanti sint (in media) redditus annui. Deinde quaenam sint onera, et expensae necessariae. Sic inventarium conficiet in duplici exemplari, quorum unum apud se retinere, et aliud in Cancellaria Episcopali deponere debebit. Mutationes autem, quae in posterum locum habebunt, in ipso sine mora adnotanda erunt.

1281. *Quid de conservatione?* Imprimis vigilandum erit ut conserventur capitalia. Vigilet praecipue parochus ut suo tempore hypothecae renoventur; et ne capitalia in manibus non tutis, aut futuris periculis exposita sive apud se ipsum sive apud alios, relinquantur. Non permittat ut servitutes efformentur. Curet deinde ut iura omnia conserventur. Hinc, v. g., parochus *iura stolae* exigere debet; secus enim successoribus praeiudicium inferret. Attamen vide dicta (n. 1127).

1282. *Quid de defensione?* Parochus iura Ecclesiae inique oppugnata aut non satisfacta, etiam ope tribunalium (attamen solum in casu extremo et pro re vere momentosa; non vero si solum de aliquo iure stolae pro casu extraordinario ageretur) sustinere, defendere et exigere debet; cavendo tamen ne in lites mali exitus periculosas improvide se coniiciat. Ex proprio litis expensas sustinere teneretur, etsi sine sua culpa lis necessaria evasisset. Si tamen expensae modicae non forent, et de iuribus non propriis praecise sed beneficii ageretur; tunc (si ex beneficio ipso superflua sufficientia non remaneant) aliquas reductiones, aut facultatem aliquid alienandi, vel debitum beneficii ipsius nomine contrahendi, implorare deberet *Cf. Lugo* (*De Iust. IV.* III. 51).

1283. *Quid de manutentione?* Si fundos rusticos aut fabricas sub sua administratione habeat, reparationes necessarias (quoad arbores, vites, muros, trabes etc.), ut in bono statu serventur, procurare; et, quod reapse et convenienter factae sint, certum se reddere debet. Quoad expensas, quae ad manutentionem requiruntur, valent dicta n. praec.; beneficiatus quippe (tamquam usufructuarius) ad modicas dumtaxat reparationes tenetur; non vero ad immodicas et extraordinarias, nisi ex propria culpa tales evaserint aut nisi superflua ex beneficio habeat;

secus enim, quomodo sive ex arborum caesione, sive ex aliis bonis ecclesiasticis provideri possit, Episcopus consulendus esset.

1284. *Quid de fructificatione?* Parochus pecuniam ecclesiae otiosam non retinebit; sed tam ex ista quam ex aliis rebus fructiferis curabit ut meliori modo possibili fructus honeste percipiantur; idque praecipue si fructus ad hoc vel illud pium opus adimplendum taxative designati fuissent.

1285. *Quid de contractibus circa res Ecclesiae?* De hoc sermo habebitur infra, ubi de iuribus parochi.

1286. *Quid de oneribus adimplendis?*

I. Onera ista alia sunt fixa, et alia adventitia. Fixa sunt quae parochus sive ex bonis parochialibus, vel utcumque a se administratis, sive ex iuribus ab aliis Ecclesiae solvendis adimplere debet; et consistere possunt in pensionibus, dotibus, eleemosynis, missis, anniversariis etc. Adventitia autem sunt, v. g., onera missarum quae sive ex eleemosynis recollectis pro animabus purgantibus, sive pro funeribus, sive qualibet alia de causa celebrari debeant.

II. Non semper sufficit si parochus faciat sicut antecessor facere solebat; forte enim consideratum non fuit, v. g., quod reductiones erant temporaneae et tempus iam praeteriit (An autem in re huiusmodi dari possit praescriptio legitima, vide S. Lig. VI. 325). Parochus itaque omnia et singula onera fixa bene cognoscere procurabit. Hinc pro unoquoque onere librum habeat, in quo sequentia describantur: 1. Brevis oneris ipsius historia cum praecisa indicatione fundationis; 2. praesens debitor (quatenus opus sit); 3. summae de vice in vicem singulis annis perceptae; 4. erogationes annuae; 5. reductiones et rescripta, si quae locum habuerint; 6. quidquid demum necessarium videatur, ut Episcopus (cuius revisioni omnia subiici debent) intelligat quomodo res se habeant.

III. Onera adimpleri debent prout iacent, neque posticipari et (si de Missis singulis annis celebrandis agatur, vel si utcumque ex anticipatione damnum aliquod successoribus vel aliis obvenire possit) nequidem anticipari valent. Onera adimplenda sunt diligenter et cum circumstantiis a fundatore requisitis vel a legitimo superiore determinatis. Si impedimentum aliquod obstaret, res ad Episcopum deferri deberet.

IV. Onera adventitia in apposito libro notanda sunt, cum indicatione eleemosynae et circumstantiarum, quae forte ab offerente requisitae fuerint. Adnotatio fieri debet statim. Onera autem, quibus intra modicum tempus et iuxta intentionem of-

ferentium satisfieri nequit, in conscientia acceptari non possunt. Vide Bened. XIV. (*De Syn. XIII. ult.* 10).

1287. *Quid si redditus ad onera Missarum adimplenda designati deficerent in toto vel in parte?* Si deficerent in toto sine culpa parochi; tunc pro tempore talis deficientiae adimplementum (privata quoque auctoritate) supprimi posset. S. C. C. (*apud Monitore III.* I. 184). Si vero deficerent solum in parte; tunc, nisi aliquando deficiant et aliquando superabundent (*Praxis Ed. I. pag.* 363), reductio a S. Sede obtineri poterit. Aliqui dicunt, privata quoque auctoritate adimplementi imminutionem fieri posse; sed, saltem loquendo de imminutione stabili et de iure positivo, haec doctrina admitti nequit; Ecclesia enim, ad praecavendum periculum hallucinationis et abusuum, omnino exigit ut (quamvis de re manifesta ageretur) reductio petatur. Cf. S. Lig. (*VI.* 331. *d,* 2) et Tamburini (*De Sacr. Missae III.* I. § 2. *n.* 2. *et* § 3. *n.* 90).

1288. *Quibus de causis Missarum reductiones a S. Sede obtineri solent?* Causae istae sunt 1. paucitas sacerdotum; 2. stipendii tenuitas vel augmentum stipendii currentis; 3. extenuatio reddituum; v. g. propter tributa valde aucta etc. 4. maiores expensae necessariae ad victum; 5. si urgeret necessitas pro fabricis; 6. specialis paupertas beneficiati etc. S. Lig. (*VI.* 331) 7. interdum maiores labores, eo quod, deficientibus sacerdotibus, auxilium non habeatur; vel maiores expensae pro vicariis et coadiutoribus; vel maior necessitas eleemosynas pauperibus elargiendi etc.

1289. *Quid si prius alia reductio obtenta fuisset?* In supplici libello, id exprimi deberet. Scavini (*III.* 264).

1290. *Quid si parochus, facultate minime petita, oneris alicuius adimplementum omisisset?* Supposita causa sufficienti seu magna difficultate debito satisfaciendi, sanatoria vel compositio a S. Sede impetrari poterit. Pro foro externo (ope Curiae Episcopalis a Rev.ma fabrica S. Petri, et pro foro conscientiae a S. Poenitentiaria per confessarium, tacito nomine poenitentis) obtineri poterit. Si qui gratiam petit esset recidivus (aliam scilicet sanatoriam obtinuisset); maxime vero si ex malitiosa intentione veniam obtinendi, missarum celebrationem praetermisisset; tunc id exprimere deberet; secus enim gratia invalida foret. Inter causas rationabiles ad sanatoriam obtinendam praecipua est paupertas sacerdotis, quae potest esse *relativa*, quatenus scilicet, etsi sacerdos otiose non vivat sed laboribus sibi convenientibus incumbat, non plus habeat quam necessarium

ut iuxta decentiam sui status vivere possit. Cf. Scavini (*III.* 264) et Bened. XIV (*De Syn. XIII. c. ult. n.* 15).

1291. *Quid si, sanatoria vel missarum reductione iam obtenta, cessaret causa propter quam obtenta fuit; sacerdos scilicet dives evaderet, vel redditus augerentur aut recuperarentur?* Sanatoriam valere in perpetuum et nunquam vim suam amittere passim dicunt (*Cf. Monitore III.* I. *pag.* 185). De reductione, teste Scavini (*III.* 263, *q.* 1), Theologi non conveniunt. Ego sic dicerem: Gratia (scilicet sive reductio sive sanatoria) vim suam amitteret 1. si sub conditione concessa fuisset; 2. si redditus recuperati solo titulo Missarum celebrandarum (vel simili) darentur. In aliis casibus, non obstante cessatione causae, gratia perdurare videtur; quando enim S. Sedes vult ut reductio valeat solum causa durante, id exprimere solet; et aliunde (quum Ecclesia aliter iam suppleat) expedire videtur, ut, ad evitandos scrupulos, confusiones et lites, res istae stabiles sint, iuxta regulam iuris LXXIII: « Factum legitime re- « tractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non « potuerit inchoari ».

1292. *Quid si parochus dotes vel eleemosynas distribuere deberet ex legato pio eius administrationi commisso?* Distributio fieri debet iuxta sensum in testamento expressum, nempe iuxta id quod testator in mente habebat; quod eruitur a sensu naturali et obvio verborum, nisi ex circumstantiis argui debeat quod in sensu plus vel minus alieno a naturali locutus fuerit. Si autem tali modo legatum adimpleri nequiret; tunc ad Episcopum vel ad S. Sedem recurrere oporteret. Episcopus, iuxta S. Lig. (*III.* 931. *q.* 2), non equidem semper sed aliquando ad commutationes procedere potest; si nempe clare pateat quod testator ipse talem vel talem commutationem approbaret; ita ut, si viveret, nunc sic disponeret.

1293. *Quid de eleemosynis ex legato dandis pauperibus?* Bonacina dicit (*III.* XVII. 8. § 4. *n.* 2): « Testatoris voluntas « adimpleri videtur, quibuscumque pauperibus (eleemosyna) « tradatur..., etiamsi extent alii maiori paupertate laborantes ». Cf. Praxis (*Ed. I. pag.* 381).

1294. *A dotibus, quae puellis honestis dandae sunt, debetne excludi puella, quae notorie quidem sed semel lapsa fuerit?* Sanchez (*VII.* XCI. 31-36) dicit: « Legatum minime perdi, « admissa una vel altera fornicatione; sed quando foemina ita « passim sui corporis copiam facit, ut merito dici possit inho- « neste vivens.... unde in proverbium abiit: *Una hyrundo non*

« *facit ver*... Deducitur quid sentiendum sit de legato annuo « relicto, ut quotannis distribuatur ad collocandas in matrimo- « nium foeminas honestas.... Existimo posse distribui foeminae « quae semel vel iterum fornicationem admisit ».

1295. *A dotibus, quae dandae sint virginibus, debetne excludi puella clam corrupta?* Negative; bene vero si notorie virginitatem amisisset. Cf. Praxis (*Ed. I. pag.* 379).

1296. *Verbum puella* (*it.* zitella) *quid significat?* Significat foeminam quae saltem duodecimum annum compleverit, et nunquam nupserit; viduae enim non dicuntur puellae.

1297. *Dotes dandae puellis nupturis possuntne dari puellis religionem ingressuris?* Negative. S. Lig. (*III.* 930).

1298. *Dotes dandae puellis monacandis, possuntne dari puellae, quae vota perpetua quidem sed simplicia emittat in congregatione ab Ecclesia approbata?* Affirmative; dummodo testator contrarium clare non statuerit. Cf. Lucidi (*II. pag.* 309).

1299. *Dotes relictae puellis nupturis possuntne dari viduis iterum nupturis; et legatum relictum orphanis potestne dari filiis qui habeant parentes inutiles?* Negative. Posset tamen Episcopus talem commutationem concedere, si forte puellae et orphani veri nominis tunc deessent.

1300. *Quid de parocho quoad fructus praebendae parochialis?* Si, ultra expensas necessarias pro onerum satisfactione et pro honesta et decenti sua sustentatione, superflua adessent; tunc illa in usus pios erogare stricte teneretur. Sed de hoc sermo ex professo redibit infra, ubi de iuribus parochi.

1301. *Quid notandum circa officium divinum in festo Titularis?*

Parochus celebrare debet festum Titularis ritu duplici 1. cl. Fit de Titulari, nisi occurrat 1. Cum alio dupl. I. cl. digniori (quale esset etiam Festum Nativ. S. Io. Baptistae et Ss. Ap. Petr. et Pauli); 2. Cum. Dom. I. cl.; 3. Cum vig. Nativ. D. N. I. C. et Pent.; die Circumcis.; die oct. Epiph.; fer. 4. cin.; tota hebdom. mai.; infr. oct. Pasch. et Pent.; in Ascens. D.; in fest. Corp. Christi; in Assumpt. B. V.; et solemn. omnium Sanctor. In tali occursu transfertur ad primam diem non impeditam iuxta regulas translationis. Si non adsit offic. propr., fit de commun.; lectiones, utrum ex 1., an vero ex 2. loc. sumi debeant, dignoscitur ex evangelio vel oratione; sin minus, prout melius videbitur. In Missa dicitur Cr.

Post Festum celebratur octava; quae tamen non habet locum a fer. 1. cin. usque ad Dom. in Albis; a vig. Pent. usq.

ad fest. SS.mae Trinitatis; et a die 17 decemb. usq. ad Epiphan. inclusive. Infra oct. fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus cum commemoratione octavae. Si vero occurrant dies neque dictis festis neque dominicâ impediti, tunc fit de oct. ritu semiduplici. Lect. 1. noct. script. curr.; lect. 2. et 3. noct. de communi (quae ex 1. et 2. loc. alternandae sunt, si pluries de octava fiat). Missa sicut in die Festi cum. 2. et 3. orat.

Dies octava celebratur ritu dupl. min. Si eo die occurrat dupl. 1. vel 2. cl., tunc de die octavae fit commemoratio dumtaxat in vesp., laud., et miss. etiam solemni. Si tale dupl. classicum non occurrat, tunc fit de die octava; et omnia sicut in die Festi, exceptis lection. quae in 1. noct. erunt script. curr. et in aliis de communi cum commemoratione Sancti occurrentis in I. et II. vesp. in laud. et miss.

Si festum Titularis aut eius octava deiecerint a propria sede alia festa in kalendario indicata, ut supra diximus, tunc ista transferri debent, nisi sint duplicia minora vel semiduplicia, quia hoc in casu simplificanda sunt eo die quo cadunt, iuxta novas rubricas a SS. D.no Nostro Leone XIII promulgatas.

§ XX.

De parocho quoad officium rectoris Ecclesiae.

1302. *Ex hoc capite parochi ad quid tenentur?* Praeter supra dicta (*n.* 1286 *et* 1131) circa onerum adimplementum, et devotionem in sacris functionibus procurandam, tenentur speciatim ad sequentia:

I. Curent ecclesiae apparatuum, et totius sacrae supellectilis decentiam, munditiem et nitorem; item renovationem SS.mi Sacramenti et aquae lustralis. Provideant ut lampas ante ipsum SS.mum Sacramentum nocte et die semper ardeat; et clavis tabernaculi in tuto custodiatur. Vigilent ut vinum pro Missis non sit aqua mixtum vel adulteratum. Non permittant ut vota cerea vel argentea pro gratia obtenta partes minus pudicas repraesentent (*S. R. C.* 19 *Maii* 1881). Animadvertant ne petra sacra alicuius altaris (v. g., per fractionem), vel calices (propter deauritionis amissionem vel foramen), vel sacra indumenta (per amissionem propriae formae) dissacrata evaserint.

II. Curent ut rubricae observentur, et speciatim 1. Ut tabernaculum SS.mi Sacramenti conopaeum habeat; 2. Ut corpora-

lia, pallae, tobaleae altaris, amictus, albae, cingula, manipuli, stolae et casulae (si de novo conficiantur), nisi prius rite benedicta fuerint, non adhibeantur; neque (antequam manu clerici in sacris fuerint abluta) purgatricibus tradantur; neque demum, si pro ecclesia inutilia evaserint, ad usus profanos adhibeantur. 3. Ut clerici in minoribus subdiaconi vices non gerant, seclusa vera necessitate; nec sufficit si inserviant sine manipulo. (*Decr.* 5126. 3860).

III. Horis fixis, populo commodis et sub quovis respectu convenientibus (quamvis sibi incommodis) Missas ordinent, aliasque sacras functiones peragant. Dixi *sub quovis respectu convenientibus;* cavendum enim est ne inconsulta novitate aliarum ecclesiarum functiones turbentur.

IV. Non permittant ut advenae et prorsus incogniti debitisque destituti litteris testimonialibus Missam celebrent; etiamsi circa hoc nihil peculialiter proprius statuerit Episcopus; generalis enim Ecclesiae disciplina id vetat. Berengo (*n.* 156).

V. Caveant (quantum fieri poterit) ne tales confessarios aut praedicatores acceptent, qui perperam vel sine fructu proprio muneri functuri sint, quamvis Episcopus adhuc illos non suspenderit. Idem dic de sacerdotibus nimis festinanter et irreverenter cum populi scandalo Missam celebrantibus. Intellige si modo stabili acceptari debeant. Si autem iam fuissent acceptati, tunc aut eorum emendationem procurent, aut (nisi maiora mala pertimescant) illos arceant, aut saltem Episcopo denuntient.

VI. Circa laicos sacristiae inservientes vigilent, ut sacerdotibus et rebus sacris debitam reverentiam praestent, neque sacerdotum defectus propalent. Maxime vero vigilent ne pueri sacristiae addicti in vicinis cubiculis aliisque locis solitariis turpia committant.

VII. Curent ut omnia, maxime vero picturae antiquae et aliae res pretiosae, nullum detrimentum patiantur et bene serventur. Caveant quam maxime ne, ex intentione eas restaurandi vel ad meliorem formam reducendi, illarum valorem atque pretiositatem ad nihilum redigant.

VIII. Sedulam operam navent, ut omnia in tuto sint. Provideant speciatim ne tempore nocturno quisquam in Ecclesia aut turri campanaria absconditus remanere possit. Vasa sacra atque alias res magni momenti sub clavibus retineant, clavesque apud semetipsos servent.

IX. Aeris quoque salubritatem a se curandam esse censeant; et proinde identidem (maxime vero postquam magnus populi

concursus in ecclesia adfuit) efficiant, ut omnia aperiantur, et sic aer renovetur.

X. Devotiones antiquas non destruant, sed illas foveant atque ut magis magisque adaugeantur, satagant.

XI. Laudandus qui alias quoque devotiones ab Ecclesia approbatas (annuente Episcopo) introducit. Attamen 1. Cavendum ne ad nova festa novasve functiones introducendas eleemosynarum collectiones nimis multiplicentur; hodie enim christifideles hoc in puncto nimia molestia passim afficiuntur, et quasi scandalum efformatur. 2. Eleemosynae collectae, ad finem propter quem datae fuerunt usque ad assem scrupulose erogentur. 3. Non facile festum introducant, si iam aliud eiusdem tituli in alia eiusdem loci ecclesia (populo valde participante) celebretur. 4. Cavendum denique (ruri, aut in parvis oppidis) ne diebus ferialibus nimiae functiones peragantur. Semper enim in eo esse ut campanae pulsentur, populusque advocetur, potius quam in aedificationem, in destructionem redundare potest; facile enim accidit quod foeminae plus aequo accurrant, et sic propriis muneribus deficiant, virosque ad iracundiam provocent; unde tandem parochus minus existimetur; et tamquam imprudens et nimis exigens traducatur; ut dicit etiam S. De-Rossi

XII. Quoad functiones ante ortum et post occasum solis peragendas, scripsit Berengo (*n.* 182): « Hac in re attendenda « est consuetudo et indoles populi; nam in plurimis locis id « solum custoditur ut sacra non potrahantur ad multam no- « ctem ». Scavini (*I.* 663) dicit: « Hodie fere ubique ruricolae « in pagis, operarii in civitate ad exercitia spiritualia, ad no- « vendialia, praedicationem etc. in feriis nonnisi sub noctem « convenire possunt ». Episcopi Neapolitani in Epistola 26 Apr. 1864 (*apud Berengo l. c.*) scripserunt: « Cultus catholicus « necessario requirit, ut Ecclesiae accessibiles sint fidelibus ante « ortum et post occasum solis; et praeceptum de habendis sa- « cris conventibus ab albescente ad vesperascentem diem qua- « tuor quintas partes catholicorum impediret a participatione « functionum catholici cultus ». Attamen, quando populo sub noctem in Ecclesia aditus relinquitur, oportet omnino ut Ecclesia ipsa quaquaversus ita illuminetur, ut turpium actionum periculo aditus praecludatur.

XIII. Solemnitates cum pompa extraordinaria (nisi sint nimis frequentes) omnino approbari debent; quamvis enim malis non careant, tamen ad catholicum cultum sustinendum et augendum quam maxime deserviunt, atque ab Ecclesia approban-

tur. Curandum tamen ut (prouti poterit) musica theatralis et profana arceatur; brachio saecularis auxilio sapientique rerum omnium dispositione inordinationes praepediantur; et demum ne ultra vires expensae fiant, unde Ecclesia aere alieno nimis gravetur. Dicerem etiam, solemnitates non facile a solito die ad alium esse transferendas, et omnino non esse tolerandum ut dies, in qua huiusmodi translatio fiat, alicuius Sacri Mysterii aut festiva de praecepto alterius Sancti sit.

XIV. Parochi, si forte aliquam piam confraternitatem in propria ecclesia habeant, magno affectu illam foveant; hae enim confraternitates (*ut ait Berengo n.* 187) sunt veluti totidem fidei publica testimonia, et mirum in modum deserviunt, ut hi qui ipsis adscribuntur, dum propriam protestantur fidem, pietatem simul foveant, morum honestatem sectentur, et ad eas alios etiam proprio exemplo alliciant. Praeterea, parochis praesertim, magno adiumento sunt; in hodiernis enim ecclesiarum angustiis (praeter multas in suffragiis erogationes) ad externi cultus splendorem per propriarum solemnitatum celebrationem (sine ullis parochi expensis) valde conferunt. Parochi itaque cum ipsis comiter omnino se gerant; et, nisi agatur de rebus prorsus non tolerabilibus (ut puta, si parochiales functiones omnino impedire vellent), multa dissimulent; compatiantur horum laicorum non infrequenti ignorantiae, si quid incaute per imprudentem zelum commiserint, nec contra eos nimis arroganter insurgant; sed placide, benevole, paterne (et quidem solum quatenus speretur fructus) ipsorum defectus notent, et hoc modo facillime vitabunt ne error renovetur. Parochi denique blando modo procurent, ne huiusmodi sodalitia de externo dumtaxat ecclesiae apparatu et clamosis festis cogitent; sed iis quoque, v. g., orationis, frequentiae Sacramentorum, auditionis verbi Dei etc. exercitiis incumbant, quae animos ad verae pietatis sensus conducere valent.

XV. Si parochus ab aedituis (*dai fabbricieri*) dependeat, curet ut viri probi, atque Ecclesiae sibique benevoli eligantur; et in hunc finem suo iure praesentationis (quatenus illud habeat) utatur. Insuper inventarium accurate conficiat, atque aedituis ipsis (et speciatim thesaurario) invigilet prudenter. Attamen cum ipsis concordiam (nisi de rebus omnino intolerandis ageretur) servare procuret.

§ XXI.

De parocho quoad relationes cum aliis parochis et sacerdotibus suae congregationis seu plebanatus.

1303. *Hac in re quid potissimum notandum?* Servanda est concordia. Defectus concordiae inter sacerdotes valde notatur a saecularibus et speciale scandalum producit. Adde necessitatem mutui auxilii pro festis et functionibus extraordinariis, quod propter discordias valde imminui solet.

1304. *Quomodo servabitur concordia?* 1. Cavendum ab invidia, et ne propter festa aliasque sacras functiones (populi concursum sibi invicem auferendo) contentiones exurgant. 2. Cavendum solertissime a critica, a qualibet murmuratione et litigiis. 3. Adhibenda est patientia. Alienos defectus, imo et offensas receptas, dissimulare patienterque tolerare oportet. 4. Praestandum est servitium. Occasione festorum, officiorum etc. unusquisque requisitus, et prout de more, propriam operam praestet. Intellige tamen quantum potest pro viribus et sine proprii gregis detrimento. 5. Deserviunt etiam moderatae confabulationes; maxime vero conferentiae circa theologiam moralem et pastoralem, quae ex legibus dioecesanis, vel iubente Episcopo, sub obligatione cadere possunt. 6. Singularitates, etsi optimae, non nisi prudenter adhibeantur; imo, si quae consuetudo, quae ab aliis servatur, non videretur esse servanda, caute et consulto Episcopo procedendum esset, si ex innovatione discordia non levis pertimescenda foret; saepe enim minus malum tolerare oportet ne peius sequatur. In rebus tamen valde substantialibus, alienis erroribus alienaeque socordiae aut perversitati nemo se uniformare debet; neque ex respectu humano perversis principiis, murmurationibus, scandalis, aliisque rebus omnino intolerandis quisquam plausum facere, aut participare poterit. 7. Prandia (si quae sint de consuetudine) serventur; attamen, invitatis parochis, alii quoque sacerdotes eiusdem plebanatus invitentur; foeminae non assideant: et magna cautela habeatur ne sobrietatis limites excedantur, aut sive murmurationibus sive inconditis clamoribus scandalum ullum saecularibus praebeatur.

§ XXII.

De parocho quoad suam ipsam domum et familiam.

1305. *Expeditne ut parochus proprios consanguineos secum habeat?* Si agatur de fratribus et nepotibus, generatim negative. Rationes sunt sequentes:

I. Ipsi ordinarie non ecclesiae utilitatem sed propriam quaerunt, atque tale rerum omnium dominium sibi arrogare solent ut ipsi revera tanquam domini procedant, et miserrimus parochus (velit nolit) eorum mancipium constituatur; unde ipse neque pro fundis benèficii, neque pro ecclesia, neque pro paroecia, neque pro pauperibus aliquid sine eorum consensu expendere possit; et sic muneribus suis beneficiati, rectoris ecclesiae, et pastoris animarum gravissime deficere cogatur; nisi etiam (quod saepe accidit) in miseriam extremam, et in necessitatem plurimo aere alieno se gravandi, coniiciatur.

II. Ipsi insuper ordinarie manducare et bibere volunt sine ullo labore, et sic otiosissimam vitam ducunt. Quum autem otium sit pater omnium vitiorum, res tandem eo desinunt, ut plus vel minus paroeciae scandalo sint.

III. Accedit quod malum istud est sine remedio; aut enim parochus non audet eos corrigere, aut ipsi illius correctionum nullum timorem habent. Si autem parochus de iis expellendis cogitaret, tot ac tales difficultates intervenire solent, ut hoc practice quid impossibile sit.

IV. Insuper parochus, eos recipiendo, ipsorum malum (et quidem gravissimum) procurat, eosque etiam quoad corpus in ruinam coniicit. Eveniente enim morte parochi, quid de ipsis vivere assuetis sine arte, sine labore, et solum vitiose?

V. Quid denique si aliquis ex ipsis in ipsa domo parochiali uxorem ducere voluisset, ibique, ad novum infelicissimi parochi gravamen et miseriae sub quovis respectu augmentum, plures filios procreasset?

1306. *Quales sunt regulae magis momentosae a parocho observandae quoad suam familiam?* Parochus non solum evitabit, quantum poterit, recipere fratres et nepotes; sed etiam sequentes regulas prae oculis habebit; scilicet

I. Redditus parochiales bene cognoscat; et non solum caveat ne nimia familia se gravet, sed etiam singulis annis expensas iuxta proventus sedulo mensuret.

II. Caveat ne a propria familia scandalum ullum paroeciae

praebeatur. Hinc 1° Si consangüineos habeat scandalosos, vel de quibus graviter timere debeat ne in posterum tales futuri sint, illos non recipiat; et in hoc sit firmissimus, etsi de patre proprio ageretur, vel etsi, ad illos non recipiendos, a recipiendis quoque propriis genitoribus abstinere cogeretur. Si autem graviter indigeant, eos alibi manentes, quantum potest, adiuvet. 2° Sorores vel neptes, si custodia indigerent, non recipiat, nisi forte, v. g., ope matris vel aviae, de custodia ipsa efficaciter adhibenda certus esset. Tunc caveat etiam ne iuvenes domum parochialem frequentent, et multo magis ne stabiliter in ipsa commorentur. Heu quot parochorum neptes, non obstante custodia matris, vel alterius foeminae gravioris aetatis, v. g., propter consobrinum vel famulum, magna scandala dederunt! Quoad vicarium ipsum cautelae adhibendae sunt, nec facile tunc recipi deberet sacerdos iuvenis, maxime si non magnam gravitatem praeseferret. Quid si neptis in domo parochiali esset sola, et saepe saepius in plena libertate remaneret? Tunc, nisi forte valde seria et pia esset, nequidem de eius aetate provectiori fidendum foret. Vide etiam dicta (*n.* 1196).

III. Nunquam permittat parochus ut familiares se ingerant in rebus beneficii et paroeciae. Haec ingerentia accideret 1° Si fructuum beneficii administrationem ad se revocare vellent; 2° Si expensis v. g. pro sacris missionibus, vel pro decore ecclesiae, restaurationibus, subventionibus etc. se opponerent; aut sacerdotes a parocho in auxilium accitos male tractarent etc. 3° Si malitiose impedirent ne pauperes eleemosynam a parocho petituri ad illum accederent; 4° Si inquirerent quo motivo hic vel ille parochianus venerit, vel ex industria auscultarent sermones parochiani cum parocho secrete loquentis.

IV. Familia parochi non solum debet non dare scandalum; sed positive esse exemplaris; et proinde parochus curabit ut familiares choreas aliaque periculosa solatia evitent, a luxu abstineant, verbum Dei audiant, sacramenta frequentent etc. Ipse autem cum familia sua quovis die Rosarium recitabit.

1307. *Quid speciatim notandum circa famulos?*

I. Antequam parochus assumat famulum vel ancillam ad proprium servitium, accuratas informationes de eorum moribus, aliisque qualitatibus iuxta circumstantias necessariis, capiat. Inter has qualitates praecipua est gravitas; si enim essent leves et criterio inopes, res transversim acciperent, correctiones non sustinerent, omnia foris asportarent, et sic pro domo parochiali ineptissimi forent.

II. Famulo acceptato (et idem dic de ancilla), parochus vigilet; speciatim in initio.

III. Famuli nec otiosi remaneant, nec labore nimis graventur.

IV. Parochus stet semper in gradu suo, et submissionem atque reverentiam a famulis exigat; ita tamen ut dure cum ipsis non procedat, nec sit quasi leo in domo sua.

V. Fiduciam in illis se collocare ostendat; ita tamen ut de expensis semper rationem exigat.

VI. Si quid reprehensione dignum commiserint, eos statim corrigat; discrete tamen, et pro modo culpae, atque prudenter.

VII. Non permittat ut strictiorem relationem cum parochianis contrahant, et maxime cum familiis quae cum parocho non bene procedant.

VIII. Non permittat ut, quae domi accidunt vel dicuntur, foris asportent.

IX. Cum ipsis avarus non sit, victum convenientem eis praebeat, nec panem eis mensuret. Si infirmentur, quasi pater medelam ipsis tribuat, omnemque curam ipsorum habeat.

X. Debitor erga illos non remaneat, et singulis annis stipendium integrum eis solvat.

XI. Non permittat ut inter famulum et ancillam iurgia interveniant; et, dato casu, severius ancillam quam famulum corrigat. Si autem e contra sympathiam inter famulum et ancillam intercedere deprehenderet, utrumque vel alterutrum eiiciat.

XII. In aliis casibus ad expulsionem difficile procedat. Famuli expulsi de parocho eiusque familia male loqui solent. Si itaque defectus sint tolerabiles, tolerari debent; quandoquidem etiam in novis famulis defectus invenientur; et frequentes expulsiones eo tandem desinunt, ut semper peius servitium habeatur.

XIII. Quoad ancillam multa alia notata fuerunt supra (*n.* 1198 *et seqq.*).

§ XXIII.

De nupero parocho.

1308. *Nuperus parochus quid animadvertere debet imprimis?* Animadvertere debet, in ipsum tunc praecipue universorum oculos intorqueri, primasque impressiones altius animis infigi et difficile unquam extingui; multumque proinde inter-

esse, ut tunc specialissimo modo sua dicta et facta ponderet, ut parochiani valde bonum de ipso conceptum efforment. Hinc, si semper, tunc maxime oportet ut parochus, gravem, modestum, pium, prudentem, comem benignumque se exhibeat, et sic iam inde ab initio existimationem, venerationem, amoremque omnium sibi conciliet.

1309. *Quid de prima concione?* Accuratissime illam elucubrabit. In ipsa suas obligationes summatim exponat: spondeat se, non obstante quocumque suo incommodo, eis esse, adiuvante Deo, satisfacturum: dicat, proprium pondus quantumlibet grave suorum ovium docilitate non parum allevatum iri: de parochianorum obligationibus dein verba faciat, ex quarum executione aeternam eorum salutem pendere ostendat: universorum precibus se commendet, seque vicissim pro iis Deum exoraturum polliceatur: denique se se una cum parochianis suis Deo Omnipotenti, Sanctae Deiparae Virgini, Paroeciae Patrono, Sanctisque coeli universis commendet.

1310. *In primis a suo solemni ingressu diebus, quibus de rebus praecipue sollicitus esse debet?* 1° Si in paroecia adesset hospitale infirmorum, ad illos ante alios omnes se conferat; 2° Urbanitatis legibus erga optimates (si adsint) aliosque in auctoritate constitutos, maxime vero (ruri) vicarium foraneum, satisfaciat. 3° Magna sollicitudine parochiale archivium examinet; et, si forte aliquid desit, inquisitiones faciat, atque ut omnia ad suas manus perveniant solerter procuret (vide n. 1275) 4° Statum animarum quamprimum conficiat, eaque occasione personaliter se ad singulas domos conferat, ut sic suis oculis aliqualiter cognoscere incipiat quomodo res se habeant.

1311. *Quid notandum circa consilia, quae, sive a parochianis sive ab aliis, nupero parocho facile dantur; et circa delationes, quae contra hunc vel illum ei facile deferuntur?* Exceptis personis probatissimis et valde prudentibus, non facile credat relationibus sibi factis; et valde pedetentim procedat antequam circa hos vel illos parochianos favorabilem aut sinistram opinionem concipiat; et multo magis antequam ad aliquam externam determinationem (quae inimicum procurare, vel parochianis displicere possit) procedat.

1312. *Quid notandum circa antecessorem, aut circa diversam ab eo agendi rationem ineundam?* 1° Quatenus antecessor bene se gesserit, nuperus parochus illum laudet; sed de eius defectibus taceat. 2° Quidquid sit de antecessoris agendi ratione, nuperus parochus sua munera substantialia accurate adimpleat;

sed ab aliis innovationibus (maxime in principio) tum quoad spiritualia tum quoad temporalia (intellige nisi magna necessitas urgeret) se abstineat. Antecessoris vestigiis adhaerere studeat; et, si quos leves abusus inveniat, non praepropere, neque zelo inconsulto, sed pedetentim, prudenter et opportune, eos corrigere satagat. Si aliquae innovationes viderentur utiles, animos praedisponat, bonoque semini terram prius paret.

1313. *Expeditne ut nuperus parochus inclinet ad rigorem, an vero potius ad benignitatem?* Potius ad benignitatem. Hinc tam in concionibus quam in confessionali non rigidum sed benignum se ostendat; idque eo etiam fine praestabit, ut animae magis indigentes ab ipso non abhorreant, sed confidenter ad illum accedant.

APPENDIX.

De obligationibus vicarii seu capellani.

1314. *Quaenam sunt obligationes vicarii?* Vicarius supplet vices parochi in administrandis sacramentis, in assistentia infirmis praestanda, in tradenda pueris doctrina christiana etc.; et proinde eius munera magna ex parte sunt illa ipsa, quae ad parochum spectant. Attamen circa officium vicarii aliquid in particulari notari debet; imo vicarii nonnullas speciales obligationes habent.

1315. *Quid notandum in particulari circa officium vicarii?* Officium istud non aegro animo, sed libenter suscipi et expleri debet; speciales enim habet utilitates. Prima consistit in magno merito apud Deum; quum enim hoc officium valde laboriosum esse soleat, quo magis laboriosum, eo magis meritorium erit. Secunda consistit in scientia practica quae acquiritur; aliud enim est addiscere in scholis, et aliud in actu practico versari: et exercitium practicum, sub directione parochi maiorem scientiam et experientiam habentis, theoriae lacunis bene supplet, et efficit ut iuvenis sacerdos errores declinet magnamque promptitudinem in casibus occurrentibus acquirat; unde, si postea ad paroeciam regendam eligatur, non erunt ab eo timendi illi errores, in quos alii inexperti (quamvis forte doctiores) inciderent. Episcopi et Examinatores synodales id sedulo notent.

1316. *Quasnam habet vicarius obligationes non communes parocho, sed prorsus speciales?*

I. Vicarius parochum suum sincere diligere debet. Hinc eius

defectus occultet, bonasque qualitates laudet. Eius agendi rationem nunquam apud alios reprehendat; et, si parochianus aliquis de parocho obmurmuret, acriter illum corrigat. De stipendio, de victu, de rebus familiaribus, aut de aliqua offensa recepta, coram aliis lamenta non moveat; sed parocho ipsi ea declaret quae tolerare non potest. Non propriam sed parochi sui laudem quaerat, eiusque partes semper (quantum potest) tueatur; et solertissime caveat ne cum parochi inimicis familiaritatem ineat, eorumque agendi rationem approbet.

II. Vicarius dependere debet a parocho. Hinc, praeter officia sibi commissa, nihil faciat quin prius parochi ipsius licentiam obtinuerit, neque ad ullam mutationem procedat sine eius consensu libenter concesso. Parochi autem monitis et correctionibus non iam indignetur, sed bono animo acquiescat. Uno verbo humilitas, proprii iudicii atque voluntatis abnegatio, et obedientia perfecta, sunt virtutes vicariis quam maxime necessariae.

III. Vicarius debet esse secretus. Hinc de rebus, quas parochus confidenter ei patefecit, nihil cum familiaribus aut extraneis dicat. Ea etiam quae domi accidunt secreta servet.

IV. Vicarius debet non solum de statu infirmorum parochum certiorem reddere, sed etiam ei significare quidquid acciderit vel didicerit, quod paroeciae regimini deservire possit.

V. Vicarius debet in domo parochiali bene se gerere. Hinc rebus familiaribus et domesticae oeconomiae (nisi ex parochi commissione) non se ingerat. Cum famulis suum gradum servet, sed eos despicatui non habeat. Si forte in domo parochiali foeminae iuvenes adsint, firmissimus sit in nulla familiaritate cum ipsis ineunda. Eas poenitentes stabiles habere declinet; earumque spiritualem directionem non acceptet, nisi necessitas aliud suadeat; quo casu cautissime procedat, et extra confessionale in dandis consiliis spiritualibus cum ipsis (remotis arbitris) non immoretur.

VI. Denique patientiam adhibeat; nec facile cogitet de parocho deserendo propter defectus, cruces, et incommoda; ex una parte enim haec plus vel minus ubique reperiuntur, possentque alibi esse maiora; et ex alia parte mutationes huiusce generis modo valde notabili dicteria excitare, et tam vicario quam parocho praeiudicium inferre solent. Hinc bona regula est ut tunc solum abeat, quando officium magis momentosum ei se praesentet, et Episcopus exoptet, vel saltem libenter consentiat, ut illud acceptet.

ARTICULUS II.

DE IURIBUS PAROCHI.

1317. *Quotuplicis generis sunt iura parochi?* Duplicis; quaedam enim sunt iura spiritualia, et quaedam temporalia.

1318. *Quaenam sunt iura spiritualia?* Sunt quae respiciunt Sacramenta (scilicet baptismum, poenitentiam, Eucharistiam, extremam-unctionem et matrimonium), Missam, alias sacras functiones, praedicationem, funera, dispensationes, electionem coadiutorum, et interventum ad synodum dioecesanam.

1319. *Quaenam sunt iura temporalia?* Sunt speciatim 1° quoad administrationem beneficii; 2° quoad fructus beneficii; 3° quoad oblationes.

N. B. Iura parochorum subeunt modificationes quoad aliquas personas et aliqua loca, v. g., quoad vagos, peregrinos, monasteria, oratoria etc. De modificationibus istis sermo specialis in paragraphis distinctis habebitur. Hic ago prius de iuribus parochi circa administrationem sacramentorum iuxta regulas ordinarias.

§ I.

Iura parochi quoad baptismum.

1320. *Quid de hoc iure?* Si ecclesia parochialis sit etiam baptismalis, parochus ius habet administrandi baptismum in forma liturgica parochianis suis; nisi consuetudo sit ut parochiani alibi pro libito se conferre possint.

1321. *Ius istud pertinetne ad parochum exclusive?* Affirmative. Ius scilicet habet parochus ne (seclusa, ut dixi, consuetudine in contrarium) quisquam alius id praestet sine eius delegatione. Intellige semper si eius ecclesia sit baptismalis, ut dixi.

1322. *Quid si ageretur de baptizando adulto?* Tunc quoque ius baptizandi spectat ad parochum, intra cuius paroeciae limites baptizandus habet domicilium; non vero spectat ad parochum cathedralis. Decisum. *Cf. Bouix* (*De Par. IV.* III.) Attamen vide dicta (*n.* 753).

1323. *Quid si baptismus conferri vellet domi?* Pro casu necessitatis et sine forma liturgica, unusquisque baptizare potest (ut notissimum est). Seclusa necessitate, Rituale dicit: « In privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum « aut magnorum Principum filii....; dummodo id fiat in eorum

« Capellis seu Oratoriis, et in aqua baptismali de more benedì« cta ». Tunc autem (nisi Episcopus per se vel per delegatum baptizare velit) ius baptizandi spectat ad parochum, intra cuius paroeciae fines palatium Principis adest, si paroecia sit baptismalis et sacrum fontem habeat. Si vero paroecia non esset baptismalis; tunc (ni fallor) baptismi administratio spectaret ad Archipresbyterum cathedralis vel matricis; non vero ad parochum, qui (ex hypothesi) baptismi administrandi ius (quod ex instituto originario solis matricibus inest) nunquam acquisivisset (*Cf. Acta III.* 417). Sed quid si alicubi consuetudo esset ut Episcopi filios quoque non Principum facultatem domi baptizandi facile concederent? Tunc ageretur de abusu prudenter et caute eliminando, etsi aqua baptismalis aliaeque coeremoniae adhiberentur, ut patet ex Decr. S. R. C. (27 *Apr.* 1877. *n.* 5688). A fortiori de abusu ageretur, si (prout alicubi fit) coerimoniae quoque omitterentur. (*Cf. Frassinetti Man. n.* 299 *et Zitelli Apparatus II.* n. *a.* 1. § 3). Si tamen absolute obtineri nequiret, ut infans ad Ecclesiam deferretur; tunc Episcopus licentiam concedere posset illum domi baptizandi; sed cum coeremoniis. Hoc in casu si petas ad quem spectet baptismi administratio, si paroecia non sit baptismalis, responderem, Episcopum quidem posse delegare parochum; sed, seclusa hac delegatione speciali, ius ordinarium ad archipresbyterum cathedralis seu matricis spectare.

1324. *Quid si paroecia non esset baptismalis, et parochus sacrum fontem erigere vellet?* Ad hoc ius non haberet; ex eo enim quod ecclesia sit parochialis, non sequitur quod baptismalis quoque (ad instar matricis) esse debeat. Episcopus tamen id concedere posset, salvis iuribus matricis et iustis de causis, si nempe parochiani nimis grave incommodum, ob longitudinem vel asperitatem itineris, subire cogerentur. *Cf. Acta* (*l. c. et* 518).

§ II.

De iure parochi quoad Sacramentum poenitentiae.

1325. *Quid de iure isto?*

I. Parochus habet iurisdictionem ordinariam, scilicet ipsi officio suo inhaerentem, quoad parochianos suos; et haec iurisdictio est non mere territorialis, sed personalis: unde cuiuslibet parochiani sui non solum extra paroeciam, sed etiam extra dioecesim, confessionem valide, et (nisi aliquid obstet) licite

quoque, audire potest. Parochianus autem censetur qui intra paroeciae limites domicilium aut quasi domicilium habet.

II. Iurisdictio parochi (etiam quoad parochianos) 1° limitatur ad casus non reservatos; 2° non extenditur ad personam complicem in sexto.

III. Parochi ex consuetudine iam fere ubique vigenti habere solent iurisdictionem etiam quoad non parochianos; sed ista est delegata et solum territorialis; unde extra dioecesim subditi quidem, sed non alterius (etsi dioecesani) confessionem audire possunt.

IV. Parochus poterit quidem impedire ne talis vel talis sacerdos in ecclesia sua confessiones audiat; non vero ne parochiani sive sani sive infirmi apud alios pro lubito suo confiteantur.

V. Si tamen parochus iustam haberet rationem credendi, quod parochianus sacrilege et confessione non praemissa ad communionem accederet, peractae confessionis testimonium ab eo exigere posset. *Cf. Bouix* (*l. c. IV*).

VI. Qui ex vitio occulto collationis parochus quidem communiter crederetur, sed non esset; valide, sed non licite confessiones audiret; error enim communis cum titulo colorato (sicut et simplex error communis) actus validos quidem, sed non licitos reddit.

§ III.

De iure parochi quoad SS.mae Eucharistiae administrationem.

1326. *Circa ius istud quid notandum?* Notandum imprimis quod parocho iura competunt 1° circa communionem paschalem; 2° circa communionem infirmorum; 3° circa admissionem ad primam communionem.

1327. *Quid de iure parochi quoad communionem paschalem?*

I. Parochus ius habet ut parochiani intra quindenam paschalem ad communionem accedant in paroecia. Patet ex lege notissima et consuetudine antiquissima atque universali, necnon ex Clemente VIII., qui dixit oportere saltem « ut saeculares « christifideles sacramentum Eucharistiae die festo paschatis « resurrectionis in propria parochia ab eorum parocho sumant ».

II. Parochus ius habet administrandi Eucharistiam tunc temporis parochianis suis manu propria, vel per suum delegatum; ita ut suo quoque coadiutori titulari administrationem istam interdicere possit. (*Scavini III.* 244).

III. Parochus ius habet concedendi licentiam ut hic vel ille alibi praecepto paschali satisfacere valeat; sed parochianos omnes generaliter ab hac lege dispensare nequit; agitur enim de lege Ecclesiae, a qua ne Episcopus quidem generaliter dispensare potest. *Cf. De Angelis* (*III* XXIX. 5), *Marc* (*n.* 1571) *et Gousset* (*II.* 223).

IV. Si parochianus tempore paschali esset quidem in paroecia, sed legitime impediretur quominus intra quindenam communicare posset (v. g., quia confessarius ei absolutionem procrastinavit); tunc parochus ius habet ut post quindenam in paroecia communicet. *Cf. Lhemkuhl* (*n.* 1206).

V. Nemo (praeter episcopum) alicui concedere potest facultatem satisfaciendi praecepto paschali in alia ecclesia, quae non sit paroecia sua, invito parocho. Attamen ad hanc facultatem concedendam sufficit consensus praesumptus seu interpretativus parochi ipsius (*S. Lig. VI.* 300), vel saltem Episcopi (*Gousset* 226 *et Frassinetti not.* 92). Ut autem hic consensus praesumi valeat, inspiciendum est an adsit ratio dispensandi. Sedulo notandum quod duplici modo ratio dispensandi in parocho vel episcopo contingere potest, scilicet 1° dummodo licentia a parocho ipso petatur; 2° etsi haec licentia ab eo non petatur. Si ratio dispensandi subsisteret solum primo modo (quatenus ex una parte parochianus, etsi non posset commode ad paroeciam se conferre, posset tamen facile a suo parocho licentiam petere, et ex alia credendum esset quod parochus ipse, consideratis circumstantiis omnibus, hanc petitionem rationabiliter exigeret); tunc confessarius facultatem alibi communicandi concedere non posset; ita tamen (*N. B.*) ut, iuxta plures (*cf. Lhemkuhl n.* 1206), si de unà vel altera vice dumtaxat ageretur, poenitens sub mortali et sub denegatione absolutionis ad hoc adigi nequiret. Si autem ratio dispensandi subsisteret secundo modo, tunc confessarius, dictam facultatem absolute concedere posset. Sed subsisteretne in parocho vel episcopo ratio dispensandi hoc ipso secundo modo, scilicet licentiâ non petitâ, etiam quando (prout hodie speciatim quoad viros in civitatibus solet esse casus valde practicus) poenitens ex motivo insufficienti, imo et cerebroso, tam in paroecia communicare quam licentiam petere recusaret; ita ut proinde confessarius, conspiciendo quod frustra laboraverit vel laboraturus esset ad hoc ei persuadendum, parochi ipsius vel episcopi voluntatem interpretando, condescendere possit? Frassinetti (*l. c.*) respondet affirmative, et merito.

Hodie enim ex una parte praeceptum istud communicandi in paroecia praecise (quum deficientes ut plurimum a parocho et ecclesia parum vel nihil timendum habeant) multo minoris momenti est quam olim erat: et ex alia multo melius est ut alibi communicent illi qui secus nullibi communicarent, imo probabilissime per totam vitam a sacramentis longe manerent. Neque dicas, legem de communione recipienda in paroecia sic ad nihil redigi; non enim ad nihil redigitur; facultas enim alibi communicandi non datur omnibus (ita ut unusquisque auctoritate propria a communicando in paroecia se eximere possit); bene vero illis dumtaxat, qui facultatem a confessario obtinuerint, et in bona fide versentur. Parochi autem consensus facilius praesumeretur, si quindena iam elapsa fuisset, et multo magis si quis bona fide intra quindenam iam alibi communicasset (*Marc* 1572 *et Frassinetti l. c.*).

VI. Potestne parochus impedire ne die paschatis Eucharistia distribuatur in aliis ecclesiis? Stando in puncto iuris; die dominica paschatis Regulares nequirent Eucharistiam distribuere christifidelibus (etsi possent aliis diebus intra quindenam), quamvis ex mera devotione communicarent (*Cf. Bened. XIV. De Syn. IX.* XVI. 3). Et hoc vetitum ad alias quoque ecclesias non parochiales extenderetur (*cf. Scavini IV.* 73). At vero plures dicunt, consuetudinem legi huic plus vel minus iam derogasse. *Cf. S. Lig.* (*VI.* 240. 5), *Gousset* (*n.* 224), *Frassinetti* (*n.* 265) *et Scavini* (*III.* 245). Ego dicerem 1° standum esse consuetudini locali, si inviolabiliter et perfecte servetur (Romae non solum die paschatis, sed etiam feria V in Coena Domini, Regulares Eucharistiam distribuere non posse auctores passim dicunt). Dicerem 2° legem istam diebus nostris facile in destructionem potius quam in edificationem redundare, propter circumstantias valde mutatas et rationem n. V. praecedenti indicatam; unde, si epicheiae in loco iam fieri incoepissent, nec Episcopus se opponeret, pro SS.mae Eucharistiae distributionis liceitate, etiam quoad illos qui praecepto paschali satisfacere intendunt, stari posset.

1328. *Quid de iure parochi quoad communionem infirmorum?*

I. Ius deferendi SS.mam Eucharistiam ad modum viatici spectat ad parochum privative (ut notissimum est), excepto casu necessitatis.

II. Parochus ius habet sumendi SS.mam Eucharistiam pro moribundo communicando etiam ab Ecclesia Regularium, si adsit

intra fines paroeciae suae et necessitas urgeat. (*Cf. Berengo n.* 102).

III. Ius deferendi SS.mam Eucharistiam parochianis infirmis ad satisfaciendum praecepto paschali, spectat pariter ad parochum privative. Idem dic de Eucharistia iisdem deferenda ex simplici devotione (*De Bonis De Orator. publicis n.* 108). Excipe nisi Eucharistia deferretur ex oratorio privato ad infirmum eiusdem domus et familiae, dummodo in eodem oratorio de licentia episcopi Eucharistia distribui possit. (*Praxis Ed. I. n.* 772).

1329. *Quid de iure parochi quoad admissionem ad primam Communionem?* Ex laudabili consuetudine hodie fere ubique vigente parochi ius exclusivum habent admittendi pueros ad primam communionem. Si tamen parochus aliquis ex incuria vel irrationabili cerebrositate iuvenem quindecim vel sexdecim annorum ad communionem adhuc non admisisset, tunc confessarius communicandi licentiam ei tribuere posset. *Cf. Frassinetti* (*Man. n.* 334. *et seqq.*) *et De Angelis* (*III.* XXIX. 5).

§ IV.

De iure parochi quoad Extremam-Unctionem.

1330. *Quid de hoc iure?* Sicut SS.mi Viatici ita et Extremae-Unctionis administratio spectat ad parochum privative, ut notissimum est.

§ V.

De iure parochi quoad matrimonium.

1331. *Quid de hoc iure?*

I. Parochus ius non habet impediendi ne Ordinarius sive per se sive per delegatum alicui matrimonio assistat.

II. Ius non habet licite assistendi matrimoniis secretis vel omissis publicationibus vel utcumque non servatis de iure servandis, nisi prius debitas facultates obtinuerit. Interdum tamen quoad publicationes dispensatio praesumpta sufficit, iuxta dicta (*n.* 911).

III. Caeterum omnes norunt quod publicationes matrimoniorum; assistentia eorundem; et benedictio nuptialis privative ad parochum spectant.

§ VI.

De iure parochi circa funera pro casibus ordinariis parochianorum in paroecia obeuntium.

1332. *Eveniente morte parochiani in paroecia, ad quid parochus ius habet?* Ordinarie ius habet ad quatuor; scilicet 1° ad cadaveris associationem, nempe ad illud levandum e domo atque ad ecclesiam ducendum; 2° ad funus, nempe ad exequias prout de ritu in ecclesia peragendas; 3° ad illud sepulturae tradendum; 4° ad emolumenta percipienda.

1333. *Constructio publicorum coemeteriorum in civitatibus et oppidis, destructio coemeteriorum particularium, et vetitum sepeliendi quemquam in ecclesiis, derogantne in nihilo pristinis sive parochialium sive aliarum ecclesiarum iuribus?* Negative per se. Mutatio ista id unum efficit, ut parochi, et aliarum ecclesiarum rectores, loco sepeliendi cadavera in propriis coemeteriis vel ecclesiis, ad publicum coemeterium illa ducant; unde hoc ipsum coemeterium antiquarum sepulturarum vicem tenet. Caetera iura autem (per se loquendo; nisi scilicet renuntiatio expresse vel tacite intervenerit) intacta remanent. Patet ex multis S. C. Concilii resolutionibus, inter quas vide novissimam apud Acta (*XVIII. pag.* 455).

1334 *Cur dixisti, parochum ad omnia praedicta ius habere ordinarie, et proinde non semper?* Quia contingere potest, quod, quamvis parochianus intra paroeciae limites mortuus fuerit, ius tumuli vel etiam funeris ad aliam ecclesiam spectet.

1335. *Ius tumuli quomodo distinguitur a iure funeris? Nonne ius tumuli secum fert semper ius quoque funeris?* Quamvis ordinarie ius tumuli secum ferat ius funeris, iuxta aphorismum *Ubi tumulus, ibi funus* (Acta VIII. 541); tamen aliquando contingit quod talis vel talis ecclesia aut absolute solo iure tumuli gaudeat (prout facile contingit in oratoriis iuris patronatus huius vel illius familiae cum sepulchro gentilitio familiae ipsius); aut gaudeat quidem iure funeris; sed ita ut in quibusdam casibus solum ius tumuli habeat (exemplum habes apud Acta *XVIII.* 455). Differentiae istae pendent a pactis vel a diversa natura concessionum, quae ab initio interfuerunt; et in praxi standum erit consuetudini. *Cf. Vecchiotti* (*II.* v. 58) *et Acta* (*l. c. et V.* 569. v.).

1336. *Quandonam contingit quod parochianus in paroecia defunctus alibi tumulum vel funus habere debeat?* Hoc contin-

gere potest ratione 1° electionis; 2° consuetudinis; 3° dignitatis; 4° sepulchri gentilitii.

1337. *Quandonam hoc accidit ratione electionis?* Quando defunctus ante mortem significaverit qua in ecclesia tumulum vel funus habere vellet. Iure isto gaudet quilibet (exceptis solum regularibus professis, et impuberibus); unde competit etiam filiis familias (dummodo sint puberes) et mulieribus nuptis; neque obstaret si pater vel maritus contradiceret. (*Cf. Reiff. III.* XXVIII. 41). Oportet tamen 1° Ut electio vere a defuncto ipso (ut dixi) facta fuerit; eius enim parentes vel haeredes ad hoc ius non habent (*Acta V.* 570. VII); 2° Ut de hac electione certe constet. Sufficeret tamen testimonium confessarii, dummodo in suum commodum non testaretur. (*Acta VI.* 473); 3° Ut electio non fuerit revocata (*De Luca. De Don. d. XVI. n.* 13); 4° Ut electio fuerit rationabilis; non vero malitiosa, v. g., ex odio contra parochum. (*Decretal. III.* XXVIII. 3. *C. Fraternitatem, Reiff. l. c.* 40. *Schmalzgr. III.* III. XXVIII. 16). De patre autem eligente sepulturam pro filio imbuberi ante eius mortem, vide Acta (*V.* 570. VIII. *et Vecchiotti II.* V. 59); 5° Oportet denique ut ecclesia electa pro funere iure funerandi gaudeat; etsi non obstet quod ius tumulandi solum in publico coemeterio ecclesia ipsa nunc exercere valeat; unde apud Acta (*V.* 569) legitur: « In « libertate fidelium esse sibi eligere funerum ecclesiam, ut ante « liberum erat sepulturae ecclesiam sibi eligere ». Posse etiam unumquemque sibi eligere aliam ecclesiam pro solo tumulo et suam parochialem pro funere, colligi videtur ex Decr. 5022 S. R. C.

1338. *Quaenam ecclesiae iure funeris gaudent?* Hoc iure gaudent, etiam quoad extraneos (intellige stante casu electionis), 1° Ecclesiae cathedrales et parochiales omnes; 2° Ecclesiae collegiatae; 3° Ecclesiae regularium qui vota solemnia habeant (non tamen monialium, saltem ordinarie). *Cf. Berengo* (*n.* 167), *Schamlzgr.* (*III.* III. XXVIII. 17) *et Vecchiotti* (*II.* V. 58); 4° Ecclesiae quaelibet, quibus haec facultas legitime data fuerit. Episcopus tamen difficile et solum ex consensu Capituli facultatem istam dare potest (*Cf. Schamlzgr. l. c.* 7. *et Bouix de Paroch. IV.* X. § 1. *not.*). Si autem de solo tumulo ageretur, tunc longe facilius licentiam concedere valeret, quae tamen pro novo costruendo sepulchro semper exigitur (*Cf. Vecchiotti l. c.*).

1339. *Quid de consuetudine?* Consuetudo contra paroeciam stare et valere potest; sed oportet ut sit 1° vel ad minus quadragenaria cum titulo, vel immemorabilis; 2° concludenter probata. Agitur enim de re odiosa, et strictae interpretationis;

unde in dubio semper favendum est parocho. (*Cf. Acta VIII.* 460. 462 IV. V).

1340. *Quandonam accidit ut parochianus alibi funus habere debeat ratione dignitatis?* Casus practicus contingit in canonicis, qui in cathedrali vel collegiata funus habere debent; et idem dic de aliis beneficium residentiale perpetuum habentibus, qui ad ecclesiam proprii tituli deferendi sunt. Excipe nisi consuetudo in contrarium adesset; eo quod, v. g., usus sepeliendi canonicos in collegiata nunquam adfuisset. *Cf. Vecchiotti* (*II.* v. 59).

1341. *Quandonam parochianus in alia ecclesia tumulum vel funus habere debet ratione sepulturae gentilitiae?*

Praenotandum quod sepulturae gentilitiae, seu maiorum, in sensu iuris canonici, non iam sunt arcae quae in modernis publicis coemeteriis acquiruntur; bene vero sunt sepulturae in ecclesiis vel oratoriis constitutae, in quibus haec vel illa familia defunctos suos exclusive tumulandi ius habet. Exinde autem dictae ecclesiae ut plurimum gaudent etiam iure funeris; sed interdum (ut supra dicebam *n.* 1335) solum ius tumuli habent.

Hodie, quoad sepulturas istas, res valde mutatae sunt, et praxis est sequens:

I. Plurimae iam a longo tempore prorsus derelictae sunt, et non solum eorum domini de illis non curant, sed etiam parochi, nullam prorsus illarum rationem habent, et in parochiali ecclesia funera peragunt atque ex toto emolumenta percipiunt, quin reclamatio ulla unquam facta fuerit. Persuasio communis est quod in hoc casu parochi nullam iniustitiam committant et licite prorsus se gerant. *Cf. Berengo n.* 167.

II. Aliae autem remaserunt in statu quo praecise.

III. Aliae denique in quibusdam Dioecesibus, quamvis ad cadaverum tumulationem non amplius adhibeantur, tamen quoad funera et emolumenta considerantur ut prius. (*Cf. Acta XVIII.* 455).

His praenotatis, pro ultimis duobus casibus, servandae sunt regulae, quae circa sepulturas gentilitias a canonistis traduntur. Ex his regulis recolendae sunt speciatim sequentes: 1° Filius non semper sepeliri debet in sepulchro patris; sed solum si pater aut sepultus fuisset ipse quoque in sepulchro maiorum (in linea recta), aut elegisset sepulturam expresse non solum pro se sed etiam pro posteris suis (*Reiff. III.* XXVIII. 11). 2° Uxor sepelienda est in sepulchro mariti; non vero in sepulchro gentilitio familiae suae (*Cap. III. De sepult. in VI*). 3° Praeter

sepulchrum gentilitium adest etiam sepulchrum haereditarium. Primum valet solum pro familia; unde, extincta familia, ius ad illud non transit ad haeredes. Secundum autem tam pro consanguineis quam pro aliis haeredibus valet. (*D'Annibale I.* 112).

1342. *Quid si aliqua ex iis familiis, quae sepulturam gentilitiam in ecclesia habent, etsi sepulturâ et ecclesiâ istâ a multis annis nullo modo usa fuerit, nunc vellet ut funera in ecclesia ipsa, sicut olim, peragerentur?* Consuetudo et conniventia praecedens (nisi ad constituendam praescriptionem legitimam pertingerit) ad hunc casum extendi non videtur; et proinde, quamvis defunctus ecclesiam illam pro suo funere non elegisset, integrum videtur esse tam haeredibus quam eiusdem ecclesiae rectori pristino iure uti. Sed hac de re iudicent sapientiores.

1343. *Quid si quis titulo sepulchri haereditarii in uno loco, gentilitii in alio, dignitatis in alio, electionis etc. in alio. sepeliri deberet? Quid, uno verbo, de praecedentia si diversi tituli simul concurrerent?* Ordo est sequens: 1° Primo loco venit sepultura necessitatis, si nempe defunctus alibi quidem sepeliri deberet, sed illuc commode deferri nequiret; 2° Sepultura monasterii; si nempe defunctus esset regularis professus; ille enim sepulchrum alibi eligere sibi non posset, nisi moreretur in loco a proprio monasterio ita dissito, ut ad illud commode deferri nequiret (*Barbosa De Par. III.* XXVI. 30). 3° Sepultura electa (*Vecchiotti l. c.* § 59). 4° Sepultura dignitatis. 5° Sepultura mariti, si agatur de uxore (*Acta X.* 604 *ex C. III. de Sepult. in VI*). 6° Sepultura gentilitia. 7° Sepultura haereditariâ (*D'Annibale I.* 112). 8° Sepultura parochialis.

1344. *Quid iuris habet parochus quoad sacerdotes invitandos?* Si haeredes designaverint sacerdotes ad funus advocandos, eorum voluntati standum erit (*S. R. C. Decr.* 476). Imo in rigore, dummodo parochum invitent, possent etiam excludere omnes sacerdotes saeculares et solos regulares invitare, et uno verbo hac in re pro lubito suo disponere eis integrum esset, ut patet ex decisione S. C. C. apud Vecchiotti (*II. v.* § 62.); quod tamen intelligendum videtur, dummodo rationabiliter procedant. Si autem haeredes numerum dumtaxat, sed non personas, designaverint; tunc sacerdotes parochiani praeferri debent (*S. C. Epp.* 23 *Apr.* 1649); ita tamen ut qui maius servitium ecclesiae praestant (quamvis forte parochiani non essent) praeferri possint.

1345. *Quid iuris habet parochus circa taxam emolumentorum, et ceram?*

I.° Quoad taxam emolumentorum stare debet legibus synodalibus aut consuetudini communi, quae scilicet in aliis limitrophis paroeciis servatur. Si autem antecessores sui taxam graviorem exegerint, videndum an de hoc augmento causa rationabilis subsistat; et, in dubio, consulendus esset Episcopus. Notandum quod pro exteris taxa augeri nequit. Cf. Barbosa (*XXVI.* 83).

II.° Quoad ceram autem, parochus ius habet ut familia defuncti (exceptis pauperibus iuxta dicta *n.* 1127) suppeditet ceram ad minus stricte necessariam ad complendos sacros ritus. Candelae autem, quae sive in cadaveris associatione, sive in ecclesia circa feretrum et in altaribus accensae fuerint, ex antiquissima consuetudine et lege ecclesiae, ad parochum spectant. Notandum tamen, non posse parochum contra loci consuetudinem exigere ut cera, quae in cadaveris associatione adhibita fuit, non adhibeatur etiam pro funere (*Cf. Ferraris v. Quarta n.* 12). Alicubi autem propter speciales conventiones, quae cum defunctorum familiis iniri solent, vel propter locales consuetudines aut leges synodales, quaedam determinantur, quae servari debent.

III.° Si cadaver ad aliam ecclesiam pro funere deferatur, parochus exigere quidem poterit taxam consuetam pro associatione et quartam funebrem (ut infra declarabitur); sed (intuitu funeris alibi perficiendi) nec taxam ipsam adaugere nec quidquid aliud (excepta semper legitima consuetudine) exigere poterit. (*Cf. Decretum Clementis X apud Ferraris v. Quarta n.* 27).

1346. *Potestne parochus impedire ne cera abundantior detur sacerdotibus regularibus ad funus invitatis, quam saecularibus?* S. C. Epp. et Reg. (16. *Dec.* 1661) respondit: « Distri- « butionem candelarum, quoad differentiam qualitatis, pendere « ab arbitrio haeredum » (*apud Ferraris v. Quarta n.* 29).

1347. *Quid iuris circa crucis delationem?* De iure communi, quamvis praeter clerum paroeciae, alii collegialiter intervenirent, unica crux erigi potest (quin tamen vexilla piarum confraternitatum interdicantur). Crux autem debet esse Capituli (sive cathedralis sive collegiatae), si interveniat; secus, debet esse ecclesiae tumulantis (intellige pariter si eius clerus ad cadaveris associationem interveniat). Si tamen ecclesia tumulans ad laicorum confraternitatem spectaret; tunc crux deberet esse Ecclesiae parochialis (*S. R. C. Decr.* 2910). Dixi *de iure communi;* excipiendus esset enim casus, in quo consuetudo immemorabilis vel saltem longaeva in contrarium adesset.

(*Cf. Ferraris v. Crux per totum, et Acta XV.* 178, *et S. R. C. Decr.* 2103 *et* 4877).

1348. *Quid iuris circa praecedentiam, si interveniat Capitulum?* Etsi delatio stolae et aspersio cadaveris, dum levatur e domo, spectet ad parochum, (*S. R. C. Decr.* 4673): tamen per viam praecedentia debetur Capitulo, utpote digniori (*S. R. C. Decr.* 4877).

1349. *Si ad associandum cadaver, non parochus solus cum suo clero, sed alii quoque interveniant collegialiter, quo in loco omnes coadunari debent?* Non ad domum defuncti vel in via (non obstante qualibet consuetudine); bene vero, si interveniat Capitulum, in cathedrali vel collegiata; secus, in parochiali; etiam casu quo non ad parochialem ipsam sed ad aliam ecclesiam defunctus deferri deberet (*S. R. C. Decr.* 1081, 2273. *ad* 6, 2574 *ad* 3, 4877, *et* 5198). Excipe nisi omnes coadunarentur in tertia ecclesia, sive ex consuetudine, sive quia cadaver in illa depositi causa collocatum fuisset. (*S. R. C. Decr.* 4592 *el* 2733).

1350. *Quaenam iura habet parochus, quando parochianus in paroecia defunctus ad aliam ecclesiam deportari debeat?*

Si ad illam deportari debeat pro funere, tunc parochus ius non habet deferendi cadaver prius ad propriam ecclesiam. Excipe 1° nisi consuetudo in contrarium adesset; 2° nisi defunctus ipse ante mortem statuisset vel eius haeredes sponte vellent ut ad parochialem prius deferretur (*Vecchiotti* § 60). Praescindendo autem ab his casibus, parochus ius haberet solum 1° ad associationem cadaveris usque ad ianuam ecclesiae funerantis; 2° ad quartam funebrem. Si tamen ecclesia funerans ex una parte esset intra limites paroeciae suae, et ex aliâ exempta (scilicet Regularium) minime esset; tunc parochus ius haberet etiam peragendi funus in ea ipsa ecclesia. Emolumenta tamen funeris ipsius (dempta quarta) spectarent ad eiusdem ecclesiae rectorem. Si autem ecclesia rectorem non haberet, sed sub immediata parochi dependentia foret, tunc emolumenta ipsa totaliter parocho deberentur (De his omnibus cf. Vecchiotti *l. c.*). Consuetudines quoque et leges synodales observari deberent.

Si vero cadaver ad aliam ecclesiam vel oratorium deportari deberet solum pro tumulo; tunc parochus, funere in parochiali peracto, ius haberet comitandi illud usque ad eandem ecclesiam vel oratorium. Si haec ecclesia esset exempta, vel (extra paroeciae limites) rectorem proprium haberet, vel sub alterius parochi dependentia esset; tunc ius parochi cadaver comitantis ad

ianuam illius cessaret. Imo ille eidem ecclesiae solvere deberet etiam quartam funebrem (quod infra melius declarabitur). Si denique tumulus esset in oratorio iuris patronatus familiae defuncti, tunc familia ipsa committere posset parocho comitanti ut corpus prout de ritu sepulturae tradat; neque in rigore necessarium esset ut parochus loci invitaretur.

1351. *Supponendo quod defunctus ad aliam ecclesiam deferri debeat pro funere, quid notandum circa associationem, ad quam (ut dixi) parochus ius habet?* Praeter praedicta (*n.* 1344 *et seqq.*), notanda sunt sequentia: 1° Non solum ius habet sed etiam obligationem per se vel per alios id praestandi (*S. R. C. Decr.* 2733. *ad* 5.); 2° Ius habet impediendi ne rector ecclesiae tumulantis defunctum aqua benedicta aspergat, seu (ut vulgo dicitur) cadaver elevet; supponendo tamen quod ipse operam suam praestet; si enim invitatus accedere recusaret, tunc idem rector cadaver elevare posset (*S. R. C. Decr.* 576. 2733. 4673); 3° Si defunctus deferendus esset ad ecclesiam Regularium, ipsi associationi intervenire quidem poterunt, sed ad hoc cogi nequeunt (*S. R. C. Decr.* 2733 *ad* 4); 4° Regulariter associatio cadaveris fieri debet a parocho usque ad ianuam ecclesiae tumulantis (*S. R. C. Decr.* 2733); non vero solum usque ad tales vel tales limites, v. g., usque ad portam civitatis, vel usque ad limites paroeciae in cuius ecclesia funus peragi debet. Utique consuetudines diversae hoc in puncto facile adesse et valere possunt; sed oportet ut sint rationabiles et deformitatem non involvant. Sic, v. g., sustineretur consuetudo, ut, interveniente associationi parocho defuncti simul cum parocho in cuius ecclesia funus celebrari debet, hic ultimus stolam assumat atque ad manum dexteram transeat statim ac paroeciae suae limites ingreditur; dum antea alter parochus stolam tenebat etc. (*Lambertini Inst. CV.* 54). Item sustineretur consuetudo, qua duo parochi sibi invicem cum respectivo clero processionaliter obviam irent; non vero ut processio tali vel tali loco sistere debeat, si forte altera tardaret; quod enim turba presbyterorum cum superpelliceo, sive cum feretro sive sine ipso, in medio publicae viae sistat, magna deformitas est; quae etiam ex Decreto S. R. C. (*n.* 4592) tolerari non potest; et consuetudo, quamvis immemorabilis, hoc in puncto nullam vim haberet (*S. R. C. Decr.* 2574 *ad* 3). 5° Denique parochus ius habet declarandi qua via cadaver exportandum sit (*S. R. C. Decr.* 2574. *ad* 5).

1352. *Quid est quarta funebris?* Est pars (ordinarie quarta)

emolumentorum, quae ab ecclesia funeranti sive ecclesiae parochiali, sive ecclesiae tumulanti, cedi debet.

1353. *Qua de causa debetur parocho quarta?* Ratione Sacramentorum, quae parochianus dum vivebat in paroecia sua recepit, dicente Leone IIIº (*Decretal. III.* XXVIII. *Cap* 1): « Illi ecclesiae dari (portionem canonicam) censemus in qua « coelesti pabulo refici consuevit ».

1354. *Ad determinandam hanc quartam, quaenam emolumenta computari debent? Et suntne aliqui exempti a solutione quartae?* De iure communi scripto (scilicet praescindendo a consuetudinibus legi derogantibus) aliud dici debet de Italia et insulis adiacentibus; aliud vero de aliis locis.

1355. *Quid de iure scripto quoad loca extra Italiam?* Imprimis Innocentius III. (*Decretal. III.* XXVIII. *De Sepult. C. X. In nostra*) dixit: « Parochialis ecclesia de oblationibus et aliis, « quae defunctus in ultima dispositione reliquit... recipiat quar- « tam partem ». Gregorius IX (*Decretal. III.* XXVI. *De testam. Cap. XX. De his*) limitationem adiecit, inquiens: « De his, « quae in ornamentis, vel procereis, seu fabrica, luminaribus, « anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis, « ad perpetuum cultum divinum legata (fuerunt) ecclesiis vel « reliquis piis locis, canonica portio.... deduci non debet ». E contra postea Clemens V (*Clementin. III.* VII. *Cap.* 2 *Dudum*) extensionem fecit, et statuit, quartam deducendam esse etiam ex quibuslibet legatis ecclesiae tumulanti a defuncto factis; imponendo onus solvendi parochis quartam « de obventionibus « omnibus tam funeralibus, quam quibuscumque et quomodo- « cumque relictis distincte vel indistincte ad quoscumque certos « et determinatos usus, de quibus etiam quarta sive canonica « portio dari sive exigi non consuevit vel non debet de iure, « necnon de datis vel qualitercumque donatis in morte ». Haec tamen extensio, contraria praedicto statuto Gregorii IX, (iuxta Reiff. III. XXVIII. 53) respiciebat solum fratres praedicatores et minoriticos, de quibus dumtaxat Clemens V loquebatur; et proinde alias ecclesias non gravabat. Venerunt deinde privilegia, quibus aliqui Romani Pontifices plures Ordines religiosos a solutione quartae prorsus exemerunt. Privilegia ista maxima ex parte intacta relicta fuerunt a Concil. Tridentino; unde, non obstante decreto Sess. XXV. C. III, post ipsum adhuc perdurarunt. Silentio tamen non est praetereundum quod Pius V Const. *Etsi mendicantium* restrinxit quartam ad sola funeralia, scilicet ad sola emolumenta obvenientia ecclesiae funeranti die fu-

neris ; dixit enim : « Id tantum cerae, et aliorum quae in « aliquibus partibus deferri contigerit tempore quo defunctorum « corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu « legatis vel aliis, Fratribus ipsis seu Monialibus huiusmodi re« lictis, aut alias quomodolibet donatis, solvi debet ; sicque « intelligi Concilii Tridentini decretum, quoad quartam huius« modi solvendam, debere decernimus ». An autem haec Pii V dispositio vim habeat, non obstante quod Gregorius XIII (*Const. In tanta*) eius Bullam *et declarationes* in ipsa factas abrogaverit, mihi (contra Reiff. l. c. 58) valde dubitari posse videtur. Concludendum est itaque quod, inspecto (ut dixi) solo iure scripto (nisi scilicet consuetudines in contrarium efformatae fuerint) extra Italiam 1° Privilegia Regularium, circa exemptionem a solvenda quarta, magna ex parte adhuc perdurant. Si autem iam a tempore immemorabili illam exigere solerent, iam ex hoc ipso de eorum bono iure praesumendum esset (*Vecchiotti II.* v. 61) ; 2° An vero, ad quartam determinandam, ultra emolumenta die funeris percepta, alia quoque computari debeant, dubium videtur.

1356. *Quid de Italia et insulis adiacentibus?* Benedictus XIII (Const. *Romanus*) sequentia statuit : « Omnia privilegia quoad « quartam funeralem... ad viam iuris reducimus, et, quatenus « opus sit , etiam revocamus et abrogamus , neque cuipiam « deinceps suffragari posse vel debere decernimus... Mandamus « ut.... parochis defunctorum, qui in ecclesiis quorumcumque « Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum « effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum et cande« larum , quibus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tu« mulantem associabitur, necnon omnium intorticiorum et can« delarum , quae in eadem ecclesia circa cadaver, vel etiam « in altaribus in die funeris accendentur. A praedicta tamen « quarta funerali exceptae intelligantur et sint candelae, quas « Sacerdotes, etiam regulares , vel piarum sodalitatum con« fratres , funus associantes manualiter per viam accensas de« ferent.... Sub praedicta quarta funerali comprehendi non in« tendimus , imo expresse ab ea excipimus, legata missarum « et anniversariorum , hisque similia pia relicta, ad favorem « ecclesiae tumulantis vel exponentis a defuncto disposita ». Sic itaque in Italia privilegia Regularium hoc in puncto sublata sunt totaliter, et quarta ad sola emolumenta die funeris percepta, restricta fuit.

1357. *Valentne consuetudines in hac materia?* Utique,

dummodo sint legitimae; dummodo scilicet ab immemorabili servatae fuerint, vel saltem tempus de iure sufficiens ad praescriptionem inducendam elapsum fuerit.

Valent itaque 1° ad quartam augendam; unde Benedictus XIII (*Const. cit.*) dixit: « Ubi vero consuetudines legitime pro« batae, conventiones, concordiae, vel statuta, vigerent, quae « praefatis parochis magis faverent, illisque pinguiorem prae« dicta quarta emolumentorum funeralium portionem assigna« rent; ea, in iis in quibus vigent locis, inconcusse ab omnibus « observari.... iubemus ». Quod longe prius statutum fuit a Clemente III. (*Decretal. III.* XXVIII. *De Sepult. IX*) dicente: « Unaquaeque provincia in sensu suo abundet: secundum ratio« nabilem consuetudinem regionis, illa iustitia circa medietatem « vel tertiam aut quartam partem pro locorum diversitatibus « attendatur ».

Valent 2° ad quartam imminuendam, vel etiam ut nihil solvatur, ut communiter notant Canonistae.

Attamen dicit Ferraris (v. *Quarta n.* 3): « Portio canonica « usque ad quartam exclusive (dum scilicet prius erat maior) « potest praescribi spatio decem annorum absque titulo; ad hoc « autem ut praescribatur infra quartam, vel ut nihil solvatur, « requiritur consuetudo quadraginta annorum cum titulo, aut « immemorabilis ». Vide etiam Barbosa (*De Par. XXV.* 16) et Vecchiotti (*II.* v. § 61).

1358. *Quaenam sunt consuetudines magis communes in hac materia?*

I. « Consuetudo passim introducta et recepta (*intellige e« tiam extra Italiam*) habetur quod non nisi de iis, quae « occasione funeris (non item quae per dispositionem aliquam « ultimam), et quidem in solo die depositionis aut sepulturae, « ecclesiae alienae obveniunt, solvatur ». Ita *Reiffenst.* (*III.* XXVIII. 52) et idem dicit *Vecchiotti* (*II.* v. 61).

II. Consuetudo (saltem in Italia) communis est, ut computetur sola cera, quae circa feretrum et in altaribus a familia defuncti accendi vult. Patet 1° ex verbis Benedicti XIII supra citatis (*n.* 1356); 2° ex statutis Cleri Romani (apud de Angelis *III.* XXVIII. 4.): 3° ex Synodis dioecesanis, inter quas videri potest Synodus nostra (pag. 118). Patet etiam 4° quia secus ecclesia tumulans, ad quartam determinandam, computare deberet etiam emolumentum, quod parochus ipse pro associatione percepit; quod absonum et contra praxim est. Ea itaque quae dantur, v. g., propter cadaveris associationem vel missam

cantatam etc., computanda esse non videntur. Si tamen pro cera pecunia daretur, tunc quarta ex hac pecunia taxari deberet.

III. Consuetudo communissima est ut quarta vere a quarta parte constituatur, ut ex nomine ipso aperte colligitur.

IV. Nihil dico de privilegiis, quae eo usque procedere possunt, ut aliquae ecclesiae quartam imo et medietatem (etiam a non-assuetis) exigere valeant; et ipsae e contra nihil dare teneantur; prout Romae contingit.

1359. *Quid si in aliqua Dioecesi praxis circa quartam esset varia et confusa?* Tunc a iure communi regula sumi deberet. Barbosa (*XXV.* 2).

1360. *Quid si ecclesia parochialis iuxta consuetudinem suae dioecesis exigeret quartam in tali vel tali mensura, et ecclesia funerans alterius dioecesis iuxta consuetudinem illuc vigentem solvere vellet minus vel nihil?* Secluso privilegio, standum esset pro iure ecclesiae parochialis; ipsa enim habet titulum onerosum, qui alteri solum lucrativo praevalere deberet. Barbosa (*l. c.*).

1361. *Quid si funus non die tumulationis celebraretur, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur?* « Parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intorti-« ciorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in « ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa coenotaphium seu « tumulum honorarium, atque etiam in altaribus eiusdem ec-« clesiae, accensa fuerint ». Ita Benedictus XIII (*Const. cit.*).

1362. *Quid si funus levis momenti die tumulationis, et alio die officium solemne et proportionatum factum fuisset?* De hoc casu habemus decisionem S. C. Epp. et Reg. (*Die* 3. *Aug.* 1624) quae sic prostat: « Utrum si parocho in die funeris data sit sola « candelarum et facularum quarta; et deinde sequenti die so-« lemniori pompa, magno scilicet adhibito religiosorum, con-« fraternitatum et presbyterorum numero in alia ecclesia, ubi « mortuus sepulturae mandatus fuerat, pro eius anima solemnis « missa cantetur, cum distributione candelarum et intorstitio-« rum in maiori quantitate quam diei praecedentis, debeatur « ex his quoque parocho quarta? In qua controversia S. C..... « nemine discrepante censuit: deberi quartam Parocho ex fu-« neralibus secundo loco factis » (*Apud Acta V.* 604). Idque iure optimo; ne secus fraus legi et parochis fiat; ut bene notat cl. D' Annibale (*III.* 530. *not.* 22).

1363. *Quid si alicubi consuetudo esset persolvendi iusta funebria eodem apparatu eodemque funeris sumptu, non solum*

die depositionis, sed etiam duobus diebus sequentibus? S. C. C. (*In Firmana* 18. *Iul.* 1744) censuit, dandam esse quartam etiam quoad duos dies subsequentes. *Apud Acta* (*l. c.*).

1364. *Quid si cadaver ad modum depositi vel precariae expositionis relictum fuisset in aliqua ecclesia cum intorticiis accensis antequam ad parochialem vel ad aliam ecclesiam deferretur?* Si e depositi loco ad ecclesiam parochialem deferatur, tunc illa intorticia parocho debentur; quarta vero eorundem ei deberentur, si ad aliam ecclesiam deferretur. Ita fuisse decisum a S. C. C. dicit Vecchiotti (*II.* v. § 62).

1365. *Quarta* (*si parochianus in paroecia mortuus fuerit*) *debeturne parocho solum in casu sepulturae alibi electae, an vero etiam in aliis casibus in quibus extra parochialem funus celebretur?* Debetur etiam in aliis casibus. Benedictus XIII (*Const. cit.*) dixit: « Haec porro omnia locum habent.... quo« tiescumque defunctus extra suam parochialem ecclesiam tu« muletur vel exponatur; sive quia in ecclesia tumulante vel « exponente beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulchrum « habuerit gentilitium, sive tandem quia in ipsa sepulturam « elegerit ».

1366. *Qui sepeliri deberet in sepulchro gentilitio, si alibi sepulturam elegisset, quarta funebris essetne solvenda ecclesiae sepulchri gentilitii, an vero parochiali?* Solvenda esset parochiali, dicente Bonifacio VIII (*VI° Decretal. III. De sepult. Cap.* 2): « Cum quis, cuius maiores sunt soliti ab antiquo in « aliqua ecclesia sepeliri, eâ dimissâ, eligit alibi sepulturam: « canonica portio dimissae non debetur ecclesiae, sed illi dum« taxat, in qua ille officia consueverit audire divina et ecclesia« stica recipere sacramenta ».

1367. *Pro exactione quartae parochus habetne actionem contra haeredes seu familiam defuncti?* Negative; sed solum contra rectorem illius ecclesiae, in qua funus celebratum fuit. Ita S. C. Epp. et Reg. (14 *Apr.* 1615) apud Ferraris (*v. Quarta n.* 35).

1368. *Quid de quarta, si funus perageretur in parochiali; sed pro tumulo ad aliam ecclesiam sive Regularium sive utcumque rectorem habentem, defunctus deferri deberet?* Tunc (ut innui supra *n.* 1350) parochus ecclesiae tumulanti quartam solvere teneretur; idque verum esset sive propter sepulchrum gentilitium sive propter defuncti ipsius voluntatem humatio ibidem facienda foret. S. R. C. (*Decr.* 5022).

§ VII.

De iurisdictione parochorum speciatim circa Sacramenta et sepulturam in pluribus casibus speciali animadversione indigentibus.

1369. *Quid de iurisdictione parochi circa Sacerdotes?* Hi subiiciuntur iurisdictioni parochi sicut caeteri parochiani; et solum excipitur communio paschalis; dummodo tamen Missam celebrent.

1370. *Quid de iurisdictione parochi circa Canonicos?* Hi quoque subiiciuntur iurisdictioni parochi. Attamen, praeter communionem paschalem, excipitur etiam sepultura, quae ad Cathedralem vel Collegiatam pertinet, remanente in parocho iure ad associationem (*iuxta dicta n.* 1350) et ad quartam funebrem (*S. R. C. Decr.* 4262 *ad* 11). Viatici et Extremae Unctionis administratio de iure communi spectat ad parochum. Si tamen adesset consuetudo legitime praescripta ut canonici (sive titulares sive solum honorarii) haberentur tamquam prorsus exempti a iurisdictione parochi (prout in Gallia); tunc iura omnia ad Capitulum spectarent (*Cf. Acta III.* 127).

1371. *Quid de administratione Sacramentorum Episcopo aegrotanti?* Haec administratio non ad parochum, sed ad primam dignitatem Capituli spectat (*Caerem. Epp.*); et in hoc consuetudinem in contrarium valere non posse, dicit Bouix (*De Par. IV.* III. *in fin.*).

1372. *Quid exigitur ut quis parochianus dici possit?* Exigitur ut domicilium vel quasi-domicilium in sensu iuris canonici intra paroeciae fines habeat. Haec iam supra (n. 1008-1016) explicata fuerunt; sed hic aliqua maior declaratio addi debet.

1373. *Quandonam habetur domicilium verum, et in quo istud a quasi-domicilio differt?* Domicilium verum habetur quando quis sive in propria sive in aliena domo habitationem figit animo ibi remanendi *perpetuo*; scilicet (N. B.) ita ut inde non sit discessurus nisi aliquid avocet. *Schmalzgr.* (*I.* II. §. II. 9. 10.). Differt a quasi-domicilio, quia quoad istud adest praecise intentio remanendi *solum ad tempus*, quod ex una parte non nimis breve esse debet et ex alia ad plures quoque annos extendi potest. *Reiff.* (*II.* I. 22).

1374. *Quantum temporis spatium ad minus exigitur ut quasi-domicilium constituatur? Scilicet, praeter habitationem de facto inceptam, ad quantum tempus oportet ut habeatur in-*

tentio illam protrahendi? In hoc nec Canonistae nec Theologi conveniunt, et discrepantiae gravissimae inter ipsos reperiuntur. Vide Sanchez (*III.* xxiii. 12), Pichler (*IV.* iii 18), Pontium (*V.* xii. § 1), Seb. Berardi (*Comment. V. de form. coniug*), Fagnanum (*C. Significavit de Paroch.*), Emm. Sà (*v. Parochus n.* 7), Farinacium (*in noviss. ad Sess. XXIV. Conc. Trid. I.* 3), Lambertini (*Inst XXXIII*), Gury et Ballerini (*II.* 839), Vecchiotti (*III.* 106), De Angelis (*IV.* iii. 4), Lhemkuhl (*II.* 775), et meum opus cui titulus Praxis Confessariorum (*Ed. I. n.* 1255).

Ego censeo statuendas esse regulas sequentes:

I. Standum est sensui communi; si enim tam christifideles quam parochi absque ulla dubitatione censeant, tales vel tales esse parochianos, vel e contra; generalis et constans huiusmodi persuasio tamquam regula tutissima haberi debebit.

II. Si agatur de alienigenis, intentio habitationem protrahendi saltem ad maiorem anni partem probabilissime exigitur. Patet non solum quia regula ista est magis recepta apud Canonistas et Theologos, sed etiam imo praecipue quia communi christifidelium sensu firmatur. Exemplum habemus in pastoribus, qui appropinquante hyeme a patria propria cum suis gregibus longe migrant; quamvis enim per quinque circiter menses in aliqua paroecia morentur, nihilominus illam tamquam paroeciam propriam nullo modo recognoscunt. Sufficit tamen intentio implicita, quae scilicet in susceptione negotii, quod ordinarie maiorem anni partem exigat, includatur.

III. Si agatur de civibus, qui in eadem civitate ab una ad aliam paroeciam habitationem transferunt; hi semper tamquam parochiani considerantur, etsi forte (prout alicubi mos est) solum ad mensem domus locarentur, et revera solum ad mensem talis vel talis familia in domo conducta remanere intenderet. Idem dic si, ubi domus ad semestre locantur, familia non in principio sed in medio semestris domum conduceret, quamvis in ipsius semestris fine discedere intenderet.

IV. Notanda est etiam vis domicilii communicati, quod contingit quando quis fit de familia domicilium vel quasi-domicilium iam habentis. Exemplum habes in famulo, qui apud familiam a paroecia mox migraturam se collocaret. Idem dicendum videtur de collegiali, qui in medio anni scholastici ad collegium se conferret, etsi scilicet post tres vel quatuor menses domum suam esset rediturus. Equidem tunc non adesset intentio morandi in paroecia per maiorem anni partem; sed quum in primo casu

familia, et in secundo collegialium communitas domicilium iam habeat, hoc ipsum famulo aut collegiali extra tempus advenienti videtur communicari, iuxta adagium *pars maior trahit ad se minorem.*

1375. *Estne aliud notandum circa domicilium aut quasi domicilium?*

Notari debet 1.° nihil referre sive voluntarie sive necessario (prout in relegatis vel carcere detentis etc.) domicilium vel quasi domicilium contractum fuerit. *De Angelis* (*l. c.*). 2.° Intentionem habitandi in paroecia stabiliter, nempe sive perpetuo, sive ad tempus ut supra, debere esse absolutam; qui enim ad paroeciam veniret solo animo experiendi an dictam stabilitatem inire ei conveniat, parochianus non evaderet. Qui tamen cum intentione, aut praevisione praedominanti stabiliter commorandi, habitationem incoepisset, verus esset parochianus, etsi forte discedendi occasionem supervenire posse conspiceret. *Pellizzari* (*De Monial. X.* III. 233).

1376. *Potestne quis habere eodem tempore plures paroecias?* Affirmative. Et hoc duobus modis contingere potest; scilicet 1° habendo domicilium verum in una paroecia, et quasi-domicilium in alia; ut enim (*n.* 1011) notavi, dum quis quasi-domicilium alicubi contrahit, domicilium verum non amittit; 2° habendo domicilium verum in pluribus paroeciis.

1377. *Quomodo haberi potest domicilium verum in pluribus paroeciis?*

I. Quando quis ex intentione sic se gerendi perpetuo (cf. n. 1373) in duabus (vel etiam tribus) paroeciis habitare soleat aequaliter (v. g., sex mensibus in una et sex mensibus in alia). Attamen huiusmodi aequalitas non mathematice sed moraliter et circiter intelligi debet. (*Schmalzgr. I.* II. *n.* 13). Ne autem aequivoca oriantur, recolenda sunt dicta (*n.* 1015. 1016).

II. Si quis duas domos inhabitaret coniunctas et aeque principales, quarum una in una et alia in alia paroecia esset. Idem dic de domo, quae in duarum paroeciarum confinio ita collocata foret, ut nequidem ex ianua principali et magis frequentata ad quam paroeciam pertineret distingui posset.

De casibus istis cf. Cap. II. *Cum quis* de sepult. in VI° et gloss.; necnon Acta (*XV.* 222).

1378. *Quid de domicilio originis aut paterno?* Si ex animo nunquam redeundi (intellige ad moram stabilem faciendam) derelictum fuisset, hoc ad parochialitatem constituendam (etsi

parentes illuc adessent) nihil amplius conferret. *Pallottini* (*v. Matrimonium* § *XV. n.* 311). Secus vero si ad tempus dumtaxat et cum animo redeundi relictum fuisset.

1379. *Quibus in casibus parochianus quis dici nequit?* Quando sit peregrinus, aut vagus, aut exemptus.

1380. *Quis est peregrinus?* Peregrinus (seu viator, seu advena, seu alienigena) est qui ex una parte in paroecia nec domicilium nec quasi domicilium habeat, et ex alia domicilium aut quasi-domicilium alibi retineat. Exempla dabo infra.

1381. *Quis est vagus?* In sensu iuris canonici vagus est non solum qui proprie vagabundus dicitur et domicilium neque habet neque quaerit (prout in cingaris et multis hystrionibus, ioculatoribus, saltatoribus etc. contingere solet); sed etiam qui domicilio relicto iter facit quaerens quo se conferat atque ubi consistat. Sic dicunt Canonistae passim. Cf. Pallottini (*v. Matrimonium* § *XV. n.* 303 *et* 317). Hoc tamen cum mica salis intelligi debet, ut infra videbimus.

1382. *Quinam sunt exempti?* Qui auctoritate sive Pontificis sive Episcopi a iurisdictione parochorum immunes sunt. Sed hoc etiam melius explicabitur infra.

1383. *Quid de iuribus parochi circa peregrinos?*

I. Parochus ius non habet ut ipsi pro communione paschali ad paroeciam accedant; quum enim non sint parochiani, praecepto paschali satisfacere possunt ubi volunt. *S. Lig.* (*VI. n.* 240. 9. *et n.* 300. 2).

II. Quoad matrimonium, in quovis casu necessaria est speciali modo fides status liberi; qua habita, si sponsorum alteruter esset parochianus, nihil ostaret si alter peregrinus esset. Si vero ambo peregrini forent, tunc parochus nullam auctoritatem haberet, et (seclusa delegatione) matrimonio invalide assisteret; peregrini enim proprium parochum habent, apud quem matrimonium celebrare debent ex lege Tridentini, ut notissimum est. Si tamen ageretur de locis, in quibus lex ista non viget; tunc matrimonium etiam peregrinorum ex locis ubi Tridentini lex viget illuc migrantium (dummodo in legis ipsius fraudem illuc non se contulissent) validum esset; et proinde nihil vetaret quominus Parochus de benedictione nuptiali requisitus illam impertiri posset. Vide dicta (*n.* 1026).

III. Quoad Sacramentum Poenitentiae, vide dicta (*n.* 1325. 1°).

IV. Quoad Viaticum, et Extremam Unctionem; administratio horum Sacramentorum spectat exclusive ad parochum loci. Ratio est tum quia consuetudo generalis (etiam quoad peregrinos) talis

esse videtur; tum quia Parochus in suo territorio quoad Sacramentorum administrationem et curam animarum ius habet exclusivum, iis dumtaxat exceptis quae, sive ex privilegio sive ex consuetudine, ab aliis Sacerdotibus, eo quoque irrequisito, fieri possunt (quod in casu non verificatur). Patet I° ex C. Ecclesias (*Decreti II.* XIII. 1) ubi dicitur: « Nullus alterius parochiae « terminos aut ius invadat ». Patet 2° ex C. In Ecclesiis (*Decretal. III.* XXXVIII), ubi dicitur: « In ecclesiis, ubi monachi « habitent, populus per monachum non regatur, sed capellanus « etc. ». Patet 3° quia ad Viaticum administrandum oporteret processionaliter et cum cruce procedere, quod (exceptis casibus consuetis) aliis non licet, et parocho soli in sua paroecia exclusive competit, nisi Episcopus aliter determinet (*Cf. Lambertini Inst. CV.* 4952). Hinc Viaticum et Extremam Unctionem ne proprius quidem peregrini parochus eidem (parocho loci irrequisito) administrare posse videretur. A fortiori autem excluduntur Regulares (qui nullam animarum curam habent); idque verum esset (intellige semper secluso casu urgentis necessitatis) quamvis peregrinus infirmus in eorum coenobio degeret. Patet ex Decreto S. C. C. (19 *Sept.* 1637 *apud Ferraris v. Sepultura n.* 26) sequentis tenoris: « Quidam miles occasione « infirmitatis divertit in monasterium regularium, ibique ab « iisdem Sacramentum Eucharistiae pro viatico et Extremam « Unctionem recepit, et exinde obiit; parocho, intra cuius « paroeciae fines Monasterium extitit, reluctante. Quaeritur: « An administratio huiusmodi Regularibus esset permissa? S. « C. respondit: Non esse permissam ». Vide etiam eundem Ferraris (*l. c. n.* 72).

V. Quoad sepulturam, videndum an cadaver peregrini defuncti possit necne ad propriam parochialem deferri commode. Si possit, tunc ad illam deferri debet; sin minus, ubi mors accidit, sepeliendus erit. Patet ex Cap. *Is qui De Sepulturis in VI.*, dicente: « Is qui habet domicilium in civitate vel castro, quando « ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut rura- « lia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, « non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali (vel in ea « potius in quo maiorum ipsius ab antiquo sepultura extitit) « sepeliri debet; dummodo absque periculo ad ipsam valeat de- « portari ». Aliqui dicunt peregrinos sepeliendos esse in Cathedrali, et fundantur in quadam resolutione S. C. Epp. et Reg. sequentis tenoris: « Etiam circumscripta consuetudine, advenas « et pertranseuntes in Cathedralibus; et reliquos in parochia

« intra cuius fines obierint, *si per aliquod tempus habitaverunt*, « esse sepeliendos » (*apud Ferraris v. Sepultura n.* 22). Sed, nisi loci consuetudo ita ferat, hoc attendi non debere videtur. Canonistae enim passim vel dicunt absolute, peregrinos sepeliendos esse in parochiali ubi decedunt (*Cf. Reiffenst. III.* xxviii. 27, *Vecchiotti II.* § 61, *Zitelli I. V.* iv. § 4 *etc.*); vel dicunt standum esse consuetudini (*Cf. Ferraris l. c., Scmalzgr. III. III.* xxviii. 41 *etc.*); et novissime apud Acta (*XVII* 482. *in not.*) legitur: « Ex nullo capite iuris competere Capitulis Cathedra- « lium funera peragere pro peregrinis et advenis; ideoque « solam consuetudinem, ubi invaluit, effecisse ut peregrinorum « et advenarum funera a Cathedralis parocho expleri valerent « praelative ad alios civitatis parochos ». Cf. etiam eadem Acta Vol. III. (*pag.* 42).

1384. *Sed quandonam iudicandum erit quod cadaver sine periculo ad propriam parochialem* (*vel ad sepulturam electam aut maiorum etc.*) *deportari nequeat?*

I. Si familia defuncti mediis extraordinariis (v. g. via ferrea) uti vellet ad cadaver illuc deferendum, parochus loci id impedire nequiret; tunc enim, ut dicitur apud Acta (*XI.* 498 *in not.*), « distantia obstaculum non offert ut cadavera ad pro- « priam deferantur sepulturam ». Praescindendo ab hoc casu,

II. Standum legibus synodalibus vel episcopalibus, si adsint (*Cf. D' Annibale I.* 112. *not.* 17). Deficientibus autem legibus synodalibus,

III. Ordinarie standum erit sententiae magis receptae, quae dicit, periculum adesse non censeri si per iter unius diei, aut viginti milliariorum translatio fieri possit. *Acta* (*XI. pag* 497). Circumstantiae tamen tales esse possent ut iudicium viro prudenti relinqui debeat (*Cf. Ferraris v. Sepultura n.* 41 *et De Angelis III.* xxviii. 40).

1385. *Si parochus cadaver peregrini in sua ecclesia sepulturae mandaverit, teneturne ad aliquid erga verum defuncti parochum?* Videndum an illegitime, an vero legitime id factum fuerit. Si illegitime; tunc omnia funeris emolumenta eidem restituere deberet *. Si vero legitime, tunc de quarta funebri eidem rependenda quaestio esse poterit. Iure scripto de quarta in hoc casu solvenda nihil habetur. Quod tamen generali iure

* Sacri Canones ad exhumationem et restitutionem cadaveris quoque olim adigebant; sed hoc hodie ut plurimum partim fieri nequiret (obstantibus severissime legibus civilibus), et partim in desuetudinem ita abiit, ut S. C. C. semper decernere soleat cadaver non esse restituendum (*Cf. Acta XI. 499*).

consuetudinario rependi debeat, patet 1° ex Statutis Cleri Romani (*apud de Angelis III.* XXVIII. 40), ubi dicitur : « Pro « funere illius qui ab Urbe profectus, quin domicilium amiserit, « alibi decesserit, parochum Urbis, cui suberat defunctus, « quartam funeris repetere a parocho loci, ubi decessit.... Pa- « rochos Urbis integra sua facere emolumenta pro funere cu- « iusque hospitis, etsi in Urbe defunctus ad aliam regionem « sepeliendus transferatur, quin alteri quarta funeris debeatur « iuxta vetustissimum Urbis *privilegium* ». Patet 2° ex Canonistis, qui passim dicunt quartam in hoc quoque casu esse solvendam. Cf. Ferraris (*v. Quarta n.* 7), Schmalzgr. (*III.* III. XXVIII. *de Sepult.* 84) , Barbosa (*De Par. III.* XXV. 26), Vecchiotti (*II.* § 61), De Angelis (*l. c.*) etc. Patet 3° quia ratio quae viget in aliis casibus, de quadam scilicet compensatione danda illi Ecclesiae in qua defunctus dum vivebat *colesti pabulo refici consuevit* (*Decretal. III.* XXVIII. *Cap. I*), in isto quoque viget. Alicubi tamen certe consuetudo est ut nihil solvatur. Vide Lambertini (*Inst. C. V. n.* 44).

1386. *Si peregrini cadaver ad suam parochialem deferri deberet , tunc quid iuris esset parocho . in cuius paroecia mors evenit ?*

I. Quamvis forte ipse extrema Sacramenta defuncto administrasset, non exinde ius acquireret ad quartam funebrem, quae non iam pro accidentali assistentia in morte praestita ; bene vero (ut mox supra dicebam) pro coelesti pabulo in vita subministrato de iure debetur.

II. Quoad cadaveris autem associationem ad ecclesiam tumulantem, haec de iure communi ad proprium defuncti parochum (non vero ad parochum loci) spectat. Patet apertissime ex resolutione S. C. C. (14 *maii* 1881 *Bononien. apud Acta XIV.* 346) et ex Lambertinio (*Inst CV.* 46), Scarfant. (*ad Ceccop. Addit.* 48 *n.* 56) etc. ; idque valere videtur quamvis defunctus non in parochiali sed alibi funus habere deberet (*Acta l. c.* 349). Ratio est quia ex una parte parochus proprius iurisdictionem in parochianum etiam extra paroeciam peregrinantem, habere non cessat ; et ex alia ingressus ad paroeciam alienam pro cadavere associando (etiam cum clero et cruce elevata) neque iure neque consuetudine communi interdicitur. Excipe I° nisi alicubi privilegia vel consuetudines legitimae in contrarium essent, et parocho loci sive totaliter sive in parte faverent (*Acta l c.*). Excipe 2° nisi defuncti parochus venire recusaret, aut (v. g., propter distantiam) accersiri non posset;

tunc enim associatio ad parochum loci (ubi mors accidit) spectaret. Patet ex resolutione S. C. C. (22 *Dec.* 1866), et pro tali casu apud Acta (*III.* 45) legitur : « Ius associandi defuncti « corpus ad constitutam sepulturam regulariter ad proprium « parochum pertinere. Proprium autem parochum ad hunc ef- « fectum illum quoque censeri, in cuius paroecia aliquis deces- « sit, quamvis brevi tempore et perfunctorie in ea sit moratus, « et sacramenta recipere ex violento morbo non potuerit ».

1387. *Quid de iure parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad vagos ?*

I. Quoad sacramenta, parochus nullum ius habet ut vagi, excepto casu infirmitatis, ad illum recurrant; parochiani enim minime sunt. Iis tamen petentibus sacramenta administrare potest, comprehenso matrimonio et habita fide status liberi a Curia Episcopali. Sanchez opinatur posse parochum valide assistere matrimoniis vagorum etiam extra fines paroeciae suae; sed haec opinio passim reiicitur (*cf. Schmalzgr. IV.* n. n 163), atque, ut alias innui, probabilis mihi non videtur; personali enim iurisdictione erga illos non gaudet.

II. Dixi, *excepto casu infirmitatis*, si enim vagus infirmus decumberet; tunc administratio Viatici et Extremae Unctionis ad parochum intra cuius paroeciae fines casus accidit, spectaret exclusive.

III. Sepultura (nisi consuetudo Cathedrali faveret) spectat pariter ad parochum. Si autem vagus sepulturam sibi alibi elegisset, tunc eidem parocho ius ad quartam remaneret. Vecchiotti (*II.* § 61).

1388. *Quid si quis, relicto prorsus suo domicilio, pergeret ad novam paroeciam, et, non adhuc contracto novo domicilio (dum scilicet est in via), matrimonium apud aliquem parochum contraheret ?* Canonistae dicunt, matrimonium valere (*Cf. Schmalzgr. IV.* n. n. 164). Sed hoc sic absolute dictum (nisi scilicet ageretur de itinere longo et sponsi ab antiqua et nova paroecia valde distarent) verum esse non posse mihi videtur ; secus enim lex adeo momentosa nimis facile eludi posset.

1389. *Quid de iure parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad illos, qui in duabus paroeciis duo veri nominis domicilia habent ?*

I. In vita isti possunt satisfacere praecepto paschali, atque etiam contrahere matrimonium sive in una sive in alia paroecia pro libitu ; et solum de convenientia erit ut paroeciam

ubi actu degunt, eligant. *Cf. De Angelis* (*IV.* III. 4°) *et Gousset* (*n.* 223).

II. In morte autem, sacramentorum administratio ad parochum, ubi infirmi sunt, spectat. Idem dic de sepultura. *Ferraris* (*v. Sepultura n.* 25).

III. Si defunctus alibi sibi elegisset sepulturam, tunc quarta funebris inter duos parochos esset dividenda. Patet ex Cap. *Cum quis de Sepult. in VI*ᵃ dicente: « Cum ab eo qui duo ha-« bet domicilia, se collocans aequaliter in utroque, in loco « tertio eligitur sepultura : domiciliorum ecclesiae habebunt « inter se dividere portionem canonicam ». Idem dic pro casibus sepulturae gentilitiae, dignitatis, necessitatis etc.

1390. *Quid de iure parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad illos, qui in una paroecia domicilium et in alia quasi-domicilium habent?*

I. Sanchez (III. XXIII. 19) censuit, « pro eo tempore (quo quis « in secunda paroecia quasi-domicilium retinet) non esse paro-« chianum primae parochiae, sed secundae ». At vero Schmalzgr. (IV. II. II. 151) apertissime supposuit ab hac sententia practice recedi posse ; dixit enim : « Si responsio ista (Sanchezii) « displicet, dic in utrolibet loco posse contrahere matrimonium, « quia in uno domicilium verum, in altero quasi-domicilium « habet ». Et hoc hodie tamquam certum habetur. Cf. Zitelli (*Appar. II.* II. VII. *De imped. cland.* 3), Bened. XIV (*Const. LXXXVIII. n.* 12) et vide supra dicta (*n.* 1011). Quum ergo qui habet domicilium verum in una paroecia et quasi-domicilium in alia, sit parochianus in utraque ; plane sequitur quod *regulariter* in utraque praecepto paschali satisfacere, et matrimonium contrahere possit.

II. Dicit autem Reiffenst. (*IV.* III. 63-65) quod, sicut parochus domicilii, ita quoque parochus quasi-domicilii, etiam extra suae paroeciae territorium, matrimonio valide, et subinde etiam licite (si nempe privatim sine benedictione nuptiali, aut de consensu parochi loci celebretur), assistere posset.

III. Viatici et Extremae Unctionis administratio spectat ad parochum quasi-domicilii, si ibidem infirmus decumbat.

IV. Denique sepultura *regulariter* spectat ad parochum, in cuius paroecia mors accidit. *Ferraris* (*v. Sepultura n.* 23).

V. Dixi *regulariter;* quandoquidem imprimis quoad matrimonium et sepulturam exceptio dari potest casu quo persona habeat verum domicilium *in eadem civitate*, ubi quasi-domicilium habet. Famula, v. g., habet quasi-domicilium apud herum

in paroecia A, dum habet quoque suum verum domicilium paternum vel maternum vel fraternum in paroecia B eiusdem civitatis. Qui casus etiam in Collegiali, Educanda etc. facile contingere potest.

De casu isto Bened. XIV, dum esset Archiepiscopus Bononiensis, (*Inst. XXIII, et LXXXVIII*) statuit, matrimonium et sepulturam ad parochum domicilii veri spectare. Idem cautum fuit in Statuto Cleri Romani (*C. III.* § 21), ubi statuitur: « Familiares et famulos Cardinalium seu aliorum Principum et « Praelatorum nec non aliorum quorumcumque, qui habent « domum et familiam in alia parochia (Urbis), ad illam per« tinere ». Et in additionibus, ad ipsum statutum (*C. III.* § 9) sequentia statuuntur:

« Si scholastici sint exteri, vel nullum habeant in Urbe « domicilium, ad parochiam intra cuius fines situm est collegium, « non solum quoad funeralia, sed etiam quoad matrimonia, « pertinere statuimus ».

« Si vero domicilium in Urbe non habentes, ad amicorum « vel coniunctorum aedes, ratione infirmitatis, aliave quacumque « de causa, non derelicto tamen collegio, se transtulerint, ibi« que decesserint, ad parochiam collegii pertinere declaramus ».

« Hoc idem servandum erit in puellis et aliis, quae educationis « vel famulatus, aliave quacumque de causa accidentali, in mo« nasteriis aut conservatoriis degunt; quarum cadavera tumu« landa esse mandamus in sepulchro maiorum, si habeant, vel « in ecclesia parochiali, intra cuius limites unaquaeque proprium « habet domicilium, quatenus absque electione sepulturae de« cesserint ».

« Si vero sint exterae, vel non habeant in Urbe domicilium, « servetur quod de scholasticis supra dictum est, tam in fune« ralibus quam in contrahendo matrimonio, prout etiam decla« ratum fuit in Congregatione particulari sub die 19 Ian. 1705 ».

Consonat S. C. C., quae interrogata ab Episcopo Eugubino « An matrimoniis famularum assistere debeat parochus domicilii « paterni, seu potius alter, in cuius paroecia puellae famulatum « praestant? » Sub die 24 Maii 1788 respondit: « Episcopus per « decretum iubeat, ut matrimoniis puellarum, quae famulatum « Eugubii praestant, assistat parochus domicilii paterni, ma« terni, fraterni eiusdem puellae, quatenus illud habeant in « eadem civitate; si non habeant, assistat parochus domicilii in « quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contra« hant » (apud Vecchiotti *III.* § 106 *v. Quaeritur*).

Sed haec dispositio (quatenus circa matrimonium et sepulturam excludit parochum quasi-domicilii, si persona in eadem civitate verum domicilium habeat) 1° respicitne solum licitum, an vero (quoad matrimonium) etiam validum? 2° estne lex universalis quae valeat pro toto Orbe? Ad primum recte respondent Vecchiotti (*l. c.*) et Berengo (*n.* 136 *v. Patet*) respicere solum licitum. Ad secundum communior interpretatio esse videtur quod agatur de lege universali; sed hoc mihi difficile est; crederem enim, statutum Cleri Romani, Clerum ipsum, non vero totum Orbem respicere; et solum constituere normam, iuxta quam expediat ut Episcopi in suis Dioecesibus tantundem statuant, ut ex praedicto responso ad Episcopum Eugubinum coniicere licet. Aliud indicium habetur ex Vecchiotti, qui (l. c.) dicit contingere posse, ut, inspectis Dioecesis circumstantiis, contrarium ab Episcopo prudentius ac tutius decernendum sit, « ut scilicet quisque inire matrimonium legitime valeat « coram eo parocho, qui aedes heri, vel monasterii septa, vel « seminarium suae paroeciae limitibus percenseat, quin necesse « sit investigare, utrum in alia civitatis paroecia contrahentes « domicilium verum habeant ». Caeterum cf. Ferraris (*v. Matrimonium n.* 120) et Pallottini (*v. Matrimonium* § *XV. n.* 278).

VI. Exceptiones etiam dari possunt quoad satisfactionem praecepti paschalis et administrationem Viatici et Extremae-Unctionis, si forte persona sit in loco a iurisdictione parochi exempto, vel sub clausura etc.

Sed haec omnia, veniendo magis ad particularia, maiori explicatione indigent.

1391. *Quid itaque de iuribus parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad infirmos in nosocomiis; famulos; collegiales; seminaristas; horphanos degentes in orphanotrophiis; expositos; infantes apud nutrices; milites; carcere detentos; Regulares cum votis solemnibus; Educandas sub clausura; alias personas degentes apud Regulares vel Moniales; et denique personas adscriptas piis congregationibus et collegialiter viventes sine votis solemnibus?* Ad clare et accurate respondendum, singula seorsim considerari debent.

1392. *Quid de iurisdictione parochi relate ad infirmos aliosque degentes in nosocomiis?*

Si nosocomium exemptum non foret, tunc omnia spectarent ad parochum. Sed ad quem parochum? Praescindendo a casu necessitatis, aut a consuetudine legitima, et supponendo (prout ordinarie contingit) quod infirmi in hospitali quasi-domicilium

non contraxerint, tota iurisdictio non ad parochum loci, sed ad parochum proprium uniuscuiusque infirmi, spectaret. Bene scripsit Scarfantoni (*Addit. XLVIII. n.* 75): « Qui erant « parochi eorum ante infirmitatem, cuius causa delati fuerunt « ad hospitale, adhuc remanent parochi proprii eorundem in- « firmorum; ideoque de iure, cessante exemptione hospitalis, « tenerentur singulis suis parochianis infirmis in eodem hospi- « tali administrare Sacramenta, eosque sepelire ». Consuetudo autem valde generalis, de qua supra (*n.* 1383 iv) verba feci, cum casu isto, in quo multi infirmi coadunati esse solent, confundi non debet, nisi facto ipso constaret quod ad hunc quoque casum extendatur. Quid enim si in aliqua ex nostris paroeciis nosocomium pro peste affectis constitueretur? Nunquid teneretur parochus eiusdem paroeciae non solum suos parochianos sed etiam alios assistere, etsi eorundem parochi vicini essent? Non credo.

Hodie autem ut plurimum nosocomia sunt exempta, et subiiciuntur iurisdictioni proprii capellani; ita ut non solum infirmi, sed etiam inservientes (si diu noctuque in hospitali maneant) eidem quasi parocho subdantur, et a parochi proprii iurisdictione eximantur (*Berengo n.* 37). Haec autem praxis merito inducta fuit, ut ait De Luca (*De Par. D.* xxiii. *n.* 11), « ob « magnam confusionem alias resultantem circa sacramentorum « administrationem, quam frequentius ex improviso et quacum- « que hora, etiam de nocte, facere oportet, si pro singulis in- « firmis diversarum parochiarum, etiam distantium, convocare « oporteret proprios parochos, quod esset impracticabile ».

Attamen exemptio a iurisdictione parochi ordinarie restringitur solum ad ea, pro quibus dicta ratio confusionis et impracticabilitatis militat, scilicet ad sacramenta Eucharistiae et Extremae-Unctionis. Matrimonium itaque et sepultura ecclesiastica in capellani iurisdictione ordinarie non comprehenduntur; bene vero ad parochum spectant. De Matrimonio scribit Zitelli (*App. II.* n. vii. § 5. *de imp. cland.* 3): « Casu quo gravi « infirmitate laborantes (in hospitali) contrahere debeant ma- « trimonium, aut recurrendum est ad parochum loci domicilii « vel quasi-domicilii, ut eius delegatio obtineatur; aut haec ab « eius Ordinario petenda est, et exquirendum iudicium Ordina- « rii loci. Bened. XIV. Inst. XXXIII. 13 et LXXXVIII. 3 ». De sepultura ecclesiastica autem duas habemus decisiones S. C. C. an. 1694 et 24 Ian. 1857 (*apud Acta XIV.* 346. 351), quarum postrema sic prostat: « An capellanis hospitalis S. Mariae de

« vita et morte competat ius ducendi solemniter funera ad « publicum coemeterium, seu potius spectet ad parochum in « casu ? EE. PP. respondere censuerunt: Negative ad primam « partem; affirmative ad secundam ».

Sed administratio Sacramenti Matrimonii et sepulturae ecclesiasticae spectabitne ad parochum loci ubi situm est nosocomium; an vero ad parochum loci ubi sita est domus infirmi ? R. Spectabit ad parochum ex cuius paroecia infirmus ad hospitale translatus fuit, non vero ad parochum loci ubi hospitale ipsum situm est, ut ex supradictis infertur. Intellige tamen semper nisi infirmus esset de eius paroecia; aut quasi domicilium in hospitali contraxisset; aut quoad sepulturam ratione distantiae parochus proprius ius amisisset (iuxta dicta *n.* 1383. V); aut privilegium aliusve legitimus titulus intercederet. Ratio est quia sola circumstantia mansionis in nosocomio propter infirmitatem, non sufficit ut quis in nosocomio ipso quasi-domicilium contrahat, atque adeo parochianus evadat. « Regulariter (in« quit Zitelli *l. c.*) non adquirunt (infirmi) quasi-domicilium in « hospitali ». Nota quod dicit *regulariter;* si enim animo ibi manendi perpetuo aut saltem pro maiori anni parte (prout in chronicis et inservientibus contingere potest) illuc degerent; tunc domicilium vel quasi-domicilium, et proinde parochialitatem, acquirerent. Quod reapse relate ad infirmos aut defunctos in hospitali parochus loci nullum ius habeat regulariter, notant Canonistae passim (ut videre est apud Acta XIV pag. 349); et novissime (scilicet 14 Maii 1881) id decisum fuit a S. C. C., quae interrogata an ius funerandi competat parocho loci, an vero parochis propriis defunctorum, respondit competere *parochis domicilii defunctorum* (*Acta l. c.* 352).

Attamen in hac quaestione tota haberi debet quoque ratio consuetudinis, quae facile posset esse legitima; unde scripsit Leurenius (*III.* II. CCCCLIII. 3): « Neque, dum mortuus in ho« spitali elegit sepulturam in alia ecclesia, ac propterea inde a« sportandum funus, possunt Regulares quorum est hospitale, « se in hoc ingerere, extra septa propriae domus regularis; sed « tali casu subintrat parochus, nimirum proprius defuncti, sub « cuius parochia hic vivebat, et non ille intra cuius parochiam « situm est hospitale; nisi forte ex privilegio et (*nota*) consue« tudine, quae improbabilis non est, maxime in magnis urbibus, « ubi causaretur confusio et incommodum, si vocandus semper « esset proprius defuncti parochus ».

1393. *Quid de iurisdictione parochi quoad famulos et famulas?*

I. Imprimis Canonistae passim absque ulla distinctione dicunt, ab his contrahi quasi-domicilium in paroecia intra cuius fines adest domus heri. Quum tamen aliquando ad experiendum dumtaxat, vel precarie, vel utcumque exclusa intentione remanendi per maiorem anni partem, se collocent; stando in principiis distinguendum esset. Distinguunt reapse plures canonistae primi subsellii, inter quos Schmalzgr. (*IV.* II. III. 150) ad quaesitum: « An sufficiat habitatio quidem per tempus notabile. ..., « ut solent qui *famulatus*, negotiationis causa, ad talem locum « se recipiunt? » Respondet: « Qui ex huiusmodi causis ver-« santur in aliquo loco, *modo ibi versentur animo habitandi* « *ibidem per maiorem anni partem*, coram parocho illius loci « matrimonium valide inire possunt ». Similiter Reiffenst. (*IV.* III. 61) dixit: « Famulos mercenarios, et alios, *qui per maiorem* « *anni partem alicubi morari intendunt*, primo statim die fieri « parochianos etc. ».

II. Hinc famuli ordinarie habent quasi-domicilium in domo heri, simulque (non tamen semper) conservant domicilium verum in domo paterna vel materna etc., quae in eadem civitate vel alibi esse potest. Interdum autem possent esse in paroecia, quin quasi-domicilium contraxerint; et tunc tamquam peregrinantes aut vagi considerandi erunt, secundum quod domicilium verum alibi habeant vel non habeant. Dixi *famulos non semper conservare verum domicilium alibi;* aliquando enim, mortuis genitoribus, propriam familiam amplius non habent; aut, si habent, illam ita deseruerunt ut intentionem ad eandem redeundi prorsus deposuerint.

III. Iuxta hos diversos casus, quid de parochi iurisdictione circa famulos vel famulas dicendum sit, ex principiis generalibus supra expositis et declaratis facile coniici poterit.

IV. De famulis autem Regularium sermo habebitur infra.

1394. *Quid de iurisdictione parochi circa Collegiales, Seminaristas, et orphanos in orphanotrophiis degentes?*

I. Hi collegiales, seminaristae et orphani ex una parte paternum vel maternum vel fraternum domicilium (sive in eadem civitate sive alibi) conservare solent; et ex alia quasi-domicilium in collegio vel seminario vel orphanotrophio contrahunt; unde, dum ibi morantur, de iure communi, parocho loci subiiciuntur.

II. Alicubi collegia, et speciatim seminaria, ex decreto epi-

scopi vel consuetudine, sunt exempta; et tunc alumni proprio directori (qui ipsorum quasi-parochus esset), quoad satisfactionem praecepti paschalis et sacramenta in extremis, subiiciuntur. Funeralia autem, iuxta distinctiones supra (*n.* 1390 V.) expositas, modo ad parochum loci, modo ad parochum domicilii paterni spectabunt.

III. Notandum tamen, speciatim circa orphanas, contingere posse quod nullum aliud domicilium habeant; quod scilicet aliqua puella propriam familiam reliquerit cum intentione nunquam ad illam redeundi, et manendi in hospitio usque ad matrimonium, ibi contrahendum, etsi identidem ad breve tempus ad suos invisendos se conferre intenderit. In hoc casu parochus familiae ipsius nullo, uti patet, iure, nullaque auctoritate sive quoad matrimonium sive quoad sepulturam circa puellam huiusmodi potiri posset. Bened. XIV (*Inst. XXXIII.* 14).

1395. *Quid de iurisdictione parochi quoad puellas, quae vulgo expositae dicuntur?*

I. Loquendo de illis quae sunt in brephotrophio, advertendum est imprimis quod de iure communi, quoad iurisdictionem parochialem, parocho loci, ubi situm est brephotrophium, subiiciuntur. Ex decreto episcopi tamen vel consuetudine, plus vel minus exemptae esse possent; nec desunt casus, in quibus ex privilegio specialissimo iurisdictio, non excepto matrimonio, ad earundem capellanum spectat. Cf. Pallottini (*v. Matrimonium XV.* 184).

II. Non levis est difficultas circa illas, quae ad brephotrophium quidem spectant, sed aliis (v. g., tamquam famulae) traditae sunt, casu quo matrimonium contracturae sint. Si matrimonium contraherent coram parocho loci, ubi degunt, res plana et expedita esset; sed ea occasione ordinarie revocari solent ad brephotrophium, ibique, post moram brevissimam, coram parocho brephotrophii ipsius matrimonio iunguntur. Eritne validum huiusmodi matrimonium? Esset validum si brephotrophium tamquam domicilium paternum considerari deberet, simulque puella (dum recessit) intentionem ad illud redeundi conservasset. Sed de his practice dubitari posse videtur. Imo apud Pallottini (*l. c.* 285-290 *et v. Dispensatio* § *XI. n.* 23-28) habemus duo responsa S. C. C., in quibus matrimonia ita contracta sanantur in radice, et statuitur, « ius assistendi matri« moniis spectare ad parochum domicilii vel quasi domicilii ». Saltem itaque ad cautelam indultum Apostolicum implorare oporteret, prout Florentiae fecit Rector brephotrophii an. 1842; ut videre est apud eundem Pallottini (*l. c.* 285).

1396. *Quid de infantibus nutricibus traditis?* Attento defectu intentionis in his infantibus et brevitate temporis quo apud nutrices relinqui solent, quasi-domicilium contrahere non censentur. Tempus quippe quod sufficeret pro aliis, ex animi et voluntatis defectu, pro illis non sufficit; et proinde, si in aliena paroecia apud nutricem moriantur, regulae quae de peregrinis expositae sunt, in rigore servari deberent. Ita decernitur in Statuto Cleri Romani apud Giraldi (*I. Sect. CCCCLXXXVIII*). Si tamen consuetudo in contrarium adesset, servari posset. Notandum est etiam quod, ut plurimum, emolumenta exinde provenientia adeo exigua sunt, ut credi non possit quod parochus proprius de iisdem quidquam praetendat.

1397. *Quid de iurisdictione parochi quoad milites?*

I. Videndum imprimis an milites habeant proprios capellanos, et quali auctoritate isti polleant; contingere enim potest (maxime si exercitus episcopum castrensem aut capellanum maiorem haberet) quod capellani ipsi quoad milites (imo et eorum familias si diu noctuque in castris militaribus degerent) iurisdictione quasi parochiali (non tamen semper exclusive) gaudeant. *Cf. Schmalzgr.* (*IV.* II. II. 165 - 168), *Berengo* (*n.* 41), *Vecchiotti* (*III.* 106) *etc.*

II. Seclusa autem capellanorum castrensium auctoritate, canonistae communiter distinguunt et dicunt: Si milites sint in praesidiis; tunc parocho loci subiiciuntur; si vero sint in expeditione, aut (alii addunt) in hybernis; tunc tamquam vagi considerantur. Sed haec omnia cum mica salis intelligenda esse videntur. Imprimis quod milites tamquam vagi haberi debeant, admitti non potest, si (prout hodie communiter accidit) domicilium in patria conservent, ad quod (militiae tempore expleto) redire intendant; qua de re vide Lambertini (*Inst. LXXXVIII. n.* 9) et Reiff. (*II.* I. 45). Quod autem, dum sunt in praesidiis, tamquam quasi-domicilium habentes semper considerari debeant, hoc etiam non semper verum esse crediderim ; contingere enim potest quod etiam in praesidiis ad tempus nimis breve destinentur, aut nimis facile quovis momento ab uno ad alium locum transferri possint. Hoc perpendit etiam Schmalzgr. (*IV.* II. III. 165), qui dixit, « milites non habere quasi-domicilium non « solum quando in expeditionibus et castris sub papilionibus de- « gunt, sed etiam quando sunt in hybernis, *imo et in praesidiis*; « modo his non stabiliter aut per maiorem anni partem addicti « sint, sed a nutu Ducis, eos ad exercitum, expeditionem, vel

« aliud praesidium evocantis, pendeant ». Et profecto aut a principiis recedendum, aut sic distinguendum est.

1398. *Quid de iurisdictione parochi quoad carcere detentos?* Communiter sic distinguunt: Aut carcere detentus ibi detinetur custodiae causa (dum scilicet processus conficitur); aut ad poenam (lata iam sententia) luendam. Domicilium (dicunt) non in primo casu; bene vero in secundo contrahitur. *Cf. Lambertini* (*Inst. XXXIII.* 12), *Vecchiotti* (*III.* § 106), *et Pallottini* (*v. Matrimonium n.* 230-233). Sed quid si poena solum ad paucos dies, vel certe non ad maiorem anni partem, extenderetur? Etsi Canonistae hoc in puncto non distinguant; tamen Zitelli (*Appar. II.* n. VII. *De imp. cland.* 3) distinguendum esse censet, et dicit valere matrimonium coram parocho carceris, « si perpetuo aut ad notabile tempus (incarceratus) « ibi luat poenam ». Noto hic etiam quod, si principiis stare velimus, haec distinctio necessaria est.

1399. *Potestne Parochus ullum ius habere quoad sacramenta et sepulturam relate ad Regulares vota solemnia habentes?*

I. Si Regularis in loco dissito a coenobio sui Ordinis infirmetur, consideratur tamquam peregrinus, et Sacramentorum administratio spectat ad parochum loci, qui tunc fit parochus necessitatis.

II. Eveniente morte, videndum an defunctus commode deferri possit ad monasterium; quod si fieri nequeat, ius sepulturae devolvitur ad parochum; ita tamen ut tunc Regularis ante mortem sepulturam sibi eligere potuisset. Infertur ex Cap. V. *Religiosi* de Sepult. in VI°, ubi legitur: « Religiosi, nisi a « propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea « cum moriuntur commode portari non possint, nequeunt (cum « velle et nolle non habeant) sibi eligere sepulturam; sed sunt « apud sua monasteria sepeliendi ».

III. Praescindendo a dicto casu necessitatis atque etiam a casu absolutae dispersionis, parochus nullum ius habet circa Regulares, neque 1° quoad Sacramenta, si forte extra monasterium infirmentur; neque 2° quoad sepulturam, si forte defunctus ab alia domo ad ecclesiam, vel a monasterio ad publicum coemeterium deferri debeat; dummodo sine pompa id fiat. Primum patet quia « Regularis dicitur esse in monasterio, ubicumque « reperiatur de licentia aut iussu sui Superioris » (*Panormitana apud Acta IX. pag.* 109). Secundum patet ex pluribus decisionibus; quandoquidem S. C. C. (2 *Iul.* 1620) decrevit: « Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias

« deferri, etiam parochis inconsultis »; et (24 Febr. 1846) interrogata utrum, expleto officio exequiali, vocari debeat parochus pro delatione defuncti ad publicum coemeterium, respondit: « Negative in omnibus, dummodo cadaver deferatur absque « solemni pompa, recto tramite ad coemeterium a familia re-« gulari proprii conventus tantum ». (*Apud Acta VII. pag.* 171-173). Idemque quoad sepulturam Monialium (quod scilicet associatio cadaveris ad confessarium spectat, dummodo sine pompa peragatur) resolutum fuit ab eadem S. C. (24 *Febr.* 1872) apud Acta (*l. c. pag.* 167). Extensores autem eiusdem ephemeridis bene explicant quomodo intelligenda sit expressio *sine pompa*, et dicunt (*l. c. pag.* 173) prout sequitur:

« Verba *sine pompa* vel *sine solemni pompa* idem significa-« re, ita ut per haec verba excludatur tantum pomposa delatio « funebris, quae fieri solet convocato numeroso clero saeculari « et regulari, convocatis confraternitatibus loci etc.; quae sine « parochi localis interventu et emolumento fieri non possent « (Adde quod haec voto paupertatis parum congruerent). Non « censeri autem pomposam funebrem delationem, si Regularis « defunctus associetur a solis eiusdem conventus Regularibus « (etsi plurimi essent); ideoque neque pomposam censeri fu-« nebrem delationem defunctae monialis si fiat per paucos nu-« mero presbyteros vel clericos; maxime si aliquo modo vel « titulo ad monasterium referantur ».

IV. Religiosi civilibus perturbationibus a propriis coenobiis eiecti, si essent prorsus dispersi, iurisdictioni parochorum non solum quoad Sacramenta sed etiam quoad sepulturam subiicerentur, sicut caeteri parochiani. Ita decisum fuit a S. C. Epp. et Reg. (26 *Febr.* 1864) apud Acta (*I. pag.* 168).

V. Religiosi a coenobiis eiecti hodie ordinarie non sunt prorsus dispersi, sed pertinent ad religiosam familiam proprii ordinis; idque contingit si eadem familia saltem ex tribus constet, quorum saltem unus sit Sacerdos. Huiusmodi religiosae familiae etsi in privata domo degant, quibusdam servatis conditionibus, oratorio cum iure quoque asservandi SS.mum Sacramentum gaudere possunt. (*Cf. Scavini I. n.* 671). Quatenus autem familia religiosa cum proprio legitimo superiore subsistat; tunc Religiosi, a parochorum iurisdictione exempti sunt; idque verificaretur etiam quoad illos, qui in aliis domibus commorarentur, dummodo sub dicti superioris obedientia viverent (iuxta supra dicta n. III°). Hinc Regulares huiusmodi quoad satisfactionem praecepti paschalis (si sint laici) non a Parocho, sed a Superiore

proprio dependere debent; et, si infirmentur, Sacramentorum administratio ad eundem Superiorem spectabit; qui tamen, quoad Viatici administrationem modo a sacris ritibus praescripto peragendam, ordinarie indigebit concursu parochi, qui (prout in casu peregrini in eius paroecia moribundi) recusare non poterit. Quomodo autem quoad sepulturam res se habeant, facile intelligitur ex supradictis (*n. III*).

1400. *Quid de iurisdictione parochi quoad famulos Regularium?* Hi sunt exempti; sed nec omnes nec quoad omnia. Non omnes; ex Tridentino enim (*XXIV.* XI.) oportet ut *actu serviant, et intra eorum septa ac domos resideant, subque eorum obedientia vivant;* unde si servirent quidem, sed extra claustrum degerent, exemptione ista non gauderent. Hinc S. C. C. (21. *Ian.* 1713) ad dubium: « An hebdomadarius, clericus, « pistor, olitor, et spenditrix habitantes in cortile Monasterii... « habeant requisita Concilii in casu? » Rescripsit: *Negative.* (Apud Vecchiotti *I.* § 93). Idem dic de famulis Monialium; quandoquidem ad dubium: « An famuli et famulae Monialium « saeculares degentes in mansionibus sitis in atriis monasterio- « rum muro circumvallatis et quae sunt contigua monasteriis, « et habent portam quae clauditur, teneantur recipere Sacra- « mentum Eucharistiae tempore paschali a parochis, in quorum « parochiis monasteria et mansiones sitae sunt? » Die 19 Sept. 1722 eadem S. C. respondit: *Affirmative et amplius.* Dixi quod exemptio non extenditur ad omnia. Extenditur siquidem ad praeceptum paschale, Sacramenta in extremis, et sepulturam; non vero ad matrimonium. Patet ex Decreto S. C. C. 25 Ian. 1738 apud Giraldi (*I. vol. II. Sect. DCCCXCI. tit. XXXIII*).

1401. *Quid de iurisdictione parochi quoad Sacramenta relate ad puellas, vulgo educandas, quae scilicet apud moniales vota solemnia habentes, educationis causa sub clausura morantur?*

I. Hae puellae in vita atque etiam in extrema infirmitate subiiciuntur iurisdictioni confessarii seu capellani monialium, et quidem privative, ut notissimum est. Excipitur tamen matrimonium et sepultura; enimvero

II. Educanda pro matrimonio contrahendo ad parentum suorum domum mitti debet. Patet ex Bened. XIV., qui (*Inst. XXXIII. n.* 15) refert Decret. S. C. Epp. et Reg. sequentis tenoris: « Eminentissimi Cardinales, iuxta decreta generalia, « aliaque super hac re per Sacram Congregationem edita,......, « Eminentiae Vestrae has litteras scribendas iusserunt, ut vir- « gines omnes, quae futuras nuptias data fide promiserint, iussu

« Eminentiae Vestrae, interposita etiam Sacrae Congregationis « auctoritate, ex monasteriis abeant, licet Ordinario minime « subdiectis, et parentum domos revertantur ».

III. Sed essetne validum matrimonium contractum ad monasterii crates coram confessario monialium, aut coram parocho loci ubi monasterium ipsum situm est? Quoad confessarium, negative; quoad parochum loci, affirmative. Bened. XIV. (*Inst. LXXXVIII. n.* 10) scripsit: « Equidem Passerinus docuit coram « Monialium confessario id esse peragendum. Sed quis hanc sen- « tentiam aequo animo probare queat? Cum praesertim certis- « simum sit ex Sacris Congregationibus, puellarum eiusmodi « matrimonia, nisi impedimentum aliquod interveniat, celebrari « oportere (intellige si ad parentum domum mitti nequirent) « coram parocho, cuius ditione monasterium includitur. *Matri-* « *monium* (inquit Monacellus) *contractum a puella, quae* « *existit in monasterio ad crates monasterii coram testibus et* « *parocho ecclesiae parochialis, intra cuius limites situm est* « *monasterium, validum reputatur*. Ibique sententias quoque a « Sacris Congregationibus evulgatas exponit. *Validum est ma-* « *trimonium* (inquit Braschius) *contractum ab educanda ad* « *crates monasterii coram parocho loci, ubi monasterium situm* « *est*. Ursaya pariter istarum rerum peritissimus et celeberrimus « canonum interpres scriptum reliquit, iurisperitos convenisse, « ut propositam causam diligentius expenderent, eoque coetu « tutissimam unanimi consensu habitam fuisse opinionem, quam « nuper exposuimus ». Ratio cur excluditur confessarius, est quia ab Episcopo delegatus quidem fuit quoad alia Sacramenta, sed non quoad matrimonium. Ratio autem cur parochus loci de iure quoad matrimonium huiusmodi auctoritatem habet, est quia est parochus quasi-domicilii.

IV. A fortiori autem validum esset matrimonium Educandae, si coram parocho eiusdem veri domicilii (scilicet domicilii paterni) ad monasterii crates celebraretur.

V. Dari possunt casus urgentes in quibus, non obstante lege n. II° indicata, matrimonium Educandae sic in monasterio celebrari debeat; et tunc iam mox supra n. III. vidimus quod (loquendo de licito) si Educanda non esset eiusdem civitatis, parocho loci assistentia sine ulla controversia competeret. Si autem eiusdem civitatis foret, tunc, iuxta dicta n. 1390. V., si lex dioecesana parochum domicilii designaret, ille accersendus esset. Deficiente autem lege dioecesana, interpretatio communior adhuc eidem parocho faveret, ut ibidem dixi. Quum tamen in

rigore res dubia mihi videatur, si parochi non convenirent, Episcopus decidere deberet.

1402. *Quid de sepultura Educandae, quae forte in monasterio moriatur?* Pellizari (*X.* III. 233) cum aliis dicit, iura funeralia spectare ad confessarium monasterii; sed haec doctrina neque vera neque probabilis est. Obstant enim sequentia. 1° Confessarius delegatus fuit pro Sacramentis, non vero pro sepultura. 2° Nulla necessitas aut convenientia adest, ut exemptio a iurisdictione parochiali extendatur etiam ad sepulturam. 3° Plura decreta vetant ne in ecclesia monialium sepeliantur personae saeculares (*Cf. Scarfant. Addit. XLVIII. n.* 55). 4° S. C. C. (11 *Apr.* 1742) apud Ferraris (*v. Moniales I.* 62) decrevit quod Educandae decedentes non sibi electa sepultura sepeliendae sint in parochia sub qua est monasterium, si non habeant sepulchrum maiorum. Et, si elegerint sepulturam in monasterio, possint ibi sepeliri (*intellige si, contra eius commune, ex privilegio id liceat*); sed deberi quartam funeralem parocho. Hoc patet etiam ex iis quae dicuntur apud Acta S. Sedis *Vol. VII. pag.* 168 *not.* 1, maxime vero *Vol. VIII. pag.* 535. 536. Caeterum, si Educanda domicilium paternum in eadem civitate haberet, recolenda essent supradicta (*n.* 1390. *V.*).

1403. *Quid de iurisdictione parochi relate ad alias personas, quae alio titulo apud Regulares vel Moniales vivant?*

R. Praescindendo a novitiis, qui tamquam religiosi considerantur (*De Alexandris XI. IV. q.* 17), alii degentes apud Regulares subiiciuntur iurisdictioni parochi. Scripsit Giraldi (*l. c.*): « Si autem agatur de hospitibus, qui vere non sint fami-
« liares (scilicet famuli), quamvis continuo degant intra septa
« monasterii; ibique infirmentur et moriantur, nullatenus dicta
« Sacramenta (Viatici et Extremae Unctionis), irrequisito pa-
« rocho, ministrare possunt (Regulares), eosque in propriis
« Ecclesiis sepelire, ut declaravit eadem S. C. in Astensi, in qua
« refertur quod Comes Eustachius Palio, mortua uxore, se con-
« tulerit ad conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augu-
« stini civitatis Astensis, ibique, solutis conventui alimentis,
« habitu saeculari indutus, diu vitam duxerit; et postremo cor-
« reptus lethali morbo obierit; iidem Patres, absque parochi
« praesentia et interventu, Viaticum et Oleum Infirmorum ei
« ministraverint, ipsiusque cadaver sepulturae mandaverint;
« ortum fuit dubium an licite potuerint, irrequisito parocho,
« Sacramenta ministrare et corpus tumulare? » S. C. die 27 Nov. 1717 respondit: *Negative* (Apud Giraldi *l. c.*). Si autem age-

retur de muliere, quae intra monasterium sub clausura cum Monialibus degeret: tunc in vita et in extrema infirmitate Confessarii iurisdictioni subiiceretur; sed quoad sepulturam redirent supradicta. Uno verbo puellis educandis aequiparari deberet. Ferraris (*v. Moniales I.* 63) et Acta (*VIII.* 536).

1404. *Quid si quis clausuram monialium ingressus inopinato casu corriperetur morbo lethali, neque extra clausuram deferri posset? Administratio Viatici et Extremae Unctionis eiusmodi moribundo ad quem spectaret?* In casu extremae necessitatis qui primus occurrit Sacramenta administrare poterit; sed, si res moram pateretur, ad parochum eiusdem; non vero ad Confessarium (qui pro tali casu delegationem nunquam habuit) talis administratio spectaret. Ita Pellizari (*X.* III. 232). Si autem parochus proprius eiusdem moribundi advocari nequiret, tunc ad parochum loci, iurisdictio devolveretur, prout iure communi statuitur. Clausura autem id unum efficeret ut licentia Superioris petenda esset, si commode peti posset.

1405. *Quid de Religiosis vel Monialibus sine votis solemnibus, seu de piis viris vel foeminis collegialiter quidem viventibus, sed non in religione quae tamquam verus ordo religiosus cum tribus votis solemnibus et perpetuis a S. Sede fuerit approbata?*

I. Personae istae (et a fortiori puellae educandae apud huiusmodi Moniales conviventes) de iure communi subiiciuntur iurisdictioni parochiali. Patet ex plurimis S. C. Epp. et Reg., nec non S. C. C. declarationibus, ut videre est apud Lucidi (*II. V.* § 8. 459) et apud Acta (*I.* 98; *VIII.* 532. 533 *etc.*).

II. Attamen plus vel minus (vel etiam totaliter) a tali iurisdictione eximi possunt, sive ex privilegio apostolico, sive ab Episcopo. Quod autem Episcopus confessarium particularem huiusmodi piis foeminis assignaverit, hoc non sufficit ut exemptae existimentur; sed formale exemptionis decretum, aut consuetudo exigitur (Cf. Berengo *n.* 39). Ut tamen Episcopus valide ad decretum istud procedere possit, graves exiguntur rationes, quae exemptionis gradui proportionatae sint; aliud enim est si piae foeminae quoad solam communionem paschalem, et aliud si quoad Viaticum et Extremam Unctionem; maxime vero aliud si etiam quoad sepulturam a parochiali iurisdictione eximantur. Item facilius si de numerosa, et difficilius si de parva communitate ageretur, ad exemptiones Episcopus devenire posset. Insuper in quovis fere casu aliquod onus in recognitionem parochialis auctoritatis relinqui deberet (*Cf.*

Acta VIII, 544). Videtur denique, quod Ordinarius solum tamquam Apostolicae Sedis delegatus (et proinde solum occasione Sacrae Visitationis) ad huiusce generis decretum (sine speciali indulto apostolico) devenire valeat ; legitur enim apud Acta (*XII*. 353) : « Iura parochialia ex iure communi promanant, contra quod nil possunt locorum Ordinarii ». Vide etiam Acta (*VIII. pag.* 540).

1406. *Quid si haeredes defuncti in exequiis pompam extraordinariam, non sine magno parochi incommodo exigerent?* De Luca (*XII*. III. *Pe Par.* XXVIII. 6) dicit, taxam consuetam respicere funera consueta ; neque parochum teneri huiusmodi functiones facere in forma pomposa cum extraordinario ac magno incommodo et labore ; et in casu maiorem recognitionem exigere posse.

1407. *Quid de Parocho exigente taxam ad praestandum locum pro sepultura non equidem consueta sed honoratiori sive in coemeterio sive in ecclesia? Scilicet* 1° *Estne hoc licitum?* 2° *Exigiturne licentia Episcopi?*

Ad primum sic respondet Reiffenstuel (*III*. XXVIII. 68) : « Probabile est posse etiam per modum pretii et contractus « aliquid peti et accipi pro honoratiori situ et loco sepulturae, « v. g., ut quis sepeliatur in ecclesia, capella etc.... Ratio est « quia in tali casu non attenditur ipsa sepultura, sed honor et « praeeminentia, quae ut quid profanum pretio aestimabile est... « Accedit praxis quotidiana doctissimorum et timoratissimorum « virorum ex utroque tam saeculari quam regulari clero pro se- « pultura in ecclesiis vel aliis similibus honoratioribus locis sine « omni scrupulo paciscentium et pretium accipientium, scientibus « et tolerantibus RR. Ordinariis, imo idipsum per suos practican- « tibus, qui omnes sane continuae simoniacae pravitatis argui « absque temeritate vix possunt ». Idque confirmat exemplo sedilium in ecclesia inquiens: « Sicut a pari contingit, si pro pretio « Ecclesia laico concedit honoratiorem locum, seu sedem seu ban- « chum in ecclesia, quod fieri posse etiam adversarii concedunt ».

Ad secundum sic respondet Barbosa (*De Par. III*. XXVI. 11): « Tribus modis locus sepulturae dari potest : 1° ut is cui datur « fiat dominus eius ; 2° ut habeat ius sepeliendi in eo mortuos « suos, et impediendi ne alii sepeliantur ; 3° ut possit sepelire « aliquem in ea.... Primo modo nulli potest dari locus sepultu- « rae, etiam cum auctoritate Episcopi, quia rei sacrae dominium « nullus habere potest. Secundo modo non potest dari sine « auctoritate Episcopi, nec cum illa sine iusta causa... Tertio,

« modo potest dari a quolibet habente.... ius admittendi ad se-
« pulturam in sua ecclesia... sine auctoritate speciali Episcopi,
« per auctoritatem quam habet a iure communi ». Hoc tamen tertio modo sepultura gentilitia, quae praebeat iura hoc loco indicata, nunquam constitueretur.

§ VIII.

De iure parochi exigendi ut parochiani a se ipso exclusive Sacramenta recipiant vel ad paroeciam se conferant.

1408. *Quid hoc in puncto circa Sacramenta?* Iuxta praesentem ecclesiae disciplinam, parochi iura ad communionem paschalem, celebrationem matrimonii, et receptionem Viatici atque Extremae Unctionis restringuntur. Alicubi tamen ad Baptismum quoque ius parochi extenditur; ita scilicet ut Parochiani ad alias parochias infantes baptizandos deferre nequeant. De iure parochi quoad admissionem ad primam Comunionem vide dicta (*n.* 1329).

1409. *Quid circa alias functiones?* De iure parochi exclusivo quoad suorum parochianorum exequias, iam supra dictum est. Caeterum quoad alias functiones parochi adhortari quidem poterunt (et subinde debebunt) parochianos ut ad parochialem ecclesiam se conferant; sed ius praecisum id exigendi non habent. De Missa parochiali scripsit Bened. XIV (*De Syn. XI.* xiv. 10): « Integrum hodie omnibus esse in qualibet ecclesia,
« modo non sit capella seu oratorium privatum, sacris myste-
« riis interesse, quia contraria consuetudine in toto christiano
« orbe recepta, derogatum est praecepto audiendi missam pa-
« rochialem ». Hinc sequitur, de explicatione evangelii (quae intra eandem Missam fieri debet) idem esse dicendum; unde idem Bened. XIV (*l. c. n.* 13): « Obligationem, si quae un-
« quam fuit, auscultandi proprium parochum verba facientem ad
« suum populum, ablatam nunc esse per contrariam consuetu-
« dinem, cum passim viri pii et docti alio se conferant ad
« sacros audiendos oratores ».

1410. *Habetne saltem parochus ius ut parochiani mittant ad ipsum pueros suos pro doctrina christiana?* Nequidem circa rem hanc parochus verum ius habet. In collectione resolutionum S. C. C. Pallottinii (v. Doctrina Christiana n. 5) legitur: « Pueri cogi non possunt ut ad doctrinam christianam
« discendam petant ecclesiam parochialem; quandoquidem S.

« Congregatio declaravit, non posse compelli pueros, ut acce-
« dant ad ecclesiam parochialem ad doctrinam christianam e-
« discendam. *In dub. ad C. IV. Sess. XXIV de reform. Posit.*
« 77) ». Obligatio itaque absoluta parochianorum est ut filii in christiana doctrina instruantur. Quod autem ad paroeciam praecise in hunc finem eos mittant, hoc est solum de consilio, dummodo aliis mediis ipsorum instructionem procurent. Si tamen consuetudo esset ut pueri vel puellae unius paroeciae non ad propriam sed ad aliam paroeciam se conferrent; ita ut parochus vel neminem haberet cui catechismum traderet, vel soli pueri, aut solae puellae ad illum se conferrent; tunc parochus ipse, ad huiusmodi non tolerabilem consuetudinem abolendam, ad Episcopum recurrere deberet. Cf. Bened. XIV. (*Inst. IX.* 1-10).

§ IX.

De iure parochi quoad functiones faciendas aut impediendas, sive in ecclesia propria, sive in aliis ecclesiis aut oratoriis, quae forte intra fines suae paroeciae existant.

1411. *Potestne Parochus peragere functiones quaslibet sine licentia Episcopi?*

Ius parochi, quoad functiones, festivitates, expositiones SS.mi Sacramenti, et processiones, limitatur ad consuetas. Bouvier (*De ord. de oblig. praedicandi in fin.*). Speciatim quoad processiones S. C. Ep. et Reg. (*Iul.* 1636) decrevit, Parochum, etsi ageretur de aliqua universae suae paroeciae necessitate, nullam posse indicere processionem (insuetam) absque consensu et licentia Episcopi. Berengo (*n.* 164). Quoad expositionem SS.mi Sacramenti distinguendum est inter privatam et publicam. Privata (scilicet pyxide non extracta a tabernaculo, vel SS.ma Hostia velo cooperta) licet gravi de causa (etiam privata) inconsulto Episcopo et iuxta parochi prudentiam, Publica vero (et insueta) non permittitur, nisi ex causa publica et de licentia Episcopi. Benedictio autem cum SS.mo Sacramento semel in die dumtaxat (excepto casu Viatici) super populum dari potest. Bened. XIV. (*Inst. XXX*). Vide etiam Acta (*XVIII. pag.* 304). — Quoad praedicationem horâ qua praedicet Episcopus; et quoad substitutionem alterius Sacerdotis, vide dicta (*n.* 706 *et* 699).

1412. *Potestne parochus confraternitatem, aut simplicem*

piam unionem, auctoritate propria erigere? Negative. De erectione Confraternitatis (scilicet cum vexillo et propriis insignibus in processionibus etc.) legitur apud Acta (*VIII.* 285): « Ad legitimam Confraternitatum existentiam necessariam esse « approbationem episcopalem ». Pariter de simplicibus piis unionibus seu congregationibus scripsit Ursaya (apud Acta *l. c.* 275): « Congregationes vero sunt privatae quaedam hominum « adunantiae, qui privatim, *de licentia tamen Ordinarii*, con- « gregantur in aliquo loco, qui non sit Ecclesia publica, ibique « certis temporibus sua peccata confiteri, et Eucharistiae Sa- « cramento refici solent, nec non audire exhortationes et admo- « nitiones alicuius patris spiritualis......; nunquam vero hi figu- « ram faciunt in processionibus publicis, nec sacris seu specia- « libus indumentis utuntur ».

1413. *Iusne habet parochus adigendi alios Sacerdotes ut sibi pro doctrina cristiana vel sacris functionibus inserviant, aut Missam in ecclesia parochiali celebrent?* Negative. Ad haec enim ne episcopus quidem *regulariter* eos adigere potest; unde legitur apud Acta (*XV.* 326): « Episcopos, generaliter loquendo, « adigere non posse Sacerdotes, animarum curae minime addi- « ctos, ad christianam doctrinam docendam: posse tamen cle- « ricis denegare ascensum ad ordines maiores, et sacerdotibus « beneficia, si parochis operam suam commodare neglexerint « in tradenda doctrina christiana ». Dixi *regulariter*; aliud enim esset (speciatim quoad Missae celebrationem die festo) si populi necessitas id exigeret; unde scripsit Pasqualigus (*De Sacr. Missae q.* 844 *n.* 11): « Si in aliquo oppido sit unus « tantum Sacerdos qui teneatur celebrare diebus festis, et ad- « sint alii simplices Sacerdotes, poterit Episcopus eis praecipere « ad celebrandum diebus festis. Ratio est quia adest indigentia « populi, eo quod difficile sit quod omnes eadem hora conveniant « ad audiendam Missam ». Apud Acta (*II. pag.* 300). In casu itaque necessitatis Parochus Episcopum commonefacere deberet.

Plebani tamen habentes fontem baptismalem ius habent ut parochi proprii plebanatus in sabbato sancto ad eius Ecclesiam conveniant, non obstante distantia S. R. C. (10 *Iul.* 1638. *n.* 1067).

1414. *Ius parochi quoad functiones estne uniforme sive sit in ecclesia simpliciter propria (prout ordinarie accidit), sive sit in ecclesia propria solum pro exercendo officio parochiali, dum caeteroquin ecclesia ipsa sive cathedralis, sive collegiata, sive utcumque aliena sit?* Negative, uti patet.

1415. *Quid de iure parochi quoad functiones sive faciendas sive impediendas in ecclesia propria simpliciter?*

In ecclesia propria simpliciter, parochus functiones omnes consuetas (ut supra) peragendi ius habet; ita tamen ut legitimis Episcopi mandatis aut vetitis obtemperare debeat.

Ius habet quoque impediendi ne alii sine illius consensu, functionem ullam in ipsa exerceant. In hoc tamen iure exercendo rationabiliter procedere debet; quod contingeret, v. g., si Missae celebrationem non permittat sacerdotibus sive alienigenis et incognitis qui debitas litteras testimoniales non praesentent; sive divinissimum ministerium indigne et scandalose (admonitione non iuvante) tractantibus. Berengo (*n.* 156).

Stricto rigore, Parochi non tenentur subministrare *gratis* utensilia sacerdotibus in sua ecclesia celebrantibus, nec ad id possunt per Episcopum cogi: sed tantum hortari et hoc, non obstante solito. Cf. Ferraris (*v. Parochus III.* 11). Dixi *stricto rigore;* si enim nihil solvendi consuetudo esset, unusquisque videt consequentias, quae ex huiusmodi exigentia secuturae essent. S. R. C. (31 *Martii* 1703. *n.* 3643). *Cf. Monit. Eccl.* (*V.* n. 147).

1416. *Quid si parochus esset quidem in Ecclesia propria, sed in ipsa aliqua confraternitas acceptata fuisset; vel adessent Capellae iuris patronatus?*

Si in ecclesia parochiali adesset pia Confraternitas, iura n° praecedenti indicata parocho intacta remanerent; ita tamen ut conventionibus, quae in erectione confraternitatis factae fuerint, stare debeat.

Si in parochiali ecclesia (scilicet intra ipsam) adessent capellae iurispatronatus; De Bonis (*n.* 72) dicit: « Capellani « iuris patronatus celebrare debent in horis commodis ecclesiae, « et patroni nequeunt penes se tenere claves suarum capella- « rum, ex sententia Congregationis Episcoporum (*apud Pit-* « *tonum n.* 90 *ex Nicol.*) *in Ianuensi* 1578 18 *Martii.* Certe « ita sapienter cautum, ne Capellanorum celebratio publicas « interturbaret functiones, quae in ecclesia eadem fiunt, alia- « que non levia prodirent incommoda, si capellanis fieret in « quacumque hora celebrandi potestas in capellis iurispatronatus « intra ecclesiam constitutis ». Quod tamen hic auctor dicit de celebratione facienda *in horis commodis ecclesiae*, discreto modo intelligendum esse videtur (nisi a fundatore horae statutae fuissent, aut nisi absoluta populi necessitas aliquid exigeret). Aliud est enim si Missae celebratio veram turbationem afferret (ut puta, si populum ab explicatione Evangelii audienda di-

straheret aut averteret), et aliud si maiorem aliquam commoditatem non afferret. Scripsit Pignatelli (*IX. Consult. CXI.* 14): « Fateor equidem Episcopum pro illis diebus, quibus libere « celebrantur Missae iuxta mentem fundatoris, posse statuere « tale tempus, talem horam, ut per celebrationem huiusmodi « non impediatur aut perturbetur ecclesiae servitium..... Tunc « enim agit ecclesia *de damno evitando*, quod sibi afferri non « potuit per institutionem celebrationis Missarum...... At nego « posse Episcopum suis ordinationibus augere ipsius ecclesiae « commoditatem in praeiudicium dictae libertatis iure competentis rectori (beneficii). Nam ecclesia hoc casu agit *de lucro* « *captando* maioris sui commodi, quod fieri non debet cum a- « liena iactura ».

1417. *Quid si Parochus in ecclesia aliena (v. g., cathedrali vel Regularium) ad parochialia officia exercenda receptus fuisset?* Tunc, praeter functiones ad parochiale munus spectantes, alias solum iuxta conventiones legitime initas, aut de consensu patroni, peragere posset.

1418. *Quid si adesset consuetudo ut doctrina christiana non a parocho, sed a Canonicis vel Regularibus traderetur?* Consuetudo huiusmodi, ad parochi exclusionem, sustineri nequiret, sed tamquam abusus intolerabilis eliminari deberet. Aliud esset si Canonici vel Regulares doctrinam quidem edocerent, sed sub parochi directione. Vide Lucidi (*I.* III. § 10. *n.* 338) et Acta (*XV. pag.* 326).

1419. *Quid de iure parochi quoad ecclesias vel oratoria, quae intra paroeciae fines existant?* Sic distinguendum est. Si Ecclesiae istae sint a parocho dependentes; tunc (excepta retentione SS.mi Sacramenti) functiones in ipsis peragere, aut (intellige semper rationabiliter) impedire poterit, non secus ac in ecclesia propria. Si vero sint ecclesiae iurispatronatus, vel alicuius confraternitatis, vel utcumque a parocho independentes; tunc parochus ordinarie nullam in ipsis iurisdictionem habet. Dixi *ordinarie;* excipiendi enim sunt casus 1. specialis privilegii; 2. consuetudinis; 3. iuris provenientis a fundatione; 4. necessitatis. Hoc in puncto recolendus est speciatim quoad Viaticum decretum S. R. C. (22 *Aug.* 1705. *n.* 3732) sequentis tenoris: « An data distantia Ecclesiae parochialis ab infirmo SS.mo Via- « tico reficiendo, et proximitate Ecclesiae Regularium, quae « sita est intra limites parochiae, parocho urbane petenti S. « Eucharistiam extrahere ab Ecclesia regulari praedicta... liceat « Regularibus ipsis illam denegare? S. C. respondendum censuit,

« Non licere Regularibus, nec Presbyteris saecularibus etiam « exemptis, in casibus necessitatis tantum, denegare ».

1420. *Poteritne parochus exigere ut in dictis Ecclesiis tradatur pueris doctrina cristiana, vel id impedire?* Poterit impedire ne tradatur eadem hora qua traditur in parochia. S. C. C. (30 *Mart.* 1726) apud Lucidi (*L.* III. § 10 *n.* 336). Praescindendo ab hoc casu, impedire non poterit; et neque exigere. Poterit tamen recurrere ad Episcopum (qui certe auctoritatem habet) si doctrina non rite traderetur; aut si propter distantiam ab Ecclesia parochiali adesset necessitas, ut etiam in aliquo oratorio pueri edocerentur. Patet ex Bened XIV (Const. *Etsi minime*) et ex S. C. C. apud Pallottini (v. *Doctrina Christiana n.* 34).

1421. *Potestne parochus impedire ne aliae ecclesiae advocent populum tempore quo in parochiali catechismus habetur?* Negative. Poterit tamen recurrere ad Episcopum; qui hoc etiam in casu (etsi ageretur de Ecclesiis Regularium) id impediendi auctoritate polleret. Bened. XIV (Const. *Etsi minime*).

1422. *Habentne parochi ius ne quaedam functiones in aliis ecclesiis peragantur?* Affirmative; plures enim sunt functiones, quae ad parochum exclusive spectant (*Acta I.* 599). Functiones huiusmodi aliae dicuntur de iuribus parochialibus, cuiusmodi sunt 1° administratio Eucharistiae ad satisfaciendum praecepto paschali; 2° celebratio matrimonii; 3° funera pro defunctis parochianis (iuxta ea quae suo loco explicata fuerunt) *Cf. Lambertini* (*Inst. cit. CV. n.* 108). Aliae autem, etsi non dicantur de iuribus parochialibus, tamen functiones non mere sacerdotales sed parochiales appellantur; et hae quoque ad parochum exclusive spectant; quas proinde ille, iure communi inspecto (nisi scilicet consuetudines saltem centenariae, aut leges speciales, obstent), impedire poterit.

Ad hoc autem melius intelligendum, sequens celeberrimum decretum Urbis et Orbis S. R. C. (10 Dec. 1703) hic expono.

Decretum

Emissum a S. R. C. (10 Dec. 1703) circa iura parochialia, functiones et praeeminentias inter parochos et confraternitates laicorum earumque capellanos et officiales.

1423. I. *An Confraternitates laicorum, legitime erectae in Ecclesiis parochialibus, habeant dependentiam a Parocho in*

explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? Affirmative.

II. *An dictae Confraternitates erectae in Cappellis vel Oratoriis, tam publicis quam privatis adnexis parochialibus Ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?* Affirmative.

III. *An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?* Negative.

IV. *An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis, tum privatis, seiunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?* Negative.

V.° *An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum, et palmarum sint de iuribus mere parochialibus?* Negative.

Nota. Intellige, huiusmodi benedictiones et distributiones nec esse de iuribus parochialibus, nec esse functiones exclusive parochiales; et proinde in aliis ecclesiis a parocho independentibus absque ulla parochi licentia, vel etiam eo contradicente, peragi posse; dummodo consuetudines legitimae aut leges dioecesanae in contrarium non sint. Cf. Lambertini (*Inst. c. V. n. 100 et seqq.*). Idem notetur sequentibus numeris, in quibus eadem dictio recurrit.

VI. *An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et similium sint de iuribus mere parochialibus?* Negative; sed benedictiones mulierum, et fontis baptismalis, fieri debere a Parochis.

Nota. Intellige, benedictiones mulierum et fontis baptismalis, etsi non dicantur de iuribus parochialibus, tamen esse functiones parochiales, quae ad solos parochos (de iure communi) exclusive spectant. Idem notetur sequenti n. VIII.

VII. *An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere parochialibus?* Negative, prout iacet.

VIII. *An celebratio Missae solemnis Feria V in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus?* Negative prout iacet, sed spectare ad Parochos.

IX. *An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis iuribus parochialibus?* Negative, prout iacet; sed spectare ad Ecclesiam digniorem.

X. *An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus?* Negative, prout iacet; sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae, vel Oratorii.

XI. *An expositio quadraginta horarum, et benedictio, quae*

fit super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus? Negative.

XII. *An expositio, quae cum reliquiis et sacris imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus?* Negative; et quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus serventur decreta.

XIII. *An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio V ad XII expressae, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?* Satis provisum in superioribus.

XIV. *An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae canonicae, cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochi?* Affirmative; nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.

XV. *An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho?* Affirmative.

XVI. *An Cappellani Confraternitatum possint populo denuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi?* Affirmative.

XVII. *An Parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam christianam in praedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis, vel privatis, a parochiali divisis et separatis?* Negative.

Nota. Si tamen adesset necessitas, S. C. C. (29 *Aug.* 1733) respondit: *Arbitrio Ordinarii.* (Apud Pallottini v. Doctrina Christiana n. 8).

XVIII. *An in saepe dictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus, cum licentia Ordinarii et absque licentia Parochi?* Affirmative.

XIX. *An in iisdem Ecclesiis possit celebrari Missa, sive lecta, sive cantata ante Missam parochialem, sive lectam, sive cantatam?* Negative, nisi aliter Episcopus disponat.

Nota. Benedictus XIV (*Inst. XLIV*) dicit: « De rigore iuris non posse « prohiberi ut Missae non celebrentur ante Missam a parocho non celebra- « tam..... Solius Episcopi partes esse decernere ut res divina..... post sacrum « parochiale conficiatur ». Idem Pontifex (Const. *Etsi minime*) aperte supponit, dictam celebrationem non esse vetitam de iure communi; sed solum vetari posse (et subinde debere) ab Episcopis in ecclesiis ruralibus, dummodo sint vicinae parochiali. De Bonis (*n. 397*) affert aliam conditionem, scilicet dummodo Missa in ecclesia parochiali hora convenienti celebretur, nempe non ultra duas horas post solis ortum. Iuxta Benedictum XIV itaque (cui consonat consuetudo hodie vigens) ad praedictum quaesitum respondendum est: *Affirmative quoad Missam lectam; negative vero quoad Missam cantatam; nisi aliter Episcopus disponat.* Vide Acta (*IV. 250. 258*).

XX. *An ad Parochum spectet facere officium funebre super*

cadaveribus sepeliendis in saepe dictis Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum? Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia, vel Oratorium.

XXI. *An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint processiones, iuxta cuiusque Confraternitatis institutum, absque interventu, vel licentia Parochi?* Affirmative.

XXII. *An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia Parochorum, per quorum territorium transeundum est?* Negative, nisi adesset licentia Episcopi.

XXIII. *An in dictis processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre stolam?* Negative, extra propriam Ecclesiam.

Nota. Quod in his decretis statuitur circa processiones confraternitatum, valet etiam quoad Regulares. Excipiendae sunt tamen Ecclesiae quae speciale habeant privilegium. Verba autem *intra ambitum* significant *intra claustrum*, si adsit; et, si non adsit, *prope muros ecclesiae*. Vide Acta (*I. 590*).

XXIV. *An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sunt Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae Ecclesiae?* Negative.

XXV. *An earumdem Ecclesiarum et Confraternitatum Rectores et Cappellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo, et ex solo iure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis?* Negative.

XXVI. *An in saepe dictis Ecclesiis Confraternitatum, neque parochialibus neque regularibus, retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum, sine speciali indulto Sedis Apostolicae?* Negative.

XXVII. *Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi, sine licentia Ordinarii?* Negative.

XXVIII. *An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum. eleemosynarum in saepe dictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?* Negative.

XXIX. *An in Ecclesia parochiali confratres. vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in eiusdem Ecclesiae functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus?* Negative.

XXX. *An Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere absque interventu, vel licentia Parochi?* Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina officia.

XXXI. *An possint propria bona administrare, ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho?* Affirmative.

XXXII. *Quando Parochus eisdem congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tanquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre?* Negative.

XXXIII. *An etiam suffragium duplex?* Negative.

1424. *Decisiones istae habentne vim, non obstante quovis pacto vel quavis consuetudine in contrarium?* Negative; quandoquidem S. Congregatio subiunxit: « Salvis tamen conventio-« nibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, « concordiis inter partes initis et a Sancta Sede approbatis, « indultis, constitutionibus synodalibus et provincialibus, et « consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis ».

Nota. Conventiones itaque contra haec decreta factae non valent si destitutae sint beneplacito apostolico; neque approbatio Episcopi sufficit, nisi pro casibus expressis in decretis ipsis. Acta (*I. 594*).

1425. *Quae statuta sunt quoad oratoria confraternitatum, valentne etiam quoad alia oratoria, quae a parocho non dependeant?* Affirmative. Cf. Acta (*X.* 613).

§ X.

De parocho binante, scilicet bis Missam celebrante.

1426. *Potestne parochus interdum habere ius binandi?* Ut parochus binare possit, quatuor exiguntur, nempe 1. ut agatur de casu necessitatis; 2 ut licentiam ab Episcopo obtinuerit; 3. ut sit ieiunius; 4. ut eleemosynam non recipiat.

1427. *Quid de prima conditione; quid scilicet exigitur ut casus necessitatis vere constituatur?* Ecclesia hoc in puncto rigidissima est; et merito; ne scilicet populus (prout certe contingeret) valde scandalizetur, credendo aut suspicando quod Sacerdos duas Missas celebret ex avaritia, ut nempe eleemosynam alii Sacerdoti celebraturo tribuere non cogatur. Hinc ut binandi licentia concedi possit; exigitur 1. Necessitas stricta et manifesta a parte populi; 2. Impotentia (ut ita dicam) absoluta inveniendi alium sacerdotem.

1428. *Quandonam aderit dicta necessitas a parte populi?* Casus practici sunt duo, scilicet 1. Si (intellige semper die festo, ut populus praecepto audiendi Missam satisfacere possit) necessaria sit Missa in duabus ecclesiis, attentis distantiis vel fluminibus dividentibus etc. (prout facilius contingere potest si parochus duas paroecias regendas habeat); 2. Si in una eademque ecclesia (attenta vastitate paroeciae vel templi angustia vel aliarum ecclesiarum distantia) oporteat ut secunda Missa celebretur. Praeter hos duos casus apud nos vix aut ne vix quidem, alius casus datur; et certe sola ratio habendi, v. g., tertiam missam pro festo titularis vel simili apud nos non sufficeret. Cf. Const. *Declarasti nobis.* Benedicti XIV.

1429. *Ad constituendam strictam necessitatem, sufficitne si quindecim, viginti, triginta aut quadraginta personae sine Missa remanere cogerentur? Et quid si possent quidem absolute loquendo ad aliquam ecclesiam se conferre, sed solum cum incommodo excessivo?*

Si ageretur de triginta vel quadraginta personis, quae sine Missa remanere cogerentur; tunc Leo XII respondit, Episcopum decernere posse iuxta suam prudentiam, depositis omnibus anxietatibus et scrupulis (*Acta VI.* 559). Si autem ageretur solum de quindecim aut viginti personis, tunc S. C. S. O., (28 *Ian.* 1688) censuit: *Non licere.* Sed hoc intelligendum, nisi speciales superadderentur circumstantiae (*Acta l. c.* 564). Et sane durum mihi videretur, si perpetuo atque etiam in praecipuis solemnitatibus, ipsoque die Paschatis, viginti personae in paroecia in absoluta impossibilitate audiendi Missam remanere cogerentur.

Quod autem dicitur de impossibilitate absoluta, etiam de impossibilitate morali, nempe de maximo vel excessivo incommodo, circum circiter intelligi debet (*Acta l. c.* 561 568).

1430. *Censereturne adesse necessitas binandi, si solum pro unica vice pars populi, vel paroecia aliqua, sine Missa remanere cogeretur?* Negative, meo sensu; nunquam enim auditum est quod pro casibus huiusmodi accidentalibus et rarissime contingentibus licentia binandi petita vel obtenta fuerit: quod satis indicat contra praesentem Ecclesiae disciplinam id esse. Oporteret itaque ut tempore plus vel minus diuturno (iuxta circumstantias) inconveniens huiusmodi subsisteret, saltem si Missae iteratio magnam admirationem in populo productura esset. Dixi *meo sensu;* apud auctores enim, qui durante praesenti Ecclesiae disciplina scripserunt, de casu isto nihil inveni. Equidem Theologi antiqui hoc in puncto (propter diversam

eorum temporum disciplinam) valde indulgentes erant; sed hodie sequi non possunt. Cf. Cap. *Consuluisti*. De celebr. Missar. cum glossa, et Bened. XIV (*Const. cit. et De Sacrif. Missae III.* v. 3).

1431 *Necessitas, de qua loquimur, restringiturne ad sola festa de praecepto?* Affirmative. Si tamen inter haec festa (in quibus binari soleat) contingeret etiam festum non equidem de praecepto sed magnae devotionis, ita ut populus Missae defectum aegerrime laturus esset; tunc indultum Apostolicum (qui in casibus huiusmodi interdum concessum fuit) implorare oporteret. Cf. Lucidi (*I.* III. § II. 382).

1432. *Quoad impotentiam inveniendi alios sacerdotes, quid si sacerdotes adessent quidem, sed, eo quod parochus propter inopiam eleemosynam eis dare nequeat, perinde esset ac si non adessent?* Haec excusatio nihil suffragatur. Imprimis enim difficile est quod inopia parochi sit talis ac tanta ut ad hunc gradum pertingat; multo magis quia ordinarie ageretur solum de aliquo augmento. quum eleemosynae pro Missis applicandis facile inveniri soleant. Dato autem casu, populus ipse concurrere deberet. Et si nequidem a populo id obtineri posset; tunc Episcopus, etiam de proprio, providere teneretur. Ita Benedictus XIV (*Const. cit.*).

1433. *Quid si adesset consuetudo binandi, etsi alius sacerdos inveniri posset?* Consuetudo ista tamquam abusus intolerabilis consideranda esset, et Parochus in conscientia eam sequi non posset. Ita Benedictus XIV (*const. cit.*).

1434. *Quid si parochus duas paroecias haberet, et ratione explicationis Evangelii crederet se posse in utraque Missam celebrare?* Haec quoque ratio nihil valeret. Misso enim sacerdote ad celebrandum, omnia componi possunt si parochus in altera solum ecclesia rem divinam faciat ac populum edoceat; deinde ad aliam se conferat ecclesiam, ubi a sacrificio abstineat, et christianae legis instituta dumtaxat populo declaret. Ita Bened. XIV (*const. cit.*).

1435. *Quid de secunda conditione; scilicet de necessitate obtinendi prius licentiam ab Episcopo?* Equidem Innoc. III. (Cap. *Consuluisti de celebr. Missar.*) de hac licentia petenda nihil statuerat inquiens: « Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi « causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam « Missam solummodo celebrare ». At vero hodie licentia Episcopi sine dubio necessaria est, dicente Benedicto XIV (*const. cit.*): « Certissimum illud est... sacerdotibus opus esse, ut hac

« de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa « necessitatis intercedere videatur: cuius sane iudicium ad ipsos « sacerdotes nequaquam pertinet ». Et addit « Certum quoque « est, facultates huiusmodi....., si aliquando concedantur, non « haberi tamquam alicuius privilegium, sed tantum ob causam « peculiarem necessitatis ».

1436. *Quid si casus urgeret et non adesset tempus vel modus recurrendi ad Episcopum?* Bouix (*De Par. IV.* VI. *pr.* VI) dicit: « In uno aut altero casu, praesertim repentino, et in quo non « facilis pateat ad Episcopum recursus, si aliunde certo adesse « videatur sufficiens necessitas a iure requisita, non puto crimini « vertendum parocho, quod dictam licentiam non exquirat ». At vero vix intelligo quomodo practice casus huiusmodi contingere possit; quum enim solum in casibus diuturnitatem praeseferentibus Missa binari valeat neque sufficiat si unica vice populus sine Missa remaneat (ut supra dicebam), modus et tempus recurrendi ad Ordinarium iam semper aderit. Si tamen facultas concessa fuisset, v. g., vicario, et ex improviso casu ille Missam celebrare nequiret; utique tunc posset, vice eiusdem, sive parochus, sive alius sacerdos, binare; etsi nulla ab Episcopo licentia peteretur, licentia enim, quae (ut vidimus n. praeced.) potius quam personam, respicit necessitatem, iam obtenta fuisset.

1437. *Episcopi possuntne concedere hanc facultatem iure proprio ordinario; an vero ad S. Sedem recurrere tenentur?* Etsi Episcopi soleant S. Sedi casum exponere; hoc tamen in rigore necessarium non est, quum hac in re iure proprio ordinario procedere valeant, ut ex supradictis satis patet. Excipe nisi de existentia sufficientis necessitatis graviter dubitarent.

1438. *Quid de tertia conditione, scilicet de necessitate ieiunii?* Ecclesia praescribit certe ut Sacerdos, qui binare debet, semper ieiunus sit; et proinde in prima Missa, purificationem et absolutionem non sumat (qua de re vide Rituale in Appendice novissima). Sed quid si ex inadvertentia purificationem sumpsisset et sic ieiunium fregisset? In hoc casu per se loquendo lex ieiunii praecepto audiendi Missam praeponderat, ut in ipsa pluries citata Benedicti XIV Constitutione incidenter innuitur. Dixi *per se loquendo;* si enim, attenta populi expectantis multitudine atque attentis etiam locis et temporibus aliisque circumstantiis, de nimiis irrisionibus, sarcasmis, perturbationibus, scrupulis et incommodis (ad inquirendam aliam Missam), maxime si de magna solemnitate ageretur; tunc Croix (*De Euch.* n. 572) censet, quod fractio ieiunii (saltem si esset occulta)

non obstaret. Idem dic a fortiori si etiam pro conficiendo Sacramento ad Viaticum moribundo administrandum necessitas adesset; ut (contra alios) sentiunt plures, inter quos Lhemkuhl (*II* 161) et D' Annibale (*III.* 290).

1439. *Quid de quarta conditione, scilicet de eleemosyna non recipienda?*

Receptio eleemosynae pro secunda Missa districte vetari constat 1° ex Const. *Quoad expensis* Bened. XIV, qui huius prohibitionis rationem reddit *ut avaritiae et sordidis quaestibus tolleretur occasio vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur* (Acta VII. 73). Constat 2° ex innumeris declarationibus Sacrarum Congregationum Romanarum. Enimvero S. C. C. de hoc interrogata semper respondit: *Firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.* Cf. Lucidi (*III. Doc. XXXIX.* 12). Et S. C. P. F. (*apud Acta VI.* 552) loquens etiam praecise de parochis dixit: « Ex praxi generali Presby- « teris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, « etiamsi de illis agatur, qui parochiali munere instructi ideo « stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod illam « pro populo applicare teneantur ». De vi autem harum resolutionum vide Acta (*l. c.* 76).

1440. *Adsuntne causae excusantes? Et, quatenus affirmative, quaenam causae excusant, et quaenam non excusant?*

I.° Causae excusantes sunt 1. Indultum Apostolicum, quod tamen concedi non solet, nisi in locis Missionum (*Acta VI.* 569, *et VII.* 75); 2. Incommodum extrinsecum itineris, laboris etc., pro quo (non autem pro Missae celebratione) aliqua retributio percipi potest; sed (*nota*) approbatio et licentia Episcopi semper necessaria erit. (*Acta I.* 15).

II.° Causae autem nequaquam excusantes, sunt 1. Consuetudo (*Acta XVIII.* 546). 2. Si eleemosyna non pro applicatione sed pro simplici Missae celebratione daretur (*Lucidi I.* III. 384); idque merito cautum est; ratio enim legis in hoc quoque casu militaret. 3. Si eleemosyna causae piae relinqueretur (*Lucidi l. c. Ed.* 3. 387. *Append. n.* 3). 4. Si eleemosyna daretur pro prima Missa, sed consueto pinguior (*Acta VII.* 75). 5. Paupertas Sacerdotis (*Acta I.* 12. *et Lucidi III. Doc.* XXXIX. 12).

1441. *Potestne saltem parochus alicui piae congregationi adscriptus applicare secundam Missam ad satisfaciendum obligationi congregationis ipsius, eo quod confratres pro confratre defuncto Missam applicare teneantur?* S. C. C. (forsan ne huius legis rigor enervetur) prius respondit negative (*Acta VI.* 527);

sed postea (forsan quia ratio legis in hoc casu militare non videatur) talem applicationem licere declaravit (*Acta XI.* 283).

§ XI.

De iure parochi quoad dispensationes.

1442. *Habentne parochi facultatem dispensandi?* Quamvis parochi ordinarie solum declarent quod talis vel talis obligatio adsit vel non adsit; tamen interdum veras dispensationes (quae tamen potius licentiae dici deberent) concedere possunt.

1443. *Qualis est differentia inter simplicem declarationem et veram dispensationem?* Quando causa, quae alicuius legis observantiae obstat, est adeo gravis, ut manifeste per se sufficiat ad excusandum; tunc simplex declaratio (ad modum magistri auctoritativi) intervenit. Si vero causa non sit tam gravis aut tam clara; tunc dispensatio seu licentia locum habet. *Suarez* (*De Rel. II.* XXXIII. 3).

1444. *Potestne parochus exigere ut parochiani licentiam petant, etiam quando ex manifesta causae gravitate per se excusarentur?* Affirmative; sed solum si ex una parte de facto publico seu notorio ageretur, et ex alia scandali aut nimiae libertatis periculum in paroecia secuturum foret, nisi sciretur quod parochi licentia prius obtenta fuerit. *Suarez* (*l. c.*).

1445. *Quo titulo parochi veras dispensationes seu licentias concedendi facultatem habere possunt?* Ex tacito consensu Ecclesiae, quae in quibusdam casibus consuetudinem dispensandi, et in quibusdam aliis probatorum Theologorum sententias talem facultatem admittentes, cognoscit et tacet. Quod autem dicta consuetudo vere adsit, patet ex communissimo parochorum et christifidelium sensu, atque insuper ex Theologis, qui passim et citra omnem dubitationem, illam recognoscunt. S. Lig. (*III.* 1032. 3) rotunde scripsit: « Parochi dispensare in ieiuniis iure « consuetudinis *certe* possunt ».

1446. *Quibus in casibus et circumstantiis parochi dispensare valent?* Supposito semper quod agatur de subditis, et quidem solum in particulari (non vero de tota paroecia), et quod causa iusta (ut infra explicabitur) subsistat; parochi dispensare possunt in quibusdam casibus praesente Episcopo; et in quibusdam aliis solum quando, urgente necessitate, Episcopus adiri nequeat.

1447. *Quinam sunt casus practici, in quibus parochi dispen-*

sare valent, etsi Episcopus commode adiri posset? Respondet S. Lig. (*III.* 288): « Etiam praesente Episcopo, parochi ex « consuetudine possunt dispensare in minutis et frequentibus « necessitatibus; in iis tamen rebus tantum, in quibus ex con- « suetudine introductum est ipsos dispensare ». Veniendo autem ad particularia 1. Concedere possunt, ut in alia ecclesia aliqui praecepto paschali satisfaciant; 2. Dispensare valent personas particulares quoad ieiunium, nedum pro uno vel altero die, sed etiam absolute (*S. Lig. III.* 1032. 3); 3. Quoad abstinentiam a carnibus aliisque cibis vetitis; sed hoc (nisi ageretur de declaratione pro personis iam omnino excusatis) solum pro aliquo die vel ad tempus, seu ad modum simplicis licentiae (*Gury cas. consc. I.* 109); 4. Quoad opera servilia diebus festis; sed solum petita licentia in singulis casibus (*S. Lig. III.* 288, *et Suarez De Rel. II.* XXXIII. 2); 5. Quoad auditionem Missae in iisdem festis diebus, pariter pro aliqua vice vel ad tempus.

1448. *Possuntne parochi in praedictis dispensare cum omnibus et toties quoties de dispensatione vel licentia rogantur?* Negative. Enimvero 1. Dispensare possunt solum cum suis subditis; 2. oportet ut iusta causa subsistat. Ad iudicandum autem an causa adducta sit sufficiens ad dispensandum, praxim aliorum eiusdem Dioecesis vel loci parochorum considerare oportet. Si in tali vel tali casu dispensatio omnino denegari soleret, tunc concedenda non esset, parochus enim salutarium legum custos est, et nimia facilitas dispensandi leges ipsas enervaret et paullatim evanescere faceret. Si autem ex communi praxi casus resolvi nequiret, aut si circumstantiae prorsus particulares intercederent: tunc, si ageretur de re valde momentosa Parochus Episcopum consulere deberet; sin minus, de consilio aliorum aut etiam propriâ prudentiâ se decidere posset; sed ita ut semper reminiscatur quod Ecclesia dispensandi facultatem ei tribuere non intendit, nisi quando seria de causa, et sine praeponderante legis detrimento, omnibus perpensis, dispensatio concedenda esse videatur. Notandum tamen quod durities cordis quoque, ne peiora mala sequantur, interdum pro causa ad dispensandum satis iusta haberi potest (*Scavini I.* 372).

1449. *Habentne revera parochi facultatem dispensandi etiam in rebus gravioribus et rarioribus, si Episcopus adiri nequeat et casus urgeat?* Affirmative. Scribit D'Annibale (*I.* 208): « Parochi ex receptis moribus, adeoque iure suo, ac proinde « etsi Episcopus facile adiri possit, dispensant in ieiuniis et

« observatione festorum, sed singulariter tantum; immo (*nota*) « et in gravioribus, in quibus licet Episcopo dispensare, quoties « Episcopus adiri nequit et periculum est in mora ».

1450. *Quinam sunt casus practici, in quibus, etsi agatur de rebus gravioribus, parochi dispensare valent, datâ urgentiâ, si Episcopus adiri nequeat?* Casus huiusmodi contingere possunt praecipue 1. Si urgeret necessitas matrimonium hic et nunc sine mora celebrandi omissis denunciationibus (iuxta dicta *n.* 911); 2. Si eo ipso mane quo matrimonium, omnibus iam paratis, celebrari debet, impedimentum dirimens detegeretur (iuxta dicta *n.* 998 et *De Occasionariis n.* 136). Plures tamen censent quod in his casibus parochus non proprie dispensaret, sed solum declararet quod lex sive impediens sive dirimens matrimonium in iis circumstantiis epicheam subiret et per se cessaret. Cf. S. Lig. (*VI.* 613 *et* 1007), Sanchez (*III.* x. 27), Salmant. (*IX.* VIII. 83) etc.

§ XII.

De iure delegandi, et de facultate vicarium eligendi.

1451. *Habetne parochus ius propriam iurisdictionem alteri delegandi?* Quum iurisdictionem ordinariam habeat, illam certe alteri delegare potest; idque non solum pro casibus particularibus; sed etiam quoad omnia, seu (ut dicunt) *ad universitatem causarum.* Hoc tamen non absolute, bene vero solum per quantum leges non obstent et exceptiones non ponant, intelligi debet.

1452. *Quaenam sunt exceptiones istae?* Praecipue sunt sequentes:

I. Delegare nequit sacerdotes ab Episcopo non approbatos ad confessiones audiendas. Et neque ad praedicationem iuxta dicta (n. 669).

II. Delegare nequit *ad universitatem causarum* (ita ut, v. g., a paroecia abessendo, alium in officio suo prorsus substituat) nisi 1. ex causa rationabili; 2. vel ad tempus valde modicum vel de licentia Episcopi, iuxta dicta (*n.* 573 *et seqq.*). Cf. D' Annibale (*I.* 68 *not.* 16).

III. Licite delegare nequit ad officia sibi prorsus personalia, nisi sit impeditus et necessitas urgeat; qua de re vide indicationes supra (*n.* 1184) expositas.

1453. *Quodnam ius competit parochis quoad electionem vi-*

carii, seu capellani curati? 1. Vicarius, qui (prout ordinarie contingit) in adiutorium assumatur (sive in ecclesia parochiali sive in subsidiaria), eligi potest a parocho; sed approbari debet ab Episcopo. Alicubi tamen (v. g., in Gallia) electio quoque ad Episcopum spectat (*Bouix de Par. App. I. § IV. et V*). 2. Idem dic de vicario, quem parochus, abessendo, sibi substituat (*Bouix l. c. § III.*). 3. Si tamen parochus brevissimo tempore (apud nos non ultra triduum) abesset, tunc approbatio Episcopi pro Sacerdote substituto (caeteroquin idoneo) necessaria non foret (*Bouix l. c.*). 4. Vicarius ad supplendam totalem et habitualem parochi impotentiam, eligi debet non a parocho sed ab Episcopo (*Acta XVIII.* 157). 5. Coadiutor seu Vicarius perpetuus cum iure successionis litteris Apostolicis constituitur (*Zitelli Appar. I.* v. IV. *App.*). 6. Cappellanus seu Vicarius curatus, in paroecia quae habeat parochum habitualem (v. g. capitulum vel monasterium), debet nominari ab eodem parocho habituali, et approbari ab Episcopo, qui, antequam novus curatus praesentetur, oeconomum paroeciae vacanti praeficere debet. Curatus autem potest esse perpetuus; aut amovibilis, sive simpliciter, sive ad nutum. *Cf. D'Annibale* (*III.* 79).

1454. *Quid si, stante vicarii aut plurium vicariorum necessitate, parochus, sive ex negligentia, sive ex avaritia, sive ex reddituum tenuitate, illum aut illos sibi non adscisceret?*

In casu tenuitatis reddituum, recurrendum esset ad populum (iuxta dicta *n.* 1181); sin minus, Episcopus ipse meliori modo possibili providere deberet.

Si autem parochus vicarium aut vicarios idoneos sibi non adiungeret ex avaritia, quia scilicet congruum stipendium ei dare nollet; tunc Episcopus stipendium ipsum determinare, simulque, ad illud tribuendum, parochum cogere posset atque deberet (Innoc. XIII. Const. *Apostolici muneris* apud Bouix *l. c. § IV*). Iudicium autem de necessitate vicarii aut plurium vicariorum ad Episcopum spectat (*Bouix l. c.*).

Denique ipsa designatio personae ad Episcopum ipsum spectaret, si parochus, ex negligentia vel qualibet alia de causa, praesentationem nimis differret. Patet ex Innoc. XIII. (Const. cit.) dicente: « Quod si parochi ab Episcopo moniti, congruo « iisdem termino praefixo, coadiutores sive vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint, poterunt ipsi « Episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctori-

« tate propria deputare, cum assignatione antedictae portionis « fructuum ».

1455. *Quid de iure removendi vicarium?* Videndum cuiusnam generis vicarìa sit.

I. Vicarius perpetuus (qui tamquam verus parochus consideratur) removeri potest solum ab Episcopo, atque ex solis causis canonicis, facto processu, non secus ac quoad alios parochos contingit; iuxta dicta (*n.* 629 *et seqq.*).

II. Vicarius amovibilis, qui pro parocho habituali curam exercet, removeri potest etiam ex causis minoribus, neque processus exigitur. Videtur tamen quod expulsus regulariter ius habeat cognoscendi causas ipsas, quae utique iustae esse debent. Remotio autem fieri potest sive a Parocho habituali, qui illum elegit; sive ab Episcopo, qui illum approbavit; idque verum est etiam quoad curatum regularem a suo Superiore electum, dicente Bened. XIV (*De Syn. XIII.* 11) illum removeri posse « tam ab Episcopo, quam a Superiore Regulari aequo iure, « nec requisito alterius consensu, quin alter de hac re alteri « rationem reddere debeat ». *Cf. D' Annibale* (*III.* 80).

III. Vicarius, qui parochum actualem adiuvet, si ab Episcopo impositus fuerit, a solo Episcopo removeri poterit. Secus, poterit parochus auctoritate propria illum dimittere, quin ei causam significare aut rationem reddere teneatur; talis enim videtur esse consuetudo (saltem apud nos). Si tamen non in ecclesia parochiali, sed in subsidiaria, curam exerceret; tunc res non ita plana mihi videtur; tunc enim curatus subsidiarius, causam (iudicio boni viri iustam) cognoscendi forsan ius habet (*Cf. Bouix l. c.*). Sed poteritne Episcopus vicarium a parocho electum et legitime approbatum, parocho ipso invito, removere? Ex iusta causa, affirmative. Sine iusta causa, negative. Quum tamen non teneatur Episcopus causam significare parocho, semperque periculosa et scandalosa res sit Episcopo non obedire; id solum reliquum esset ut parochus, qui Episcopum sine iusta causa procedere existimaret, ad superius tribunal recurreret (*Bouix l. c. q.* 6°).

§ XIII.

De potestate oeconomi, coadiutoris et vicarii parochialis.

1456. *Quid de potestate oeconomi spiritualis, qui paroeciae vacanti praeficitur?* Quaestio est inter canonistas utrum illius

iurisdictio sit ordinaria, an vero delegata (*Acta VIII.* 129 *et seqq.*). Quidquid sit de hoc, certum est quod oeconomus spiritualis paroeciae vacantis, quamvis ad nutum Episcopi amovibilis sit, instar parochi habetur, eiusque iurisdictio ad omnia munia parochialia (in divinis) extenditur.

1457. *Potestne oeconomus alium delegare seu sibi substituere?* Quum ad minus sit delegatus ad universitatem causarum, nunquam dubitatum est quin possit coadiutores sibi adsciscere et partem officii sui alteri committere (*Reiff. I.* XXVIII. 56). Sed poteritne officium suum etiam ex toto alteri committere, intellige semper iuxta limites, quos parochus quoque servare deberet, iuxta dicta *n.* 1184? Doctrina communis negabat, nisi expressa vel tacita (ex consuetudine) Ordinarii licentia intercederet (*Reiff. l. c.* 55). Sed hodie iam certum est sufficere quod Episcopus non obstet, prout decisum fuit a S. C. C. die 12 Sept. 1874 (*apud Acta l. c.*).

1458 *Quid de potestate vicarii, qui pro parocho suspenso vel prorsus inhabili ab Episcopo ad paroeciam regendam missus fuerit?* Oeconomo paroeciae vacantis aequiparari debet.

1459. *Quid de potestate vicarii, qui pro parocho habituali curam exerceat?* Ille quoque in spiritualibus ad instar veri parochi plena iurisdictione gaudet. Iurisdictionem ipsam exercet nomine proprio, scilicet independenter prorsus a parocho habituali, qui in officio curae se ingerere nequit. *Bouix* (*I.* III. VI) *et D' Annibale* (*III.* 79-80). Quoad facultatem alium sibi substituendi ad universitatem causarum (de substitutione enim pro casibus particularibus nulla quaestio unquam fuit), olim distinguebant inter vicarium perpetuum, et amovibilem (*Reiff. l. c.*); sed hodie vicario quoque amovibili facultatem sibi substituendi alium ad omnia, prout parocho liceret (atque adeo etiam inconsulto episcopo ad breve tempus a legibus permissum) ex resolutione S. C. C. (*n.* 1457 *citata*) concedi debere videtur.

1460. *Quid de potestate coadiutoris, qui parocho (coadiuto) seni quidem aut infirmo, sed plus minusve adhuc per se curam exercere valenti, a Summo Pontifice cum iure successionis, vel ab Episcopo sine iure successionis assignatur?* Coadiutores huiusce generis iurisdictionem non a parocho sed a S. Sede vel ab Episcopo recipiunt. Quibus limitibus circumscripta sit, ex verbis litterarum apostolicarum, vel ex mente Episcopi colligendum erit. De iure communi quaedam excepta subintelliguntur, et speciatim ne coadiutor maioris momenti negotia sine licentia coadiuti (qui interpellari possit) aggrediatur (*Zitelli*

Appar. I. II. V. *app.*). Caeterum coadiutor 1. Ius habet ne coadiutus alterius sacerdotis opera ad suas vices fungendas utatur; si enim auxilio indigeat, coadiutore suo uti debet. 2. Quum coadiuti iurisdictio nullatenus cesset aut imminuatur (intellige nisi in re aliqua suspensus fuisset), coadiutor se ingerere nequit in iis, quae coadiutus per se ipsum perficere velit. *Cf. Vecchiotti* (*I.* § 76).

1461. *Quid de potestate vicarii a parocho ipso electi et sibi in adiutorium adsciti, seu* (*ut nos dicimus*) *capellani aut subsidiarii?* Quum vicarii huiusmodi iurisdictionem a solo parocho recipiant, ad dignoscendum quanta ea sit, pendet a mente parochi ipsius sive expressa, sive tacita, sive deducta ex consuetudine. Generatim, dum parochus vicarium sibi adsciscit, tacite ei tribuit facultatem quoad consuetam administrationem Sacramentorum parochianis sive sanis sive infirmis, dummodo casus insueti aut speciales difficultates non insurgant, et multo magis dummodo parochus aliquid (v. g., administrationem SS.mae Eucharistiae in paschate) non exceperit. Facultas tamen assistendi matrimoniis, et dispensandi (v. g., ab operibus servilibus) apud nos concedi non intelligitur. Dixi *apud nos;* alicubi enim (v. g. in Gallia) praxim esse diversam, patet ex Bouix (*De Par. App. I.* § IV. *q.* 4°).

1462. *Quid si apud nos parochus, a paroecia discedendo, dixisset vicario: — Te in mei locum relinquo, vel te relinquo ut alter ego, vel omnes facultates tibi do, vel paroeciam regendam tibi relinquo, facies quidquid occurrit etc. — ? In his vel similibus verbis generalibus intelligiturne concessa facultas quoque assistendi matrimoniis?* Equidem aliqui censent pro matrimoniis specialem mentionem esse necessariam; sed Sanchez (*III.* XXXV. 7) aliique communissime (*cf. D' Annibale III.* 352 20) verba generalia etiam pro matrimoniis sufficere docent, atque ita a S. C. C. decisum fuisse testantur. Ad summum apud nos excipi potest casus vix practicus, in quo ex una parte parochus (nullam habens notitiam matrimonii proxime celebrandi) ad modicum tempus discessurus dixisset vicario: *Facies quidquid oportet;* et ex alia matrimonium ad eius reditum commode differri valeret, ut innuit Scavini (*III.* 803).

1463. *Vicarius a parocho suo delegatus ad assistendum tali vel tali matrimonio, sive in genere matrimoniis, aut delegatus ad omnia, potestne alium subdelegare?*

Si sit delegatus ad assistendum tali vel tali matrimonio, tunc certe non potest alium subdelegare. De hoc nemo dubitat.

Si vero sit delegatus ad omnia, seu ad universitatem causarum, prout apud nos, discedente parocho (ut supra), et in Gallia praesente quoque parocho (ut aiunt), contingere solet; tunc, ad huic vel illi matrimonio assistendum, alium subdelegare poterit, ut ex communi regula dicit Bouix (*l. c.*).

Si denique sit delegatus ad assistendum in genere matrimoniis (etsi non ad alia omnia), prout, parocho quoque praesente et etiam apud nos, contingere potest; tunc ex Reiffenst. (*I.* XXIX. 32) inferri deberet, assistentiam in aliquibus casibus particularibus subdelegari posse; eo quod huiusmodi quoque delegatio ad universitatem causarum in sensu iuris canonici esse dicatur. Negat tamen Scavini (*III.* 804). In hoc itaque dubio, occurrente casu, parocho praesente, ille; absente, Episcopus interpellari deberet.

§ XIV.

De iure parochi interveniendi synodo dioecesanae.

1464. *Habentne parochi ius interveniendi synodo dioecesanae? Et quatenus affirmative, ius istud extenditurne quoque ad curatos amovibiles, etiam regulares?* Affirmative in omnibus. Scripsit Benedictus XIV (*De Syn III.* v. 2): « Extra « controversiam est, quotquot animarum curam gerunt, sive « saeculares sive regulares illi sint, indubia lege adigi ad in- « terveniendum Synodo ».

1465. *Quo ordine parochi ius habent sedendi in synodo?* Post Episcopum, Vicarium generalem, et Canonicos Cathedralis atque Collegiatarum, sedere debent 1. Vicarii foranei; 2. Plebani seu Archipresbyteri rurales; 3. Parochi et Curati iuxta ordinem antianitatis in officio parochiali. (*Cf. Bened. XIV. l. c.* x. 7).

§ XV.

De iure parochi quoad decimas, primitias, aliasve praestationes.

1466. *Quid est decima, et quomodo distinguitur ab aliis praestationibus?*

Decima est fructuum pars decima aut aliter proportionalis (v. g., duodecima, vigesima etc.) quae sive personae laicae

sive Ecclesiae debetur. Dixi *sive personae laicae;* interdum enim ius decimandi (v. g., propter emphiteusim vel feudum) laicis quoque competit.

Distinguitur autem decima ab aliis praestationibus, quia decima cum fructibus proportionem habet; aliae autem praestationes, non.

1467. *Loquendo de veris decimis quae Ecclesiae debentur, suntne omnes eiusdem naturae?* Minime; sed imprimis aliae sunt *reales*, aliae *personales* et aliae *mixtae.*

1468. *Quales sunt decimae reales?* Sunt quae afficiunt fundos stabiles, scilicet praedia (unde *praediales* quoque, aut *fundiariae*, aut *terraticae* dicuntur) et alicubi etiam domos aut alia aedificia. Decimae huiusmodi subdistinguuntur in *maiores* et *minores*, secundum quod fructus maiores (scilicet triticum, uvam, oleum etc.), aut minores (v. g., legumina, poma, foenum etc.) respiciunt. Notari potest etiam quod decimae, si ex novalibus, scilicet ex fundis nunc primo ad culturam positis, solvi debeant, dicuntur *novales;* secus *decimae solitae* aut *antiquae consuetudinis* appellantur. Ex hoc autem quod decimae reales afficiant fundos, consequitur quod parochi, qui ad illas ius habeant, a fundorum dominis easdem exigere possint, quamvis parochiani minime essent.

1469. *Quales sunt decimae personales?* Sunt quae non fundos stabiles aut alia capitalia, sed solum personas afficiunt; ita ut parochiani ex fructibus proprii laboris vel industriae, v. g., opificii, mercaturae, officii etc., decimam (si consuetudo ita ferat) parocho solvere teneantur (*Cf. Ferraris v. Decimae I. 8 et III.*).

1470. *Quales sunt decimae mixtae?* Sunt quae nec proprie reales nec mere personales dici possunt; sed de utrisque quodammodo participant; quatenus industriam personae simul et capitalia mobilia (v. g., armenta, greges, alvearia etc.) afficiunt; unde, v. g., ex agnis, lanâ, lacte, caseo, melle etc. (ubi id usuvenit) solvendae sint.

1471. *Adestne ulla alia decimarum distinctio?* Distinguuntur etiam in *spirituales* et *temporales*, seu (ut hodie dicunt) in *sacramentales* et *dominicales* seu *feudales.*

1472. *Quales sunt decimae spirituales seu sacramentales?* Sunt quae derivant unice a praecepto Ecclesiae iubentis ut decimae solvantur.

1473. *Quales sunt decimae temporales seu dominicales seu feudales?* Sunt quae non ex dicto praecepto, sed ex alio capite oriuntur. Casus esset, v. g., si a decimatore laico Ecclesiae

datae fuissent, vel si Ecclesia ipsa fundos ad emphyteusim dedisset, et pro canone decimas sibi reservasset, vel si ex donatione Principis provenissent, vel denique si fideles non praecepto coacti sed ex libera donatione vel conventione decimationi proprios fundos subiecissent, ut ex his decimis paroeciae dos constitueretur. Porro in his casibus Ecclesia non vi iurisdictionis, sed vi iustitiae communis (sicut alius quilibet) decimarum dominium acquisivisset.

1474. *Quomodo practice distingui poterit an tales vel tales decimae sint spirituales, an vero temporales?* Tamquam spirituales habendae sunt 1° decimae personales, quae a solis parochianis solvuntur; 2° Decimae mixtae, si a solis parochianis solvi debeant. Dixi *si a solis parochianis;* si enim ab exteris quoque (v. g., ratione pascuorum, piscationis, venationis etc. intra paroeciae fines) solverentur; tunc non solum in substantia tamquam reales, sed forte etiam tamquam temporales haberi possent (*Cf. De Luca l. c.* 3. 15). 3° Decimae reales, casu quo ad novalia quoque extendi debeant.

1475. *Sed quid de decimis realibus, quarum origo et natura (prout ordinarie accidit) non cognoscatur?* Tunc an sint spirituales an vero temporales dubium erit. Equidem maior probabilitas stabit pro spiritualitate; unde scripsit De-Luca (*XIV. III. De Decim.* VIII. 8): « Decimae in dubio praesumun« tur potius spirituales quam temporales »; sed haec maior probabilitas et quaedam praesumptio, stante possessione (praesertim immemorabili), non sufficit ut possidens a sua possessione deiiciatur; unde scripsit ipse De-Luca (*l. c. VI.* 12): « Ista « possibilitas quod sint decimae temporales sufficit ad tollendam « dictam vehementem iuris resistentiam, quodque propterea « possessor sit manutenendus; potissime vero ubi possessio sit « diuturna etc. ».

1476. *Quibus de causis obligatio decimas solvendi legitime cessare potest?* 1. Ex privilegio a S. Sede (non ab Episcopo) obtento; 2. Ex transactione, permutatione etc. inita legitime (scilicet ex consensu Episcopi, si inter duas ecclesias; Pontificis, si inter ecclesiam et personam laicam contractus initus fuerit); 3. ex praescriptione legitima; 4. ex consuetudine legitima. Differentia inter praescriptionem et consuetudinem est, quod illa casum particularem; haec multitudinem respicit. *Cf. Vecchiotti* (*II.* § 5).

1477. *Ex quibus rebus decimae solvi debent?* Decimae solos fructus sive naturales sive civiles sive ex industria honesta;

non vero alios proventus (v. g., donationum, haereditatis etc.) afficere possunt (*Ferraris v. Decimae III.* 1-8); unde, si fructus non colligerentur (v. g., domo non locata, agro inculto etc.), decimae solvi non deberent (*Vecchiotti II.* § 3). An autem ex omnibus; an vero solum ex aliquibus fructibus solvendae sint, patebit ex consuetudine.

1478. *Decimae, quae in fructibus naturalibus (v. g. tritico, uva etc.) solvi debent, possuntne solvi in pecunia?* Negative; nisi ex consuetudine legitima haec permutatio licita evaserit. *Cf. Ferraris (l. c. Novae addit. n.* 8).

1479. *Quinam decimas parocho solvere teneantur?* Parochiani, et domini fundorum decimalium (Intellige semper iuxta consuetudinem).

1480. *Quid de infidelibus?* Hi certe non tenentur solvere decimas personales. E contra decimas temporales solvere debent. An autem decimis spiritualibus quidem, sed realibus subiiciantur; negative certe quoad novalia. Quoad possessiones vero, quae decimis huiusmodi iam gravatae ad eos pervenerint, vide Ferraris (*l. c. II.* 35) et De Angelis (*III.* xxx. 4).

1481. *Quid de haereticis?* Hi certe, per se loquendo, ad decimas omnes non solum reales sed etiam personales (si in loco usuveniant) solvendas tenentur; sunt enim per Baptismum Ecclesiae subditi, quamvis rebelles; neque oportet ut quis Sacramenta recipiat reapse, sed sufficit quod ad illa recipienda teneatur. *Cf. Ferraris (l. c.* 34).

1482. *Quid de clericis, beneficiatis, et regularibus?* Videndum an possideant bona, quae cum onere decimarum ad illos transierint; vel an temporales industrias, quae decimis subiiciantur, exerceant; in his enim caeteris aequiparantur. *Cf. Ferraris (l. c.* 36-56) *et De Angelis (l. c.* 4).

1483. *Cui parocho decimae solvi debent?* Decimae personales parocho proprio; et si quis modo in una modo in alia paroecia, domicilium servaret, tunc pro rata essent dividendae. *Cf. Ferraris (l. c. II.* 9-12). Decimae reales solvendae sunt parocho, in cuius paroecia fundi decimales adsunt. Decimae mixtae non semper parocho proprio; sed interdum parocho vel parochis, in quorum paroeciis greges pascuntur, solvi debent, iuxta dicta (*n.* 1474). Vide etiam Ferraris (*l. c. n.* 5-8). Si paroecia dismembraretur, Ecclesia matrix non ideo (secluso decreto Episcopi) decimas reales amitteret; sed Ecclesiae filiali solae decimae personales deberentur. *Cf. Ferraris (l. c.* 17-24).

1484. *Si decima, v. g., in tritico debeatur, potestne pa-*

rochus exigere optimum, aut potestne debitor dare pessimum? Parochus nec optimum exigere potest, nec pessimum acceptare tenetur. Patet et principiis iustitiae naturalis (*Cf. Cod it. A.* 1248).

1485. *In statuenda quantitate, quae pro decima debeatur, debentne computari expensae ad fructus obtinendos toleratae?* Quoad decimas reales, negative; quoad personales aut mixtas, affirmative. *Cf. Vecchiotti* (*II.* § 4).

1486. *Quo tempore decimae solvi debent?* Imprimis observanda est consuetudo. Generatim decimae personales in fine anni; et reales quando fructus colliguntur, solvi debent. Dilatio autem obligationem reparandi damna inducere potest. *Ferraris* (*l. c. III.* 18).

1487. *Deportatio decimarum ad domum parochi ad quem spectat?* Iure primitivo ad debitores spectabat; sed nunc iure consuetudinario passim ad parochum spectat. *Ferraris* (*l. c.* 20).

1488. *An decima debeatur, si in praediis, quae fructus ferebant decimae obnoxios, ex mutatione culturae, substituantur fructus, de quibus decima solvi non soleat?* Auctor additionum ad Ferraris (*l. c. III.* 3-7) oppositas hoc in puncto refert opiniones, et ipse ad negativam inclinat, quia decima debetur ex fructibus decimae ipsi subiectis; non vero ex aliis. Excipit tamen 1. si consuetudo vigeat ut ex novis fructibus, prius non obnoxiis decimae, solvatur decima; 2. si haec substitutio fructuum decimae non obnoxiorum adeo universalis evasisset, ut parocho congrua deficeret.

1489. *Quid de primitiis?* Primitiae, proprie loquendo, sunt primi fructus sive terrae sive pecudum, qui Deo et Ecclesiae offeruntur. Fere ubique in desuetudinem abierunt. Alicubi tamen adhuc vigent. Solvendae essent, si ex longaevo usu eas rependendi obligatio adesse censeretur, aut si Sacerdotes pro sustentatione eis omnino indigerent. *Vecchiotti* (*II.°* § 1). Notandum quod in quibusdam locis (sicut apud nos) quaedam praestationes annuae improprie primitiae appellantur.

1490. *Quid de praestationibus, quae nec decimae nec primitiae proprie sint?* Sunt quaedam res determinatae, quae solvi debent annuatim in taxa fixa, quin ad quantitatem fructuum recollectorum respectus habeatur, et forsan etiam ita ut non eadem mensura pro singulis servetur, sed hic plus et ille minus solvere debeat. Praestationes istae, si reales et fundiariae sint, canones emphyteutici esse videntur.

1491. *Quid de lege, quae a Gubernio Italico die* 14 *Iulii* 1887

ad decimarum abolitionem vel commutationem lata fuit ?

Imprimis lex ista est sequentis tenoris :

« **Art. 1.°** Le decime ed altre prestazioni stabilite sotto qual-
« siasi denominazione ed in qualunque modo *corrisposte per la*
« *amministrazione dei Sacramenti*, o per altri servizii spirituali,
« ai Vescovi, ai ministri del culto, alle chiese, alle fabbricerie
« o ad altri Corpi morali che hanno per iscopo un servizio re-
« ligioso, al Demanio dello Stato, all' Amministratione del
« Fondo pel culto e dell' Asse ecclesiastico di Roma, *sono abo-*
« *lite*, ancorchè si trovino convenzionalmente o giudizialmente
« riconosciute, o convertite in prestazione pecuniaria.

Però i Vescovi e ministri del culto aventi individualmente
« cura d'anime, investiti di beneficii ecclesiastici, che si trova-
« no in possesso civile dei medesimi alla pubblicazione della
« presente legge, continueranno, fino a quando li conservino,
« a percepire le decime suddette, limitatamente alla quota che,
« secondo le leggi e consuetudini ora vigenti, resta a loro e-
« sclusivo profitto.

Nondimeno i debitori delle decime suddette potranno chie-
« derne la commutazione immediata in un canone fisso colle
« formalità e norme stabilite nell' articolo 3° e seguenti della
« presente legge.

Art. 2.° Venendo a mancare per morte o per altra causa, i
« Vescovi e i ministri del culto aventi individualmente cura di
« anime, a favore dei quali viene mantenuta la riscossione delle
« decime ed altre prestazioni nei limiti fissati dall' articolo pre-
« cedente, l' Amministrazione del Fondo pel culto corrisponderà
« ai loro successori un annuo supplemento fino a raggiungere
« la somma di lire 6000 per le mense vescovili, e di lire 800
« per i ministri del culto aventi individualmente cura di anime:
« qualora le altre rendite più non raggiungessero le somme an-
« zidette al tempo nel quale avrà effetto l' abolizione. Mai però
« il supplemento potrà eccedere le decime ed altre prestazioni
« abolite. Nelle Provincie in cui è a carico dei Comuni, in sur-
« rogazione delle decime *sacramentali*, il peso di assegno ai
« Vescovi e di supplementi di congrua ai ministri del culto a-
« venti individualmente cura d' anime, l' Amministrazione del
« Fondo per il culto, dopo cinque anni dalla pubblicazione della
« presente legge, rimarrà sostituita ai Comuni per quella parte
« che tiene luogo delle decime medesime, già abolite con pre-
« cedenti leggi e decreti, e sempre non oltre la somma rispet-
« tivamente stabilita di L. 6000 e di L. 800. Nulla è innovato

« al disposto degli articoli 2 e 3 della legge 19 giugno 1873 n. « 1402, sull' ammontare delle congrue dovute alle parrocchie « esistenti nella città di Roma.

Art. 3.° Tutte *le altre prestazioni fondiarie* perpetue, consi« stenti in quote di frutti, che si pagano in natura a Corpi « morali o a privati sotto qualsiasi denominazione, *dovranno « commutarsi* in annuo canone fisso in denaro. Rimangono salve « ed impregiudicate le disposizioni del Codice civile intorno al« l' enfiteusi ed alle rendite perpetue.

Art. 4.° Per la commutazione stabilita nell'articolo 3° saranno « applicate le norme e disposizioni stabilite nelle due leggi 8 « giugno 1873, num. 1389, e 29 giugno 1879, num. 4946, per « la commutazione delle decime *ex-feudali* nelle provincie na« poletane *. Il canone da corrispondersi sarà però diminuito di « un decimo pei fondi sui quali siasi dai possessori impiegato « in miglioramenti nel corso degli ultimi trent' anni un capitale « non inferiore al decimo della prestazione elevata a capitale, « con le norme stabilite nell' articolo seguente. Riguardo ai « terreni incolti bonificati nell' ultimo triennio, il canone sarà « determinato in proporzione della rendita lorda che si otteneva « prima della bonifica.

Art. 5.° Le rendite costituite nel modo suindicato, in com« mutazione delle prestazioni contemplate dall' articolo 3°, *po« tranno* sempre essere affrancate dai possessori delle terre me« diante il pagamento d' un capitale in ragione di L. 100 per « ogni 5 lire di rendita, sotto l' osservanza delle formalità « stabilite dalle leggi 8 giugno 1873, n. 1389, e 29 giugno 1879 « n. 4946, e, salva l' applicazione dell' articolo 1 della legge « 24 gennaio 1864, per gli affrancamenti verso lo Stato ed i « Corpi morali.

Art. 6.°. Le leggi e decreti contrarii alla presente legge sono « abrogati ».

* Harum legum tenor inspici poterit apud ephemeridem, cui titulus; *L' avvisatore ecclesiastico* An. IX (pag. 188. 200. 211). Heic sufficiant sequentia (excerpta ex lege 8 Iunii 1873):

Art. 21. « Scorsi *tre anni* dalla promulgazione della presente legge, « cesserà la prestazione in natura, nonostante qualunque patto e convenzione « in contrario, salvo il diritto di ottenerne l' equivalente in denaro, in seguito « all' eseguita commutazione ».

Art. 22. « I creditori della rendita conserveranno il diritto di prelazione « a qualunque creditore dei loro debitori sopra gl' immobili soggetti alla « prestazione, *mediante la iscrizione,* nei tre anni dalla promulgazione della « presente legge, della rendita corrispondente alla prestazione ».

1492. *Quo sensu lex ista decimas abolitioni subiicit?* Sensus est, ut, quoad decimas abolitioni subiectas, actio civilis (ad illas scilicet repetendas in tribunalibus civilibus) non amplius concedatur. Caeterum lex non prohibet quod parochi de obligatione eas solvendi in conscientia iuxta praeceptum Ecclesiae populum moneant. Patet ex sententia tribunalis non solum appellationis sed etiam supremi (apud *Avvisatore An. X. pag.* 457-458).

1493. *Lex ista subiicitne abolitioni decimas cuiuslibet generis, quas ecclesia percipit?* Negandum videtur. Patet 1. ex tenore legis, quae (*A. I.*) subiicit abolitioni praestationes quae dantur propter administrationem Sacramentorum; alias vero praestationes fundiarias (*A. III.*) commutationi in pecunia subiicit. Patet 2. ex interpretatione Iurisconsultorum celeberrimorum, qui existimant, decimas *spirituales* abolitioni, *temporales* vero commutationi subiici, ut videre est apud *Avvisatore Ann. X.* (*pag* 433. 434. 457. 529).

1494. *Quum de fere omnibus decimis realibus magis quidem probabile sit quod spirituales sint, sed hoc non sit certum; in dubio isto quid esse debebit de illis?* Responsum, meo sensu, patet ex supra dictis (*n.* 1475). Sed in hoc non refert immorari; qualis enim istarum decimarum sors futura sit, cito videbimus.

1495. *Adestne aliqua instructio S. Sedis quoad rem istam?* Adest instructio sequens S. Poenitentiariae:

« Ut cleri indemnitati et conscientiis fidelium nuper per « promulgationem et executionem legis civilis decimas abolentis « in commune discrimen adductis, quantum in praesens fieri « potest, consulatur, sacra Poenitentiaria, benigne sic annuente « Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, sequentes regulas cum « Episcopis aliisque in Italia locorum Ordinariis communicat.

1.° Imprimis Ordinarii, quibus id modis opportunum duxe« rint, fideles edoceant, ius percipiendi decimas Ecclesiae a « potestate civili auferri minime potuisse, ideoque fideles ad « eas solvendas non secus atque antea omnino teneri, nec quem« quam ab onere et obligatione huiusmodi liberari, nisi per « solam ecclesiasticam auctoritatem posse.

2.° Igitur quo facilior pateat fidelibus via suae consulendi « conscientiae, seseque ab onere decimarum solvendarum in « perpetuum liberandi, iidem Ordinarii eos excitabunt, ut ad « iustam decimarum redemptionem, vel etiam, ubi casus ferat, « ad aequam super illis compositionem admitti petant. Quem

« in finem sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa aposto-
« lica auctoritate, necessarias et opportunas facultates omnibus
« in Italia locorum Ordinariis harum tenore litterarum tribuit
« ad quinquennium dumtaxat valituras.

3.° Facta autem decimarum redemptione vel compositione,
« pretium earundem prudenti Ordinariorum iudicio iuxta pecu-
« liaria cuiusque casus adiuncta determinandum, cum stet loco
« sortis decimarum, collocetur in tuto, honesto et fructifero
« investimento; fructus vero applicentur beneficiis vel piis lo-
« cis, quae damnum passa fuerint.

4.° Qui decimas nec redemerint nec super illis ullo modo se
« composuerint, *et cathedrali aut quibuscumque aliis ecclesiis*
« *vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvere*
« *noluerint, non absolvantur nisi plena restitutione secuta*
« (Conc. Trid. sess. 25 de refor. c. 12), salvis tamen regulis
« a probatis auctoribus traditis circa illos qui inopia vel pau-
« pertate laborant.

5.° Noverint insuper Ordinarii tolerari, ut vel ipsi, vel pa-
« rochi aliique quorum interest, a gubernio petant compensatio-
« nem pro damno sibi illato; ita tamen ut in huiusmodi peti-
« tione nihil contineatur, quod ad ius de decimis disponendi in
« laica potestate probandum trahi possit, et expresse significe-
« tur compensationem peti titulo tantum legitimae indemnitatis.

6.° Denique non omittent singuli ad s. Sedem referre, quanto
« damno decimarum suppressio suis dioecesibus fuerit.

Ex sacra Poenitentiaria die 2 septembris an. 1887.

§ XVI.

De iure parochi quoad oblationes.

1496. *Oblationes in quo differunt a decimis, primitiis, aliisque praestationibus?* In hoc quod decimae, primitiae etc. adnumerantur inter certa; sunt nempe certa tum quoad obligationem tum quoad tempus; oblationes e contra habentur ut incerta; quatenus scilicet aut sponte dantur, aut saltem non singulis annis, sed varie pro variis occasionibus solvi debeant.

1497. *Oblationes quomodo distinguuntur?* Distinguuntur imprimis inter necessarias et voluntarias, quatenus (ut modo innuebam) ex obligatione vel sponte traduntur.

1498. *Quomodo cognoscitur an oblationes sint necessariae aut voluntariae?* Necessariae sunt si taxa sit fixa et determi-

nata, aut si quomodolibet de iisdem ex obligatione solvendis adsit lex, aut communis persuasio. Oblationes huiusce generis sunt paucae, atque ad iura stolae (pro Baptismo, sepulturis, et similibus iuxta consuetudines), et quidem exceptis pauperibus et solum post functionem praestitam, reduci videntur. Recole dicta *n.* 1130, et nota quod Parochus sine approbatione Episcopi taxas lege vel consuetudine determinatas immutare nequit. *Scavini* (*I.* 286).

1499. *Oblationes, quae in ecclesia parochiali aut intra paroeciae fines offeruntur, spectantne omnes et absolute ad parochum?* Negative. Aliquae spectant ad parochum absolute; aliae vero erogari debent iuxta piam offerentium intentionem; et quidem ita ut administratio quoad aliquas ad parochum, et quoad alias ad alios spectet.

1500. *Quaenam spectent ad parochum absolute?* Quae pro Sacramentis, pro nuptiis, pro funeribus, pro benedictione domorum et mulierum post partum, et generatim pro sacris functionibus ei, eiusve vicariis suppeditantur.

1501. *Quaenam erogandae sint iuxta piam offerentium intentionem?* Huiusmodi generis sunt, v. g., oblationes pro festis, triduis, novendialibus, expositionibus, processionibus, Missis etc., celebrandis. Item eleemosynae pro animabus purgantibus. Item cerei qui sive in honorem SS.mi Sacramenti vel B. Virginis etc. offeruntur, sive ad aliquam gratiam obtinendam cremandi traduntur. Item quae alicui capellae vel sacrae Imagini dantur. Nihil autem interest an oblationes portentur, aut quaerantur, aut appendantur, aut in capsulis deponantur, aut (in rebus sive mobilibus sive immobilibus) per testamentum vel fiduciam relinquantur. Quod autem piae offerentium intentioni semper et rigorose standum sit, nulla controversia unquam fuit vel esse potuit; secus enim non solum christifideles ab oblationibus faciendis alienarentur, sed etiam de vero furto ageretur; unde scripsit Fagnanus (*apud Acta II.* 515): « Pia voluntas eorum « qui oblationes fecerunt, praecise servanda est: nam rei suae « quilibet est moderator et arbiter ».

1502. *Daturne casus in quo oblationes ad alium usum adhiberi possint?* Affirmative; sed solum recurrendo ad Episcopum, qui (si facultatem non habeat) ad S. Sedem pro commutatione recurrere debebit.

1503. *Quid in dubio de mente offerentium, an scilicet aliqua oblatio detur ecclesiae vel parocho?* Standum est a parte tuta; et parochus, nisi certus sit vel certus evadat quod talis

vel talis oblatio sibi ipsi personaliter offeratur ad modum eleemosynae pro Missa, (considerato etiam periculo hallucinationis) illam sibi applicare nequit.

1504. *Oblationes huiusmodi erogandae in pium usum a quo administrari debent?* Heic quoque regula suprema erit ut stetur menti offerentium.

1505. *Quomodo cognoscitur qualis sit mens offerentium quoad oblationum istarum sive usum sive administrationem?* Nisi offerentes verbis expressis se explicaverint, aut nisi ad talem vel talem usum de oblationibus expresse rogati fuerint; standum erit consuetudini; et, deficiente consuetudine, ex circumstantiis et indiciis decidendum erit.

1506. *Veniendo ad casus particulares circa oblationum istarum usum, quid si cerei cremandi pro aliqua gratia obtinenda, aut res oblatae ad aliquam capellam vel imaginem, in parte ad alios (etsi pios) usus adhiberentur? Quid insuper si de oblationibus pro aliquo festo traditis aliquid remaneret? Quid demum de cereis, qui in honorem SS.mi Sacramenti vel B. Virginis a parochianis, v. g., in festo Purificationis ipsius B. V., singulis annis offeruntur?*

Quoad cereos cremandos pro gratia obtinenda; nihil reservari potest, nisi forte de parte minima ageretur.

Quoad oblata ad aliquam capellam vel imaginem; usus designatus immutari nequit, nisi forte ageretur de votis antiquis, quorum pretium, annuente Episcopo, ad ornatum eiusdem capellae vel imaginis adhiberetur.

Quoad superflua pro festo alicuius Sancti etc.; illa pro anno sequenti reservari, vel ad cultum Sancti ipsius aliquo modo applicari debent.

Denique quoad cereos, qui in honorem SS.mi Sacramenti etc. ut supra offeruntur, certe mens fidelium est ut illis sacrae functiones toto anni cursu cum debito luminum decore peragantur; unde parochi aut illorum haeredes, qui Ecclesiam ita spoliant, ut quoad ceram nullo modo aut non sufficienter provisa remaneat, a gravi et valde scandaloso latrocinio excusari nequeunt. Sed quid si cera superabundaret, et iam inutilis iaceret? Haec essetne parochi, an vero ecclesiae? Respondeo: Esset ecclesiae; non vero parochi. Patet 1° ex quaerimoniis et clamoribus parochianorum, si resciant haeredes ceram abstulisse et sibi applicasse; 2° ex eo quod parochi, si forte ceram divendant, satagunt ut clam id fiat, ne parochiani quidquam resciant. Contra hanc doctrinam nonnullae obiectiones fieri so-

lent, scilicet 1° Si quis contra parochum aliquam inimicitiam habeat, tunc parum aut nihil offert; 2° In quibusdam paroeciis intuitu cerae quotannis oblatae, parochus, occasione funerum, pro cera parum vel nihil exigit; 3° Ad quid cerae inutilis massam reservare? At vero ad primum respondendum quod factum parochiani nihil offerentis nullo modo destruit intentionem aliorum. Nonne facile idem accideret si parochus invitaret parochianos ad campanas emendas? Nonne tunc etiam contingere posset quod qui parocho inimici essent parum vel nihil offerrent? Et, si id accideret, nunquid parochus campanas sibi vindicare posset? Ad secundum respondeo: Parochus cerâ oblatâ utitur pro sacris functionibus toto anno, et sic ipse nihil expendere cogitur, magnamque proinde utilitatem habet. Si itaque in paroecia adesset consuetudo ut occasione funerum pro cera nihil exigeretur, id ex gratitudine introductum fuisset: et parochiani iustissime exigere possent tum ut consuetudo ista servetur, tum ut cera oblata apud ecclesiam remaneat; non vero a parocho vel haeredibus propriis usibus applicetur. Ad tertium respondeo: Quo maior est cerae abundantia, eo magis parochiani sunt inviti, si subtrahatur atque ad personales usus adhibeatur. Aliunde, si cera vere superflua sit, in promptu est remedium; ut scilicet non ad personales usus sed ad comparandas sacras supellectiles adhibeatur. De hoc parochiani semper contenti sunt, quamvis, ad suspectos evitandos, expediat ut de venditione ad talem finem moneantur; vel (quod melius esse solet) invitentur ut in posterum uno vel altero anno pro cera pecuniam ad eundem effectum erogandam deferant. Si parochi ita se gererent, heu quantum ecclesiae ornarentur, et omnibus necessariis providerentur! Id infertur etiam a theologis, v. g., Bouvier et Scavini, qui (*I.* 289. *not.* 5) scripsit: « Cerei in « honorem SS.mi Sacramenti, B. M. Virginis, vel alicuius « Sancti oblati, accendi et cremari debent; et eorum reliquiae, « si quae supersint, non in beneficium parochi, sed in fabricae « ecclesiae utilitatem cedere debent. Unde neque sunt extinguen- « di neque sunt sibi a Pastore arrogandi, cum talis offerentium « non sit mens. Secus Pastor et contra iustitiam et contra re- « ligiosam pietatem peccaret ».

1507. *Quoad oblationum in usum pium erogandarum administrationem, quid in particulari notari debet?*

1. Si delatae fuerint ad ecclesiam parochialem vel ad ecclesias vel oratoria quae a parochiali ipsa dependeant; tunc administratio spectat ad parochum.

II. Si delatae fuerint ad ecclesiam vel cappellam sive regularium, sive alicuius confraternitatis, sive utcumque proprium rectorem habentem; tunc ad rectorem ipsum administratio spectat. Patet ex Decreto S. R. C. (10 *Dec.* 1703) supra relato (*n.* 1423) XXVIII. Verum est quod hoc decretum loquitur de solis confraternitatibus; sed apud Acta S. Sedis (*II. pag.* 518) legitur: « Quod decretum facile protenditur ad coe« tera oratoria, cum haec non sint sub Parochorum potestate, « nisi in iis quae sunt proprie et exclusive parochialia: neque « oblationes parocho censeantur factae, Quare administratio « harum oblationum pertinet ad ecclesiae rectorem, sub im« mediata dependentia Ordinariorum, aut saltem vigilantia ».

III. In aliis casibus decisio pendet a circumstantiis. Praecipue videndum an qui oblationes recipit atque administrat cognitus offerentibus vel notorius sit, necne. In casu negativo (prout facile contingere potest in oblationibus factis capellae derelictae et nullum custodem habenti, vel Imagini in pila aut muro externo alicuius domus collocatae); tunc oblationum custodia et administratio spectat ad parochum. In casu affirmativo autem; si nempe oblationes consignentur domino Imaginis, aut patrono oratorii, aut custodi capellae etc.; tunc non parocho sed dicto domino vel patrono vel custodi (etsi laico) administratio spectabit; ita tamen, ut, si de re magni momenti ageretur, vel si alicuius notabilis mali periculum adesset, Episcopus vigilare et opportuna praecepta dare possit atque debeat; ne scilicet rectus cultus detrimentum patiatur, aut pia offerentium intentio eludatur; quae tamen intentio aliquando ita merito intelligi valet, ut dominus Imaginis pro paupertate vel incommodo proprio aliquid sibi applicare licite possit. Cf. Acta (*II.* 515), D'Annibale (*III.* 528), Monit. Eccl. (*IV.* II. 255) et Scavini (*I* 289).

1508. *Parochus, qui a fidelibus sive manualiter, sive per testamentum, sive per fiduciam, res in usus pios distribuendas acceperit, ad quid in conscientia tenebitur, ut muneri suo satisfaciat?* Tenebitur ad quatuor sequentia; nempe 1° Ad erogationem faciendam; 2° ad notam tenendam; 3° ad capitalia in tuto collocanda; 4° ad impediendum ne contra se ipsum (quasi aliquid sibi applicaret) suspectus concipiantur. Sed haec sunt explicanda.

1509. *Quid de erogatione?* Si offerentes designaverint modum et tempus erogationis, tunc iuxta modum et tempus ipsum prompte et accurate erogatio fieri debebit, ut mox supra dice-

bam (Vide etiam dicta *n.* 715 728). Si autem arbitrio parochi omnia reliquissent; tunc sufficeret si in usum pium erogationem faceret; ita tamen ut negligenter non procedat et nihil dissipet aut sibi applicet; haec enim esse nequeunt de mente offerentium; qui, dum arbitrio illius omnia reliquerunt, non ideo dominum illum constituere, sed solum significare intenderunt, se de illius diligentia, probitate et pietate plenam confidentiam habere.

1510. *Quid de nota tenenda?* In libro (non in chartis volantibus) nota teneri debet de oblationibus (intellige nisi agatur de rebus minusculis, quae hic et nunc absque mora erogandae sint) indicando summas receptas, intentionem offerentium, erogationes factas etc.

1511. *Quid de capitalibus in tuto collocandis?* Etsi offerentes arbitrio parochi plene se commisissent, de mente eorum esse nequiret ut capitalia periculo exponerentur; et parochus ea acceptando de iisdem in tuto collocandis tacite fidem dedisset. Graviter ergo et subinde gravissime oneraretur conscientia ipsius, ne (speciatim pro casu mortis) capitalia ipsa in discrimine versentur. Dixi *graviter et subinde gravissime;* non enim solum de fide, in re gravi vel gravissima, non servata; sed etiam de damno ecclesiae; imo et de scandalo gravissimo et perniciosissimo res esset. Modus autem capitalia in tuto collocandi pendet a circumstantiis Noto solum quod in rebus istis non est procrastinandum; et culpa mortalis in differendo de die in diem facile sine dubio intervenire potest.

1512. *Quid de impediendo ne suspectus (quasi parochus aliquid sibi applicet) concipiantur?* Si de re nonnihil momentosa ageretur, et maxime si parochus avaritiae, aut nimii erga familiam suam amoris, indicia praeberet; suspectus huiusmodi vix aut ne vix quidem deesse possent; et proinde oporteret ut parochus, ad suam existimationem ab huiusmodi macula immunem servandam, rei totius atque erogationum testes adhiberet. Hinc scripsit Scavini (*I.* 290): « MONITUM GRAVISSIMUM. Ad « malae administrationis suspicionem cavendam, ne pigeat pa« rochis de iis, quae ecclesiae deferuntur, testes adhibere et « rationem reddere ». De hoc etiam Benedictus XIV prolixum habet sermonem (*Inst. LXXII. n.* 25 31), ubi imprimis refert decretum Synodi Calcedonensis, quod de ipsis Episcopis statuit: « Ut nec sine testibus sit ecclesiae administratio, nec ideo res « eius dissipentur, et probrum ac dedecus Sacerdotio inuratur »; et dein, arguendo a fortiori, dicit: « Tridentina Synodus mul-

« ctas irrogare Episcopis permittit, ea conditione ut piis ope-
« ribus insumantur....... Procul dubio Episcopi Parochis fama
« honestatis et publicae existimationis se praeferendos merito
« censebunt. Attamen nullus inter probos Episcopos invenietur,
« qui, mulctam irrogans, decretum ob eam rem non conficiat;
« qui mulctarum custodem non habeat; qui postremo, deposi-
« tam pecuniam erogare constituens, mandatum non obsignet,
« quo mulctarum custos pecuniam depromat: quae revera fieri
« magna diligentia consueverunt, ut dati acceptique omnis ra-
« tio palam oculis subiiciatur ».

1513. *Quid de oblationibus factis a meretricibus?* Decisio pendet a modo et scandalo. Scripsit Scavini (*l. c.*): « Non fieri « debet de tali lucro (meretricio) oblatio ad altare (praecipue « manifeste) propter scandalum et reverentiam sacrorum, vel « sceleris abominationem. Sed hae causae non prohibent quin « ex tali lucro eleemosyna fieri possit ».

§ XVII.

De iure parochi quoad administrationem bonorum temporalium paroeciae suae.

1514. *Ius istud estne aequale in omnibus locis?* Negative; aliud enim est si aeditui seu administratores laici (it. *fabbricieri*, gall. *marguilliers*) non adsint, et aliud si adsint.

1515. *Si aeditui non adsint, estne parochus iure ipso verus administrator bonorum omnium ecclesiae suae?* Affirmative; attamen, etsi ordinarie ex sese procedere possit, in quibusdam casibus licentiam ab Episcopo, et in quibusdam aliis beneplacitum apostolicum petere debet. Ubi autem ex sese procedere valet, Episcopus semper poterit ad rationem reddendam illum compellere, aut etiam (si opus esset) aliqua ei praescribere aut vetare: imo (si casus gravitas ita ferret) ab administratione illum prorsus suspendere.

1516. *Qualis est regula suprema cui subiicitur in parocho ius administrationis?* Est quod nihil facere potest cum damno, seu imminutione (etsi minima), capitalium et iurium Ecclesiae.

1517. *Quandonam beneplacitum apostolicum exigitur?* Exigitur 1° quoad alienationem immobilium non exigui valoris; 2° quoad alienationem mobilium pretiosorum; 3° quoad locationem ultra triennium fructiferum (nec refert quod iuxta legem civilem locatio valeret ad quinquennium); 4° quoad transactiones

(quae alienationibus aequiparantur ; *cf. Ferraris v. Transactio n.* 38). Patet ex celebri Const. *Ambitiosae ;* quae tamen dicit excipiendos esse casus a iure permissos, cuiusmodi sunt, v. g., si casus urgeret, vel ageretur de rebus quae servando servari non possent. *Cf. Praxis* (*Ed. Iª n.* 882. 891) *et De Angelis* (*I.* XXXVI).

1518. *Quandonam licentia Episcopi sufficit atque exigitur?*

Licentia Episcopi sufficit 1. in alienationibus sive immobilium, quae 25 aureos *de camera*, nempe quadraginta (et alicubi, iuxta consuetudinem, quinquaginta) scutata romana, non superant (*cf. De Angelis III.* XIII); 2. in locationibus non ultra triennium ; 3. in collocatione pecuniae ad mutuum lucrosum, si in bonis stabilibus investiri nequeat. Cf. *Praxis* (*Ed. Iª n.* 891. *F. G. et n.* 1268), et Vecchiotti (*II.* IV. § 44).

Licentia Episcopi exigitur 1. in alienationibus omnibus (nisi forte ageretur de aliqua re mobili levissimi momenti, ponendo rem meliorem loco deterioris); 2. in locationibus, ut supra, (exceptis, apud nos, locationibus domorum ad sex menses vel ad annum, dummodo personis honestis, et vetita sublocatione, locentur); 3. Generatim in iis omnibus, in quibus consuetudo fert ut licentia peti debeat.

1519. *Quid de caesione arborum?* Loquendo non de periodicis et consuetis nemorum, aut ramorum caesionibus ; sed de avulsione (*it. atterramento*) arborum alti trunci, vel de caesione ramorum non consueta (ut puta, si caederentur rami in quercubus) ; haec certe non licet, nisi licentia obtineatur. Ratio est quia beneficiati sunt ad instar usufructuariorum, qui arbores huiusmodi caedendi ius non habent; arbores enim pars fundi considerantur, et proinde sine domini licentia avelli nequeunt. Licentia autem peti debet ab Episcopo (qui, si plantarum valor praedictos 25 aureos superet, ad S. Congregationem Episcoporum et Reg. recurrere debebit). Haec vera sunt quamvis arbores ipsae ad maturitatem pervenissent, aut infructiferae vel noxiae forent, aut pro Beneficii ipsius fabricis adhiberi vellent. Tres exceptiones dumtaxat fieri possunt ; scilicet 1° quoad arbores manu hominis plantatas (v. g. ulmos), si forte dessicatae aut casu fractae fuerint, dummodo loco avulsarum aliae plantentur ; 2° quoad arbores sponte sua enatas (v. g. quercus) dummodo ex una parte, ut supra, dessicatae aut casu fractae fuerint, et ex alia pro dictis fabricis adhibeantur ; 3° quoad arbores quae solum ad ignem deserviunt, dummodo beneficiatus pro sua et coloni necessitate dumtaxat iisdem utatur, atque insuper dum-

modo arbores desiccatae aut casu fractae non adsint vel non sufficiant. Notandum quod codex civilis apud nos duas quidem primas exceptiones admittit (*A*. 488. 490) ; sed non tertiam ; quae solum ex consuetudine ab Ecclesia tolerata admitti posse videtur.

1520. *Potestne parochus, aliqua urgente necessitate, aliquod sacrae supellectilis obiectum in pignus dare?* Negative, nisi ab Episcopo vel Summo Pontifice licentiam obtineret. Vide Benedictum XIV (*Notificazione LXIX*).

1521. *Potestne parochus consentire, sine venia Superioris, ut fructus census imminuatur?* Si id faciat conventione revocabili, affirmative (et idem dic de transactionibus); secus, negative. Cf. Ferraris (*v. Alienatio IV.* 22, *et v. Transactio* 22).

1522. *Potestne parochus, fundos Ecclesiae locando, de solutione anticipata pactum facere?* De iure communi interdicuntur et annullantur pacta huiusmodi, si fiant in praeiudicium successorum (*Trid. XXV.* XI). Idem dic si parochus, vel quilibet beneficiatus, ad vitam vel ad longum tempus fundos alteri traderet, recepta per unam vel plures solutiones tali vel tali pecuniae quantitate (Bened. XIV. *Const. Universalis Ecclesiae*). Loquendo autem de anticipatione, quae fiat sine praeiudicio successorum, nec ad longum tempus referatur, haec lege generali non interdicitur. Quum tamen locationis contractus ab Episcopo approbari debeat, eius erit decernere an anticipationis huiusmodi (quae periculosa esse potest) licentiam concedere expediat.

1523. *Potestne parochus vilissimo pretio fundos ecclesiae locare?* Negative; id enim in successoris praeiudicium esse, et aliquando iniquissimam fraudem includere potest. Fraus ista interveniret si beneficiatus, praevidendo beneficium proxime esse vacaturum, alicui consanguineo suo fundos huiusmodi vilissimo pretio locaret.

1524. *Quid si aeditui, seu administratores laici, adessent?*

I. Hi non semper sunt illegitimi; sed in multis locis ex consensu Ecclesiae (v. g. ex concordato cum Principibus) legitime administrationem exercent; neque id sua utilitate caret, propter duas rationes quas adducit Bouix (*De Par. V.* XIV. § 3) inquiens : « Cum apud populum facile spargi possint sinistrae « suspiciones, ne forte parochus ea quae reficienda fabricae et « augendae sacrae supellectili addicenda sunt, in proprios usus « convertat, aliove modo ecclesiae parochialis bona dilapidet, « nil aptum magis ad arcendam huiusmodi odiositatem, quam

« deputari nonnullos civitatis praecipuos cives, qui simul cum « parocho de his omnibus deliberent atque decernant. Atque « insuper, dum ad solvendum adigendi sunt ii, qui ex aliquo « titulo ecclesiae parochiali debitores sunt, nemo non videt « quam expediat id, non a parocho ipso immediate fieri, sed « a deputato illo laicorum coetu ».

II. Quibus autem limitibus et sub quibus conditionibus aeditui administrationem iure exercere possint, id iuxta diversa statuta vel diversas consuetudines varium est.

III. Alicubi huiusmodi institutio nunquam fuit ab Ecclesia approbata; et alicubi, quamvis approbata fuerit, postea abusus invaluerunt. Frequentissime autem in casibus particularibus aeditui exigunt quae exigere non possunt et sive hoc sive illo modo male se gerunt. In his casibus utique iura Ecclesiae et Parochi plus vel minus laeduntur; sed ut plurimum res est sine remedio, et si Parochus vellet omnino ut omnia semper bene procederent, non solum incassum laboraret, sed etiam mala longe maiora provocaret. Reliquum est itaque ut bonis modis procedat, aedituorum amorem sibi conciliet, blandas persuasiones, prudentiam et patientiam adhibeat, atque in aliquibus cedat, ut postea alia obtineat. *Cf. Frassinetti* (*Man. n.* 160), *Berengo* (*n.* 233), *Scavini* (*I.* 622), *Rivarolo* (*II.* I. III.), *Bouix* (*l, c.*), *et Zucchini* (*Concordia tra Parrochi e fabbricieri* (*P II.*).

§ XVIII.

De iure parochi, si forte pensionibus gravetur, eas imminuendi, attenta scilicet, ob praesentes vicissitudines, reddituum diminutione.

1525. *Quid de iure isto?* Hac de re S. Sedis habemus decretum sequentis tenoris:

« Cum nuperrimis hisce temporibus reditus Ecclesiasticorum « Beneficiorum in Italia existentium ob rerum vicissitudines non « modicam passi fuerint diminutionem, Beneficiarii illos haud « amplius oneribus ab se ferendis pares esse existimarunt. Hu« iusmodi in angustiis constitutis, illud vel maxime grave ipsis « visum est, quod ad pensionum solutionem ab iis urgerentur, « quorum favore in actu collationis legitime sunt impositae aut « reservatae. Quare cumulatis undique petitionibus ad hanc S. « Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et

« Regularium praepositam recursum habuerunt, ut a pensio-
« num solvendarum onere, inspecta universa rei ratione, vel
« omnino, vel partim declararentur immunes. E contra Pensio-
« nariis contendentibus nihil esse de pensionibus sibi debitis
« imminuendum, SS.mus D. N. Pius PP. IX, cui sub die 11
« iulii 1869 relatae fuerunt petitiones utrinque porrectae, man-
« davit, ut quaestio examini Eminentissimorum ac Rev.morum
« Patrum huius S. Congregationis in plenario consessu subii-
« ceretur pro norma generali statuenda, qua rationibus huius-
« modi contendentium de bono et aequo prospici valeret. Hinc
« semel iterumque in generalibus comitiis re mature discussa,
« E.mi Patres, collatis simul consiliis, tandem demandarunt
« ut eorum sententiae Summo Pontifici referrentur, qui sapien-
« tissimo ac supremo suo iudicio quidquid aequius et opportu-
« nius hac desuper re existimaret, de plenitudine potestatis
« decerneret. Quod cum reapse peractum fuisset ab infrascripto
« D. Sub-Secretario huius S. Congregationis in audientia habita
« sub die 20 ianuarii 1871, SS.mus Dominus Noster, omnibus
« undequaque perpensis, hanc normam generalem statuendam ac
« tenendam esse diiudicavit, nempe: ut *ammissio vel diminu-*
« *tio reddituum Beneficiorum in communi Beneficiarios ac Pen-*
« *sionarios afficiat*, nullo facto inter ipsamet Beneficia, ipsas-
« que pensiones discrimine, ita ut praefatis reditibus imminutis
« vel amissis, habita proportione, imminui etiam pro rata de-
« beant aut cessare pensiones. Pro ecclesiis tamen cathedralibus
« (seu episcopalibus mensis) et parochialibus, pensionum oneri
« subiectis, illud insuper constitutum expresse voluit, atque
« praescripsit, ut earum favore in pensionibus ab se persolven-
« dis *integra semper servari debeat et incolumis esse congrua*
« ad formam Concilii Tridentini. Quibus ita praestitutis, San-
« ctitas Sua praeterea declaravit atque mandavit: primo ut
« *quodcumque dubium aut quaestio inter praefatos Beneficia-*
« *rios ac Pensionarios suboriatur, ab hac S. Congregatione EE.*
« *et RR. unice ac privative cognoscenda sit,* ac de bono et ae-
« quo, secluso foro contentioso, dirimenda: secundo, ut si Cle-
« ricus aliquis pensionis titulo ordinatus, ob huius normae ex-
« equutionem sacro patrimonio privatus partim vel omnino re-
» maneat, nullam ob id suspensionem incurrat, nec Ecclesiasticis
« obnoxius poenis evadat: tertio tandem, ut si ante huius De-
« creti emanationem aliquae pensiones in toto vel in parte solu-
« tae fuerint in maiori quantitate quam ea quae in hac generali
« norma constituitur, nullum ex hac ipsa norma ius oriatur

« ad eas veluti indebitas repetendas, aut in ratas futuras sup- « putandas. Haec omnia Sanctitas Sua voluit, statuit atque « decrevit; contrariis quibuscumque, etiam speciali ac individua « mentione dignis, non obstantibus ».

« Datum ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et « Regularium sub die 28 ianuarii 1871 ».

1526. *Quum praesens decretum dicat, salvam semper esse debere congruam, de congrua ista quaeritur quomodo taxetur?*

Tridentinum (*XXIV.* XIII) dicit: « In posterum omnes hae « cathedrales Ecclesiae quarum redditus summam ducatorum « 1000, et parochiales quae summam ducatorum 100, secundum « verum annuum valorem non excedant, nullis pensionibus aut « reservationibus fructuum graventur ».

1527. *In qua moneta intelligi debet valor centum, aut mille* (*pro Episcopis*) *ducatorum?* S. Congr. Epp. et Reg. die 30 Maii 1873 respondit: « Ad effectum de quo in Decreto citato, « si desit expressa designatio monetae specialis in actu impo- « sitionis pensionis, intelligenda est de scutatis romanis iulio- « rum decem respondentibus libellis quinque et centesimis 32 » (*apud Acta VII.* 335).

1528. *An ad effectum pensionum, ducata centum et mille intelligenda sint taxative, seu potius demonstrative* (*scilicet ad modum regulae quae vera sit ordinarie, sed non semper?*)

Intelligenda esse demonstrative, ita ut, habito respectu personarum, locorum, onerum quantitate, maxime vero extensione paroeciae, necessitate habendi coadiutores, vel subveniendi pauperibus etc., iudex decidere debeat, senserunt plures, inter quos De Luca (*De pens. Disc. XVI. n.* 3) et Ferraris (*v. Congrua n.* 5-9). At vero S. C. Epp. et Reg. (*die cit.*) oppositum tenendum esse decrevit in casu; unde ad quaesitum expositum respondit: « Ad effectum, de quo agitur in « Decreto *Cum nuperrimis*, affirmative ad primam partem, « negative ad secundam ».

1529. *An, in iudicio ferendo de congrua, computanda sint etiam emolumenta quae incerta appellantur, quae scilicet speciatim ex funeribus percipiuntur?* Negat Ferraris (*l. c.* 12-15), qui dicit, congruam esse pro alimentis, et proinde conflari non posse ex incertis, quia venter non patitur dilationem. Sed S. C. C. oppositum sentire videtur; in quadam enim causa huiusce generis mandavit ut scriberetur Episcopo pro informatione, et speciatim ut referret quanta essent incerta quae dicuntur stolae nigrae. (*Acta IV. pag.* 527).

1530. *Quid itaque si, detractis taxis, nihil ultra congruam remaneret?* Tunc pensio cessaret prorsus, durantibus praesentibus circumstantiis. Patet ex allato Decreto *In nuperrimis*, et ex responso praedictae S. C. Epp. et Reg. (*apud Acta VII.* 334).

1531. *Quid si ordinarie quidem adessent redditus ultra congruam, sed aliquo anno (propter extraordinariam terrae sterilitatem) vix congrua remaneret?* Respondeo, non ab aliquo anno, sed a decennio regulam esse sumendam; ita scilicet ut ex decennio (factâ mediâ) cognosci debeat an paroecia congruam habeat, vel talem vel talem pensionem sustinere valeat; contingere enim potest quod sterilitas alicuius anni abundantiâ aliorum annorum compensetur. Ita Ferraris (*v. Pensionarius n.* 139, *et v. Locatio n.* 38).

1532. *Quomodo solvi debeant pensiones ex redditu paroeciarum, qui excedat ducata centum, et ex redditu mensarum episcopalium, qui excedat ducata mille?* « Praelevatis mille « et respective centum, reductio proportionalis pensionum ob « imminutionem reddituum beneficiorum, de qua in citato De« creto *Cum nuperrimis*, instituenda erit super residuo reddi« tuum dictorum beneficiorum ». Ita S. C. Epp. et Reg. (*l. c.*). Exemplum. Paroecia, cuius redditus (liberi a taxis) erant scutata 150, gravata fuit pensione scutatorum 30. Nunc redditus eiusdem (propter augmentum quadraginta scutatorum taxarum) sunt solum scutatorum 110. Quanta nunc esse debebit pensio? Praelevatis 100 pro congrua, residuum ultra congruam (quod solum pensione gravari potest) ab initio erat 50, et nunc est 10. Ergo proportio sic statui debet: 50 dabant 30; 10 quantum dare debebunt? Scilicet 50 : 30 : : 10 : x; scilicet

$\frac{30 \times 10}{50} = \frac{300}{50} = 6.$ Pensio itaque esset scutatorum 6. Ita apud Acta (*VII. pag.* 335).

1533. *Quid si aliqua paroecia pensionis onere gravata, ob praesentes vicissitudines, nihil damni passa fuisset?* Tunc ex Decreto *Cum nuperrimis* nullum pensionem imminuendi ius haberetur (*Acta VII.* 336).

1534. *Quid si redditus denuo (intellige propter taxas imminutas) augerentur?* Apud Acta (*l. c.*) legitur: « Durantibus « eiusmodi rebus, pensiones mutabiles esse pro ratione grava« minum, ita ut augeri vel minui possint singulis solutionis « temporibus ».

1535. *Quid in dubio an salva remaneat nec ne congrua?*

Apud eadem Acta (*l. c.* 712) dicitur : « ius certum pensionis « praevalere ».

1536. *An immutationes in pensione solvenda vel exigenda excurgant ex se et ipso iure ; ita ut, redditibus quomodolibet imminutis vel adauctis, statim ius imminuendi vel augmentum exigendi suboriatur?* De hac re legitur apud Acta (*V. pag.* 179 *in nota*): « Quum ob varios titulos sive iustitiae sive aequitatis « pensiones imponantur, consequitur ut non ipso iure et facto « imminutio pensionis eveniat, quando beneficiario valde immi- « nuuntur fructus, sed per interventum Auctoritatis ecclesiae « competentis..., quae, causa cognita, de hac re decernat ».

§ XIX.

De iure parochi quoad fructus praebendae suae.

1537. *Iusne habet parochus de praebendae suae (seu beneficii sui parochialis) fructibus disponere prout vult?* Negative. Equidem potest ex iis honestae suae sustentationi consulere; sed si superflua adsint, ea in pios usus erogare tenetur. Enimvero in primis Ecclesiae saeculis Christifideles multa bona Deo dicabant, eaque Ecclesiae tradebant sub spe et intentione quod ipsa, tamquam fidelis Dei ministra ac velut oeconoma, in pios usus (speciatim pro fabricis Ecclesiarum, sustentatione clericorum, et pauperum levamine) eadem bona eorumve fructus erogaret. Tractu temporis Ecclesia haec bona divisit; et sic beneficia episcopalia, parochialia, canonicalia, et simplicia constituit ; ita tamen ut beneficiati superflua in usus pios erogare districte tenerentur. Alia Beneficia postea a particularibus personis fundata fuerunt ; et haec profecto antiquorum Beneficiorum naturam induunt, nisi forte de diversa fundatoris intentione constaret. *Cf. Prax.* (*Ed. I. n.* 689 *II. not.*).

Dixi *districte tenerentur*. Hoc autem patet ad minus ex iure positivo, dicente Tridentino (*XXV.* I): « Omnino vero eis « (Episcopis) interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae consangui- « neos familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum « canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, « consanguineis donent ; sed , si pauperes sint, iis ut pauperi- « bus distribuant , eas autem non distrahant , nec dissipent « illorum causa.... Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem « non solum in quibuscumque beneficia ecclesiastica tam sae- « cularia quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditio-

« ne observari, sed et ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales « pertinere decernit ». Cf. De Angelis (*III.* xxv.).

1538. *An quae loco fructuum beneficii hodie a Guberniis (quae Ecclesiam spoliaverunt) percipiuntur, tamquam bona beneficialia considerari debeant?* Affirmative certe, si concordatum cum S. Sede intercesserit. Constat ex sequentibus S. Poenitentiariae responsis:

1. « An salaria, quae in Belgio solvuntur a Gubernio Pa- « storibus et Canonicis, induant beneficiorum seu bonorum « ecclesiasticorum indolem, et adnexam habeant obligationem « inhaerentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obliga- « tionem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et « residentiae, sub poena non faciendi fructus suos? S. Poenit.; « perpensis expositis, respondit: *Iam alias a S. Sede, de « consilio secretae Congregationis, responsum fuisse affirma- « tive* ». Datum Romae die 19 Ian. 1819.

2. « Sacra Poenitentiaria consulta an illa responsio appli- « cari debeat salariis, quae Pastoribus et Canonicis regni Gal- « liarum a Gubernio solvuntur, respondendum censuit *affirma- « tive* ». Die 19 Augusti 1821.

3. « An responsio pro Belgio diei 19 Ian. applicari debeat « solis salariis fixis 1000 libell. pro Parochis et 750 libell. pro « Deservientibus; vel extendi debeat ad oblationes fidelium? S. « Poenitentiaria super noviter expositis respondendum censuit: « *Affirmative quoad primam partem; negative quoad secun- « dam* ».

At vero idem dicendum videtur quamvis non ex concordato inter Gubernium et S. Sedem, sed solum ex simplici ipsius S. Sedis annuentia, pensiones acceptentur; quamvis enim tunc, antequam a beneficiatis acceptentur, bona ecclesiastica non sint; tamen, acceptatione facta, talia evadunt et fructuum beneficiorum locum tenent.

1539. *Quid intelligitur per congruam sustentationem? Quomodo scilicet beneficiatus determinabit partem quam ex hoc titulo tuta conscientia sibi applicare poterit?* Congrua heic non accipitur taxative pro scutatis centum (ut supra *n.* 1528); sed varia est iuxta circumstantias; summa enim, quae ad honestam sustentationem exigitur, maior vel minor, iuxta diversas personas et diversa tempora, esse potest. Ad illam autem determinandam non sunt scrupuli iniiciendi, si beneficium (prout hodie, ordinarie contingit) sit tenue. In hypothesi vero beneficii pinguis, non solum iuxta strictam necessitatem, sed etiam

iuxta convenientiam, res erit circum circiter determinanda. Deservire autem poterunt regulae sequentes.

Imprimis certe ad propriam sustentationem non spectant 1. Expensae, quae non ad personam, sed ad assem patrimonialem referuntur; 2. Commoda et deliciae, quae cum sacerdotali simplicitate, frugalitate, humilitate et modestia componi nequeunt; et notandum quod viro nobili, si clericus evaserit, non tanta decet pompa, quanta deceret si saecularis remansisset; 3. Sustentatio consanguineorum. Intellige nisi convenienter cum beneficiato ipso conviverent, ut infra explicabitur; aut eidem deservirent; aut in statu adeo vili versarentur ut nimio probro essent. Sola autem ratio paupertatis (quum hodie clerici sint pauperes fere omnes) non facile tale probrum constitueret; attamen titulo non proprium decorem sustentandi, sed pium eleemosynae opus exercendi, illis (iuxta infra dicenda) aliquod auxilium praebere poterit.

Caeterum expensae pro moderato victu, vestitu, habitatione, famulatu, hospitalitate, munificentia (iuxta proprium gradum), nec non pro aliquo raro et decenti oblectamento, v. g,, convivii cum amicis, itineris etc., imo et exiguum peculium pro infortuniis et necessitatibus non praevisis reservare; haec omnia ad honestam sustentationem pertinent; quae iudicio prudentum cum quadam latitudine aestimari poterit (nempe ad minimum, tantum; ad summum, tantum); satisque erit si Beneficiatus ultra summum non procedat. Lugo (*De Iust. IV.* 53 - 94).

1540. *Quid si onera beneficio adnexa, manutentiones, aut necessitates spirituales vel corporales subditorum ita urgerent, ut redditus pro sustentatione ample, ut supra, accepta non sufficerent?* Tunc beneficiatus in suis expensis personalibus se restringere, aut ex proprio supplere teneretur.

1541. *An debita a beneficiato contracta, solvi possint ex fructibus beneficii?* Affirmative, si aliter fieri nequeat. Gravissime tamen peccaret beneficiatus, si ex causis non piis in huiusmodi necessitatem se coniiceret. Si autem debita ex bonis patrimonialibus solvi possent; tunc, si ob causas profanas contracta fuissent, certe ex beneficii redditibus solvi nequirent; si vero ob pias causas, tunc Lugo (*De Iust. IV.* 67) dicit, ex his redditibus solvi posse si post beneficii consecutionem (non vero antea) contracta fuerint. Caeterum, si debita ad studia ecclesiastica perficienda, atque ad parochiam obtinendam contracta fuissent, non essent scrupuli iniiciendi, si ex beneficii

fructibus solverentur: liberare enim beneficiatum (saltem si modicum patrimonium habeat) a debitis ex causa pia atque Ecclesiae utili contractis, quid satis pium (cui Ecclesia ipsa consentire debeat) esse videtur.

1542. *An Beneficiatus suam congruam sustentationem ex fructibus beneficii sumere possit ex integro (intellige semper, si supersit, satisfactis oneribus) quamvis ex Missarum eleesynis aut proventibus stolae vel praedicationis aut ex distributionibus (si esset Canonicus) vivere posset?* Affirmative; haec enim dantur Sacerdoti non tamquam adhuc in usus pios distribuenda, sed absolute; unde in usus quoque a propria sustentatione alienos ea pro libito impendere potest.

1543. *Quid si Beneficiatus bona patrimonialia haberet et dives esset?* Tunc quoque ad suam sustentationem fructus beneficii adhibere posset.

1544. *Si beneficiatus sustentationem sive ex praedictis proventibus sive ex bonis patrimonialibus habere possit, et sic non indigeat ut ab Ecclesia sustentetur, quomodo Beneficii redditus, si ei tradantur, in opus pium insumentur?* Respondet Lugo quod alere Ministrum Dei, quamvis dives sit, semper quid pium est (*l. c.* 36).

1545. *Quid de bonis parsimonialibus? Quid scilicet si beneficiatus, dum licite posset, v. g., universos sui beneficii redditus ad propriam sustentationem adhibere, parsimoniis studeret, aut victum aliunde reciperet?* Tunc quoque fructus beneficii, qui ei sic remanerent, tuta conscientia sibi applicare posset. Ratio est quia tunc etiam in usum pium sufficienter applicarentur: hoc enim ipsum quod offeratur congrua sustentatio Sacerdoti qui ad officia spiritualia praestanda se obliget, nonne quid pium est?

1546. *Quid de bonis industrialibus? Quid scilicet si beneficiatus ex fructibus beneficii, v. g., saginando animalia, lucrum perciperet?* Lucrum istud, qua parte industriae corresponderet, tamquam fructus beneficii considerari non deberet, et proinde libere ei cederet.

1547. *Cur fructus beneficii aliis stipendiis, quae pro Missis, vel praedicatione etc. dantur (de quibus Sacerdotes pro libito disponere possunt) non aequiparantur?* Quia hi redditus, quatenus honestam sustentationem excedant, dantur non tamquam in opus pium iam distributi, sed adhuc distribuendi. Insuper tamquam merum stipendium laboris considerari non possunt; secus enim Ecclesia sineret ut prodige et iniuste bona ecclesia-

stica distribuerentur; quandoquidem ex una parte non desunt beneficia pinguissima fere sine ullo onere, et ex alia ut plurimum nulla proportio servatur, et qui magis laborant minus percipiunt et viceversa.

1548. *Quaenam sunt opera pia, in quibus fructus honestae sustentationi superflui erogari debent?* Opera pia vel ad cultum Dei. vel ad egentium (sive corporaliter sive spiritualiter) subventionem referuntur. Si itaque beneficiatus eleemosynas pro Ecclesiarum aedificatione vel ornatu, pro Monasteriis, pro Hospitalibus, pro Missionibus, pro scholis catholicis, pro Missis (sive ad Dei honorem sive pro Purgatorii animabus) celebrandis, et demum ad temporales pauperum (inter quos recensendi sunt quoque illi nobiles, qui iuxta propriam conditionem vivere nequeunt) miserias sublevandas elargiatur; utique muneri suo satisfaciet. Interdum tamen rectus charitatis ordo exigere potest, ut alicui operi pio praeferentia detur: et maxime ut pauperes proprii loci, si forte in extraordinariis necessitatibus versentur, non solum extraneis, sed etiam ipsi cultui divino (praescindendo a stricte necessariis) praeferantur. Caeterum, quamvis ordinarie beneficiatis detur optio, atque, inter opera pia, quae maluerint, eligere valeant; tamen quoad Episcopos et Parochos non ita praecise res se habent; quum enim *pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere* teneantur (Trid. XXIII. 1); partem ad minus superfluorum pauperibus sibi subditis concedere tenentur. Dixi *ad minus;* si enim extraordinaria annonae penuria adesset; aut si Parochus ex una parte curae spirituali optime consuluisset, et ex alia Ecclesiam satis superque ornatam atque optime provisam haberet; tunc superflua ex integro aut fere ex integro iisdem pauperibus eroganda forent. Dixi *fere ex integro;* iuxta enim sacros Canones, peregrini et advenae non excluduntur. *Cf. Lugo* (*IV.* 38).

1549. *Quid de beneficiato, qui praedicationi aut Sacramentorum administrationi ultra suam obligationem incumberet, et hoc titulo superflua sibi retineret?* R. Si applicaret sibi eam partem dumtaxat, quam alteri pro iisdem piis operibus daturus esset, quietus in conscientia esse posset. *Lugo* (*IV.* 65).

1550. *Quid de beneficiato, qui in alendis vel adiuvandis consanguineis aut affinibus suis superflua erogaret?* R. Non loquor de casu in quo isti convenientem famulatum ei praestent; id enim ad honestam illius sustentationem pertineret, ut supra dicebam. Loquendo autem stricte de superfluorum erogatione,

oportet imprimis ut auxilium consanguineis vel affinibus praestitum naturam operis pii vere induat; quod contingeret 1° Si ad finem stricte sacrum (v. g., ad constituendum nepotem in via ecclesiastica, ad dotandam monialem etc.) dirigeretur; 2° Si consanguinei essent ita pauperes, ut auxilium eis praestitum tamquam eleemosyna verumque misericordiae opus considerari deberet. Tale esset si dotes pro honesto matrimonio, aut media ad artem addiscendam consanguineis, ad haec aliunde non provisis, suppeditarentur; non vero si adiumenta eis praestita in vitiorum aut otii fomentum (prout saepissime accidit) degenerarent; tunc enim beneficiatus bona ecclesiastica non iam in eleemosynam traderet, sed dissiparet, suisque consanguineis non iam auxilium sed ruinam inferret; et sic coram Deo et hominibus graviter delinqueret. Commune est effatum quod consanguinei proprii aliis pauperibus praeferri possunt; at vero hoc intellige, dummodo non solum vere sint pauperes atque veri nominis eleemosynis adiuventur; sed etiam dummodo aliae maioris momenti necessitates non clament, ut hae consanguineorum subventiones interrumpantur aut minuantur.

1551. *An beneficiatus tuta conscientia patrem et matrem apud se retinere, eosque (quamvis non essent pauperes) ex fructibus beneficii alere possit?* R. Affirmative; si illi cum proprio filio convivere exoptent. In tali enim casu amor et gratitudo filialis exigit ut filius illos acceptet; neque convenit ut alimentorum pretium ab eis reposcat. Si itaque beneficiatus honestis affectibus amicitiae, gratitudinis, munificentiae erga extraneos ex beneficii fructibus satisfacere potest; imo si honesta oblectamenta quoque ei permittuntur (ut supra vidimus): cur affectui filiali satisfacere nequibit? De aliis stricte coniunctis et speciatim de sororibus adhuc innuptis idem dicerem. Attamen circumstantiae attendi deberent; et praecipue ne familia sit nimis numerosa, aut beneficiatus (parentes acceptando) fratres quoque vel nepotes otiosam (ut modo dicebam) vitam ducturos aut foeminas periculosas acceptare cogeretur.

1552. *Possuntne beneficiati disponere de superfluis per testamentum?* Iure scripto, et excepto privilegio aut concordato vel indulto Apostolico, negative; haec superflua enim Camerae Apostolicae seu S. Congregationi spoliorum cedere debent. Dixi *iure scripto;* passim enim consuetudo, ut notat Marc (*n.* 2249), in contrarium adest. Multis in locis autem, ad habendam hanc testandi facultatem, beneficiati quamdam taxam dictae S. Congregationi solvunt. Cf. De Angelis (*III.* xxvi). Etsi autem his

titulis possint beneficiati testamentum condere de superfluis etiam ad causas profanas (v. g., relinquendo ea suis consanguineis), hoc intelligi debet solum pro foro externo; aliud enim esset in conscientia, nisi dictae causae apparenter quidem profanae, sed realiter piae essent; unde scripsit Lugo (*XXIII.* VI. 104): « Intentio Pontificis concedentis facultatem testandi « ad quoslibet usus, non est eximere clericum ipsum ab obliga- « tione religiosa disponendi ad usus pios, nisi quando adsit iusta « causa aliter faciendi, quod uniuscuiusque conscientiae re- « liquit ».

1553. *Quid de beneficiato qui superflua accumulet, ut ea omnia post mortem alicui piae fundationi deserviant?* Hoc licet (supposita testandi facultate) sub duabus conditionibus. 1. Ut pia dispositio ope testamenti rite facti absque mora in tuto collocetur; cavendo semper ne ex inconstantia voluntatis, avaritia, aut familiae amore in posterum mutetur. 2. Ut Beneficiatus dum vivit muneribus suis satisfaciat; praesentibus necessitatibus (maxime si extraordinariae essent) non obdurescat; et avarum et sordidum se non ostendat.

1554. *Quid de beneficiato qui superflua male expenderit? Teneturne ad restitutionem?* Si illa expendisset in emendis praediis aut ita ut interim bonis propriis pepercisset, tunc certe ad piam erogationem adhuc teneretur; ut enim ad hanc teneatur, non est necesse ut fructus beneficii subsistant in se; secus enim venditi et in pecuniam commutati non amplius erogari deberent, quod nemo dicet (*Cf. De Angelis III.* XXVI. 4°). Si vero beneficiatus ita consumpsisset superflua, ut ne in aequivalenti quidem superessent (habens, v. g., aliqua superflua commessationibus indulsit, quibus non indulsisset si illa non habuisset) ; tunc ad piam erogationem (supplendo de proprio) probabiliter non tenetur. Ratio est quia non ex iustitia sed ex religione dumtaxat illa in usus pios erogare debebat; fructus enim beneficii sunt beneficiati (de quo Tridentinum dicit *facit fructus suos*), et mala erogatio Deum quidem, sed non homines (loquendo de iure stricto) laedit. Quisnam enim contra beneficiatum redditus beneficii male expendentem ita se laesum reputavit, ut litem contra eum intentaverit? Sola autem religio non eo usque procedit, ut, si id quod praestandum erat praestitum non fuerit, ad aliud aequivalens obliget, ut patet in eo qui calicem Deo promissum in mare proiecisset, qui poenitere quidem, sed non alio calice Deum compensare teneretur (ad quod teneretur si hominibus illum promisisset). Secus es-

set sì Beneficiatus ex iustitia aliquid in usus pios erogare deberet, prout accidit in illis Parochis vel Episcopis, quorum beneficia oneribus dotium, eleemosynarum, Missarum etc. (ita disponentibus testatoribus) gravantur.

1555. *Quid de gradu culpae?* Erogatio in usus pios, quamvis ex sola religione et charitate oriatur, tamen sub gravi obligat; unde dicebat Bellarminus: « Parum refert utrum be« neficiatus damnetur ad inferos quia peccavit contra iustitiam: « an vero quia peccavit solummodo contra religionem et cha« ritatem ». Attamen ad mortale peccatum constituendum maior materia exigitur quam in furto, ut fatentur theologi communiter. Lugo (*IV.* 42) dicit, beneficiatum leviter dumtaxat peccare, si, quamvis non adamussim, tamen circumcirca muneri suo satisfaciat; v. g,, si de 100 scutatis superfluis eroget 90, et de 1000 eroget 950; ita ut in parvis summis 10 pro 0/0, et in magnis 5 pro 0/0 levem materiam constituat.

1556. *Danturne casus in quibus parochus non faciat fructus suos?* Utique, si nempe non resideret (iuxta dicta n. 621 et seqq.); aut horas canonicas cum gravi culpa recitare omitteret. Hoc postremum patet ex Bulla *Ex primo* Pii V, ubi dicitur: « Qui horas canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, « omnes beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent; « qui vero matutinum, tantum dimidiam; qui caeteras alias « horas, aliam dimidiam, qui horam singulam, sextam partem « fructuum eius diei omittant ». Quum tamen beneficium parochiale non detur solum propter horas canonicas, bene vero etiam propter plura alia onera; ideo Theologi communissime dicunt quod parochus (si aliis suis muneribus satisfaciat), horas canonicas recitare omittendo, non fructus omnes, sed solum tertiam partem amittat. Fructus amissos autem non quomodolibet (etsi in usus pios), sed praecise in eleemosynis (sive pro pauperibus sive pro Missis ad defunctorum suffragium) aut pro ecclesiae suae vel beneficii sui fabricis, erogare deberet. Cf. S. Lig. (*III.* 672).

CAPUT III.

DE THEOLOGIA MORALI EIUSQUE STUDIO.

1557. *Quid est theologia moralis?* Est tractatus, qui agit speciatim de obligationibus hominis christiani, quatenus non solo lumine rationis, et doctrinis philosophorum, sed etiam (imo praecipue) lumine revelationis, magisterio ecclesiae, et doctrinis theologorum, cognoscuntur. Dixi *agit speciatim de obligationibus hominis christiani*; quia non agit praecise de his solis. sed etiam de aliis rebus, quae obligationibus ipsis valde connectuntur et immiscentur, atque a sacerdotibus, confessariis, et parochis sciri debent. Hinc in theologia morali agitur etiam de obligationum causis et conditionibus, nec non de auxiliis et impulsibus; et proinde de legibus in genere, de actibus humanis, de conscientia, de peccatis, de sacramentis, et de poenis. scilicet censuris.

1558. *Theologia moralis cur differt a theologia pastorali et ab institutionibus iuris canonici?* Quia theologia pastoralis agit solum et latius de officiis et iuribus pastorum animarum (prout in praecedenti tractatu de Parocho); institutiones autem iuris canonici pariter agunt solum et latius de legibus ab Ecclesia emanatis, quarum multae ad episcopos et iudices ecclesiasticos referuntur. Caeterum pars aliqua theologiae pastoralis et iuris canonici ad theologiam moralem quoque spectat: quoad ea scilicet, quae ad communem praxim scitu necessaria sunt.

1559. *Quales sunt fontes theologiae moralis?* Fontes, ex quibus argumenta seu probationes theologia moralis sumit, sunt 1° Sacra scriptura. 2° Traditio ex SS. Patribus, antiquissimis consuetudinibus etc. cognita. 3° Decisiones ex cathedra Romanorum Pontificum, v. g., propositiones damnatae. 4° Concilia oecumenica. 5° Ius canonicum, scilicet leges Ecclesiae. 6° Ius civile. 7° Responsa Romanarum Congregationum. 8° Concilia provincialia vel etiam dioecesana. 9° Doctores Ecclesiae (v. g., S. Thomas, S. Ligorius etc.) et generatim theologi probati (v. g., Lugo, Suarez, Sanchez, Salmanticenses etc.) 10° Ratio naturalis.

1560. *Quid de theologia positiva, speculativa, et casuistica?* Si documentis vel decisionibus claris et auctoritativis innitatur, *positiva;* si in ratiociniis fundetur atque ad generaliora se

limitet, *speculativa;* si denique ad minutiora atque ad casus particulares descendat, *casuistica* appellatur

1561. *Quid de necessitate theologiae moralis?* Pro sacerdotibus haec est scientia valde magis necessaria omnibus aliis. Utilis est historia sacra, utile est ius canonicum, pluribus necessarium est studium sacrae eloquentiae, necessaria est quoque sacra liturgia, speciatim vero theologia dogmatica; sed necessitas magis ordinaria et urgens est theologiae moralis; illâ enim sacerdotes omnes indigent. Quisnam hodie (in tanta operariorum paucitate) saltem ab audiendis confessionibus se eximere potest? Quomodo autem officium confessarii sine scientia theologiae moralis rite exerceri valebit? Nihil dico de parochis; de vicariis; de concurrentibus. Si quis autem neque confessarii neque parochi etc. officium suscipiendi intentionem haberet, non ideo ab hoc studio prorsus se eximere posset; Tridentinum enim (*XXIII. XXIV*) constituit eos solum ad presbyteratum assumendos, qui « ad populum docendum ea, quae scire omni-« bus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta, « diligenti examine praecedente, idonei comprobentur ».

1562. *Cur scientia theologiae moralis exigitur speciatim pro exercendo munere confessarii?*

Exigitur 1° Quia confessarius pro casibus ordinariis, quoad officia sua doctoris, medici, et iudicis, debet esse doctus et promptus. Talis autem esse nequit sine scientia theologica. Passim enim casuum solutio pendet modo a cognitione legum positivarum et decretorum S. Sedis; modo a notitia sententiarum theologorum, qui abstrusissima dilucidarunt et intricatissima enodarunt; modo denique ab experientia, cuius dictatus in theologia ipsa exponuntur. Confessarius itaque, hac scientia destitutus, non nisi divinando ac temere procederet, et sic innumeros errores committeret.

Exigitur 2°, quia errores in tribunali poenitentiae ut plurimum sunt valde damnosi; agitur enim de salute animarum, et de lege Dei.

Exigitur 3°, quia scientia theologica in confessario cadit sub obligatione gravi. S. Ligorius scripsit (*Prax. n.* 18): « Affirmo in statu damnationis esse eum confessarium, qui sine « sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit ».

1563. *Quid igitur de iis, qui credunt sufficere approbationem episcopi; aut dicunt: — Ad quid scientia? Sufficit experientia —?*

Quoad approbationem episcopi dicendum est, quod episcopus

dat quidem iurisdictionem, ut absolutiones sint validae; sed neque intendit neque intendere potest solvere confessarium ab obligatione habendi scientiam sufficientem, casu quo, non obstante examine dato, eâ de facto careret; unde scripsit idem S. Lig. (*l. c.*): « Nec excusabit eum episcopi approbatio, si « manifeste se noverit inhabilem; approbatio enim non infundit « scientiam necessariam, sed supponit ».

Quod autem experientia defectum scientiae supplere possit, falsissimum est; experientia enim ea sola quae sunt de facto; scientia vero ea quae sunt de iure respicit Quid, v. g., iuvare poterit experientia ad decidendum utrum in tali vel tali casu adsit obligatio restitutionis necne; an tale peccatum sit vel non sit reservatum, an pro tali delicto adsit vel non adsit censura etc.? Utique quoad ea quae ad prudentiam spectant, et interdum bonos interdum malos producere possunt effectus (prout in admonendis iis qui sunt in bona fide, aut quoad modum directionis spiritualis) experientia valde deservire potest; sed oportet ut in his quoque regulae, saltem principales, antequam officium confessarii exerceri incipiat, iam habeantur; qui enim nullam adhuc habent experientiam, quomodo ex experientia iam docti esse possent? Edoceri poterunt in posterum; sed lente, sed imperfecte, sed committendo prius multos errores, iuxta proverbium *errando discitur*.

1564. *Quid notandum circa compendia; seu circa instructionem elementarem, quae in scholis tradi solet?* In compendiis et in instructione elementari magna brevitas necessaria est. Ex necessitate autem huius brevitatis sequitur 1° Quod multa quantum satis demonstrari nequeunt; unde saepe oportet ut discipuli credant et pro ratione habeant *ipse dixit;* 2° Quod, expositis principiis generalibus et casibus magis obviis et ordinariis, alia (equidem plurima) resecentur; 3° Quod plurima potius quam intellectui (stante praedicto defectu probationum), memoriae, non sine labore et patientia, commendari debent; 4° Quod instructio habita in compendio vel in schola est fundamentum, non vero aedificium completum; unde sufficit quidem ut officium confessarii, atque etiam parochi, acceptari possit; sed non sufficit pro casibus extraordinariis, difficilibus et intricatis, qui identidem in praxi accidere solent. Tunc vel ad auctores probatos, qui fusius et enucleatius theologiam moralem pertractant, vel saltem ad consilium virorum prudentum, recurrere oportebit.

1565. *Quid de necessitate et obligatione studii?* Studium

necessarium est et sub obligatione cadit 1° in cursu elementari; 2° etiam postea; quandoquidem plurima (et speciatim ea quae soli memoriae commendata fuerunt) facillime e memoria excidunt; memoria enim est quasi lampas, quae oleo non addito, extinguitur. Insuper novae leges, novae decisiones, et novae temporum circumstantiae, saepe efficiunt ut instructio primitus habita reformari vel adaugeri debeat. Adde quod occurrere possunt casus non solum difficiles et intricati, sed etiam ita urgentes (v. g., in moribundis, vel occasione matrimonii hic et nunc celebrandi etc.) ut neque auctores neque viri prudentes consuli valeant. Quid si casus huiusmodi, attenta paroeciae vastitate aliisve specialibus circumstantiis, non essent rari? Denique si studio incumbere tenentur medici corporales, qui (ut vulgo dicitur) nunquam sunt docti satis; quanto magis ad illud incumbere non debebunt medici spirituales, qui non corporum sed animarum curam habere debent?

1566. *Quid de modo studendi?* Imprimis studendum est *recta intentione*, scilicet ad placendum Deo et pro salute animarum. Haec intentionis rectitudo est vita et anima studii; quod non amplius grave, taediosum, et veluti materiale; sed delectabile, laetum et meritorium erit. Et notandum quod haec ipsa intentionis rectitudo in studio theologiae moralis (maxime quando examina non sint amplius sustinenda) speciali modo desideratur. Oratores sacri, v. g., aut magistri, possunt habere stimulos humanos (sive lucri sive honoris) ad studendum; sed parochus aut confessarius huiusmodi stimulis prorsus destituitur, et solo desiderio placendi Deo et iuvandi proximo ad studendum induci potest.

Studium insuper debet esse *assiduum et serium*. Loquendo de discipulis, res est manifesta; deficiente enim assiduitate, non solum lacunae et vacua huc et illuc remanerent, sed etiam vacua ipsa tenebris alia facile offunderent; antecedentia enim sunt lumen ad intelligenda subsequentia. Loquendo autem de sacerdotibus, qui cursum scholasticum iam absolverunt, si oculos in librum aliqua rarissima vice coniicerent, hoc quid iuvaret? Dixi studium debere esse *serium;* quid enim de illis, qui legunt quidem, sed nihil serii sibi praefigunt; viso libro, legunt aliquam paginam et illum abiiciunt; cras ad eorum manus venit alius liber, et faciunt sicut fecerunt in primo; et sic semper? Isti sunt velut pueri, qui, visa aliqua re, illam volunt, sed habitam statim reiiciunt, ut aliam capiant. Quinam fructus ex studio huiusmodi?

Praeterea studium debet esse *ordinatum;* confusio enim efficit ut rerum lectarum memoria non retineatur, magnamque indigestionem (quae facile est fame peior) producere solet. Ut autem perspicuitas semper habeatur et confusio evitetur, quam maxime deserviunt regulae sequentes. 1° Habeantur duo libri, scilicet liber textus in schola adhibitus, et liber adnotationum scribendarum. 2° Liber textus maneat semper norma fundamentalis, et omnia in ipso contenta optime (et fere memoriter) sciantur; unde bene est si, v. g., singulis annis vel bienniis, a principio usque ad finem percurratur. 3. Alii libri, agentes de theologia morali universa, ordinarie expedit ut legantur solum causa consultationis, quando scilicet liber textus vel non sufficeret ad solvendum aliquem casum qui practice acciderit, vel in aliquibus punctis a veritate recedere videretur. 4° Quando sive ex lectione alterius libri, sive ex novis legibus vel decretis, sive ex qualibet alia occasione, aliquae correctiones, vel additiones faciendae sint, hae scribantur in libro adnotationum cum numero progressivo; et in libro textus suo loco fiat postilla cum praedicti numeri indicatione. Hae tamen correctiones vel additiones debent esse vere momentosae; secus enim ipsae quoque confusionem ingererent.

Denique studium debet esse *cautum.* Cautelae principales sunt sequentes. 1° Utendum est auctoribus probatis, qui scilicet approbationem et favorem universalem obtinuerint; non enim omnes libri sanam et tutam doctrinam continent; nec (quoad modernos) de commendationibus publicarum ephemeridum nimis fidendum est. 2° Advertendum quod in auctoribus antiquis (etsi probatis) non raro adsunt doctrinae, quae (sive propter novas leges et nova decreta, sive propter ipsum scientiae progressum) iam amplius valere nequeunt; unde, pro securitate, moderni quoque (si, ut dixi, sint probati) legendi sunt. 3° Interdum (et speciatim si casus spectet ad tractatum de iustitia et iure) habenda est etiam ratio nationis, seu loci, ubi auctor scripsit; auctores enim iuxta leges et consuetudines locales scribere solent. 4° Non semper reiicienda est doctrina alterius auctoris probati, eo quod a propriis ideis et opinionibus (ut vulgo dicitur) desponsatis, aut etiam a libro textus, aliena sit; in rebus moralibus enim plurima sunt disputabilia, et quod uni improbabile vel falsum videtur, aliis probabilissimum aut verissimum videri et tale reapse esse potest. Tranquillo itaque et non praeoccupato animo fundamenta sive ex auctoritate sive ex ratione desumpta considerari debent.

CAPUT IV.

DE LEGIBUS.

Per summa capita agendum est de legis 1. essentia; 2. variis speciebus; 3. auctore; 4. promulgatione; 5. validitate; 6. de consuetudine vim legis habente; 7. de legis interpretatione; 8. effectibus; 9. subiecto; 10. adimpletione; 11. de causis excusantibus vel eximentibus; 12. de dispensatione et privilegio; 13. de legis cessatione.

ARTICULUS I.

DE LEGIS ESSENTIA SEU DEFINITIONE, DIVISIONIBUS ET DISTINCTIONIBUS.

1567. *Quid est lex?* Lex generalissime accepta definiri potest: — Constitutio ad regendam societatem ab eius rectore facta et de se perpetuitatem habens —. Dixi *generalissime accepta;* loquendo enim de lege, quae vim habeat in conscientia, oporteret ut rector ipse veram haberet condendi leges auctoritatem, atque insuper ut lex esset iusta, et notificata. Hoc sensu autem definiri solet: — Principis iussum auctoritativum, commune, perpetuum, et (prout de iure) promulgatum —.

1568. *Quaenam sunt principalissimae legis divisiones?* Lex potest esse 1° *obligans*, vel *permittens* (seu ius dans); 2° *absoluta*, vel *conditionata* (seu hypothetica); 3° *affirmativa*, (seu praeceptiva, seu obligans ad agendum), vel *negativa* (seu prohibitiva, seu obligans ad abstinendum). Multae aliae divisiones opportunius indicabuntur infra.

1569. *Lex in quo distinguitur a praecepto, a iure, et ab ordinatione transitoria?*

I.° Distinguitur a praecepto, quia praeceptum non subditos omnes vel aliquem caetum in universali, sed solum particulares individuos respicit.

II.° Distinguitur a iure, quia dum dicimus *ius divinum, ius humanum etc.*, non unicam legem, sed leges omnes ad illud genus pertinentes, intelligimus.

III.° Distinguitur ab ordinatione transitoria, quia, dum lex perpetuitatem de se habet, ordinatio transitoria fit solum ad tempus, vel pro aliqua re casu hic et nunc contingente. Caeterum (seclusa perpetuitate) effectus sunt iidem, et proinde haec distinctio negligi potest.

ARTICULUS II.

DE VARIIS LEGUM SPECIEBUS NOTIONES GENERALISSIMAE.

1570. *Quaenam sunt principales legum species?* Principales, imo principalissimae, legum species sunt duae, nempe lex divina et lex humana.

Quatenus autem leges divinae et humanae respiciunt obligationes et iura sive Principum erga subditos sive societatis erga aliam societatem (v g., societatis civilis erga ecclesiasticam vel unius rationis erga aliam), constituitur *ius publicum*, cuius veluti partes sunt *ius internationale*, et *ius gentium*. Sed de his in hoc compendio agere non oportet.

PUNCTUM I.

De lege divina.

1571. *Qualis est lex divina?* Est quae Deum immediate auctorem habet.

1572. *Quotuplex est lex divina?* Duplex, scilicet naturalis et positiva.

1573. *Qualis est lex naturalis?* Est quae respicit ordinem a natura humana servandum, et solo lumine rationis, seu conscientiae tranquillitate vel remorsu naturali, cognoscitur.

1574. *Qualis est lex divina positiva?* Est quae per revelationem supernaturalem a Deo ipso immediate hominibus imposita fuit.

1575. *Lex divina positiva habetne subdivisiones?* Subdividitur in veteris et novi testamenti; atque insuper in mere et non mere positivam.

1576. *Qualis est lex divina veteris testamenti?* Haec consistit praecipue in decalogo et in lege mosaica.

1577. *Qualis est lex divina novi testamenti seu evangelica?* Haec consistit in mandatis D. N. I. Christi, de quibus constat ex Scriptura et traditione. Talia sunt praecipue 1. quae spectant ad fidem; 2. mandata circa sacramenta et sacrificium eucharisticum; 3. confirmatio decalogi; 4. abrogatio legis mosaicae, quoad praecepta coeremonialia; 5. prohibitio repudii et polygamiae simultaneae; 6. mandatum obediendi Ecclesiae.

1578. *Leges, quae latae fuerunt ab Apostolis, suntne divinae?* Negative (etsi in sacris litteris inveniantur); illae enim

non a Deo immediate, sed ab Apostolis, latae fuerunt. Huiusmodi est, v. g., lex de bigamis non ordinandis.

1579. *Quaenam sunt leges divinae mere positivae?* Sunt quae ponunt obligationes iure naturae nullo modo existentes, prout sunt quae respiciunt Sacramenta.

1580. *Quaenam sunt leges divinae non mere positivae?* Sunt quae confirmant ius naturale (prout est Decalogum), aut determinant tempus quod iure naturae non est determinatum (prout fuit lex de sanctificatione *Sabbathi*): aut maximam convenientiam naturalem ad strictam obligationem evehunt (prout abolitio repudii et polygamiae).

PUNCTUM II.

De lege humana.

1581. *Qualis est lex humana?* Est quae, etsi remote et mediate sit a Deo, tamen proxime et immediate est ab homine, atque a societatis rectore fertur.

1582. *Quales sunt principales legis humanae divisiones?* Lex humana potest esse 1. ecclesiastica; 2. civilis; 3. scripta; 4. traditionalis; 5. consuetudinaria; 6. mere moralis (nempe obligans sine poena); 7. mere poenalis (nempe statuens poenam, quin curet de obliganda conscientia); 8. mixta (scilicet obligans ad culpam simulque ferens poenam); 9. inhabilitans, vel irritans, vel rescindibilitatem concedens; 10. ipso facto vel solum post iudicis sententiam obligans, vetans, puniens, irritans etc.; 11. territorialis; 12. personalis (scilicet obligans subditos etiam extra territorium); 13. generalis; 14. particularis (scilicet non totum territorium, aut non omnes subditos, sed partem dumtaxat, afficiens).

§ I.

De lege ecclesiastica.

1583. *Qualis est lex ecclesiastica?* Est quae ad Ecclesiae regimen ab iis, qui in eadem potestate legislativa gaudent, fertur. Complexus legum ecclesiasticarum ius canonicum dicitur.

1584. *Quomodo dividitur ius canonicum?* Dividitur imprimis in *commune* et *particulare*. Primum totam ecclesiam; secundum Regnum, aut provinciam, aut dioecesim dumtaxat, respicit,

1585. *Ius commune subiiciturne subdivisionibus?* Affirmative; subdividitur enim in *corpus iuris*; et *ius novissimum.*

1586. *Quid est corpus iuris?* Hoc constat collectionibus antiquis legum, quae a Conciliis et Romanis Pontificibus editae fuerunt usque ad annum 1484. Collectiones istae appellantur Decretales, Sextus, Clementinae, et Extravagantes. Omnimoda authenticitate gaudent, et (praescindendo a contrariis legitimis consuetudinibus vel derogationibus) obligant. In corpore iuris adest etiam collectio, quae dicitur Decretum Gratiani; sed illa tamquam authentica et obligatoria nunquam ab Ecclesia proposita fuit; unde quae in Decreto referuntur vim habent solum quatenus 1. authentica reperiantur; 2. ab habente auctoritate leges universales ferendi lata fuerint.

1587. *Quid est ius novissimum?* Hoc constat aliis legibus, quae post annum 1484 sive a Conciliis generalibus, sive a RR. Pontificibus (per Bullas, Brevia, Decreta, Rescripta ad instar decretorum etc.), ad nostra usque tempora latae fuerunt.

§ II.

De lege civili.

1588. *Qualis est lex civilis?* Est quae ad civilis societatis regimen ab eius rectore fertur.

1589. *Quomodo dividitur ius civile?* Dividitur in ius commune, codicem nationalem, et iura particularia.

1590. *Quid est ius commune civile?* Est ius Romanum, seu corpus iuris civilis a Iustiniano editum. Dicitur commune, quia non ita pridem fere omnium nationum codex erat: et nunc quoque, quatenus perfectissimus legis naturalis interpres et veluti *ratio scripta*, particularium codicum non solum basis, sed etiam supplementum (si quae ex illis decidi nequeant) esse solet.

1591. *Quid est codex nationalis?* Est collectio legum Principis auctoritate pro suo regno promulgata. Codices solent esse plures, scilicet civilis, poenalis, commercii etc.

1592. *Quid sunt iura particularia?* Sunt statuta municipalia, consuetudines locales etc.

ARTICULUS III.

DE AUCTORE LEGUM HUMANARUM, SEU DE IIS QUI VALIDE LEGISLATORES ESSE POSSUNT.

1593. *In societate humana facultas legislativa apud quemnam residet?* Distinguendum est inter societatem independentem, et dependentem. Quoad societatem independentem (cui scilicet leges statuere ab auctoritate sive externa sive interna vetitum non fuerit) facultas legislativa est apud societatem ipsam; quae, sive consuetudinibus universaliter probatis, sive in comitiis, suas leges sibi constituere posset. Quoad societatem dependentem (quae scilicet habet Rectorem sive impositum ab auctoritate externa, sive libere electum, sive utcumque acceptandum et recognoscendum) facultas legislativa apud eundem Rectorem residet. Et notandum quod, praeter Rectorem supremum, alii quoque Rectores inferiores, eadem leges ferendi auctoritate plus vel minus praediti, adesse possunt.

1594. *Quinam sunt legislatores supremi?*

Pro Ecclesia est Summus Pontifex, qui, sive generales pro tota Ecclesia, sive particulares (pro hoc vel illo loco aut coetu) leges condere potest. Sede vacante supremum Ecclesiae regimen spectat ad Collegium Cardinalium; sed ipsi novas leges (nisi modo provisorio ad avertenda magna pericula hic et nunc ingruentia) condere non possunt. *Vecchiotti* (*I.* § 38).

Pro societate civili, quisnam sit legislator supremus, patebit ex constitutione societatis ipsius. Ordinarie est Rex, seu Imperator etc. Attamen legislatores civiles non ita supremi dicendi sunt, ut eorundem leges ab Ecclesia quoad conscientiam corrigi nequeant.

1595. *Quid de Principe usurpatore?* Usurpatoris leges (si iustae sint) validae sunt. Validitas autem non ab usurpatione, sed ex iure societatis (quae regiminis necessitatem habet) atque ex tacito legitimi Principis consensu, provenit. Id tamen contingit non quando usurpator est adhuc in actuali aggressione, sed quando in possessione iam satis pacifica versatur.

1596. *Suntne faciendae distinctiones quoad legislatores inferiores?* Affirmative. Legislator inferior enim potest esse *ordinarius* (quatenus nempe auctoritas leges ferendi includatur in officio suo), aut *delegatus*.

1597. *Legislator inferior essetne subordinatus supremo, quamvis esset ordinarius?* Affirmative; et haec subordinatio

contingere potest quoad leges, tum factas, tum faciendas. Quoad factas, Legislator supremus potest (intellige iustis de causis) eas corrigere vel abrogare. Quoad faciendas, inferior contra leges legislatoris supremi nihil decernere potest. Reservationibus insuper et conditionibus (si quas ille statuerit) parere debebit. Exemplum habes in conditione (quae interdum apponitur) revisionis vel confirmationis prius obtinendae.

1598. *Quid notandum circa confirmationem?* Confirmatio (quae etiam aliquando non ex necessitate, sed sponte postulatur) naturam legis interdum mutare potest; quatenus lex ipsa, quae prius erat legislatoris inferioris, iam evadat legislatoris supremi; quod si accideret, lex remaneret quidem particularis, sed ab inferiore abrogari nequiret. Ut tamen hoc verificetur, oportet ut clare pateat quod legislator supremus legem illam facere suam atque irrevocabilem reddere vere intenderit, ut puta, si dixisset: — Quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit —; vel si dixisset: — Ex certa scientia et motu proprio —. Confirmatio huiusmodi dicitur non in forma communi sed in forma specifica.

1599. *Quinam sunt legislatores inferiores, seu subordonati, seu utcumque non supremi, in Ecclesia?* Sensu infra explicando sunt 1. Concilium aecumenicum; 2. Sacrae congregationes romanae; 3. Episcopi et synodi dioecesanae; 4. Capitulum, sede vacante, et vicarii capitulares; 5. Concilia provincialia; 6. Capitulum generale ordinum religiosorum, eorumque supremi praesules.

1600. *Quid de concilio aecumenico?* Concilium aecumenicum in tantum dici potest subordinatum, in quantum eius leges indigent confirmatione Summi Pontificis; sine qua non valent.

1601. *Quid de Sacris Congregationibus Romanis?* Hae sunt Congregationes Sanctae Universalis Inquisitionis, Indicis, Concilii, Episcoporum et Regularium, Regularis disciplinae, Propagandae Fidei, Immunitatis, Rituum etc. Quamvis autem hae congregationes ut plurimum exposcere debeant confirmationem Summi Pontificis, tamen decreta etiam generalia (quae verae leges sunt) condere possunt et interdum reapse condunt. Quod autem dicta confirmatio necessaria sit, pro praxi quoad subditos nihil refert; quando enim aliqua S. Congregatio iubet, prohibet etc., obedire oportet; pro certo enim tenendum est quod legitime processit; atque adeo approbationem pontificiam, si exigebatur, obtinuit; sive in decreto id expresserit, sive non.

1602 *Quid de Episcopis et Synodis dioecesanis?* Episcopus

potest certe (attamen solum post captam realem propriae ecclesiae possessionem) iure ordinario pro dioecesi sua condere leges absque ulla necessitate revisionis vel confirmationis S. Sedis. Has leges autem condere potest non solum in synodo, sed etiam extra synodum. Equidem aliqui dicunt quod leges episcopi extra synodum non sunt verae leges, sed solum praecepta, generalia quidem, sed non perpetua; ita ut scilicet morte illius cessent. At vero opinio ista, meo sensu, quovis serio fundamento caret, et probabilis non est. Episcopus tamen (sive de synodalibus, sive de extra-synodalibus legibus agatur) Canonicorum consilium (nisi forte consuetudo legitime praescripta in contrarium adesset) exposcere debet. Illud tamen sequi non tenetur; sicut etiam in synodo contra cleri sententiam legem ferre posset. An autem interpellatio Capituli exigatur pro valido, an vero solum pro licito, non satis constare videtur.

1603. *Quid de Capitulo, sede vacante, et de vicariis capitularibus?* Hi quoque iure ordinario (quum in episcopi iurisdictionem succedant) possunt tum synodum dioecesanum convocare, tum quoque extra synodum condere leges, et quidem (etsi aliqui heic etiam contradicant) de se perpetuas, atque adveniente quoque novo episcopo, duraturas, nisi revocentur.

1604. *Quid de Concilio provinciali?* Concilium provinciale (non vero solus Metropolitanus) potest leges ferre pro provincia. Oportet tamen, ut decreta, ante promulgationem, non pro confirmatione sed pro simplici revisione ad S. C. Concilii mittantur; quae (si opus sit) illa moderari debet.

1605. *Quid de potestate legislativa quoad ordinum religiosorum capitulum generale et praesules?* Capitulum generale et praesules supremi certe hac auctoritate pollent. Quoad provinciales videndae sunt ordinis constitutiones. Singulorum autem monasteriorum praesules (scilicet Priores vel Priorissae) auctoritatem legislativam minime habent. Possunt solum ferre praecepta, quae, ipsis ab officio cessantibus, cessant.

1606. *Quales sunt vel esse possunt legislatores inferiores vel subordinati in societate civili?* Hoc ex uniuscuiusque status constitutione desumendum est. Videndum scilicet an adsint camerae legislativae deputatorum, et senatorum; et quid possint municipia etc.

ARTICULUS IV.

DE PROMULGATIONE LEGIS, ET DE TEMPORE QUO LEX EFFECTUM HABERE INCIPIT

1607. *Quid est promulgatio?* Est legis publicatio voluntate legislatoris peracta. Duo ergo exiguntur, scilicet 1. ut publicatio locum habeat; 2. ut ista de voluntate legislatoris peragatur.

1608. *Promulgatio estne semper quid distinctum ab ipsa lege, ita ut semper lex prius fiat, et postea promulgetur?* Videtur negandum; in lege naturali enim, in legibus divinis positivis, et in legibus consuetudinariis (seu populorum moribus introductis) promulgatio unum et idem cum ipsis legibus esse videtur. In legibus humanis scriptis e contra promulgatio, ut plurimum, quid distinctum esse solet.

1609. *Leges humanae scriptae promulganturne semper eodem modo?* Negative. Modus promulgationis pendet a voluntate legislatoris. Potest esse 1. affixio in locis consuetis, sive in sola civitate capitali, sive insuper in aliis civitatibus, oppidis etc.; 2. Insertio in diario officiali; 3. Litterae encyclicae, vel quid simile; 4. Publicatio viva voce, coram multis peracta, v. g., in platea, in synodo, in congregatione generali etc.

1610. *Promulgatio distinguiturne a divulgatione?* Affirmative; lex enim potest esse promulgata (v. g., in locis consuetis affixa) et non adhuc divulgata.

1611. *Promulgatio distinguiturne a notitia?* Affirmative. Hic vel ille individuus, v. g., potest non habere notitiam legis, quamvis fuerit promulgata. Insuper potest quis habere notitiam legis iam conditae, quae adhuc promulgata non sit. Denique in loco potest adesse notitia, etiam publica, legis, non pro illo loco, sed pro aliis locis promulgatae. Exemplum habes in decreto Tridentini circa invaliditatem matrimonii contracti sine parocho et testibus, quod non ubique promulgatum est.

1612. *Promulgatio estne essentialis, ita ut lex humana scripta sine promulgatione valida esse nequeat?* Affirmant communissime. At vero hoc recto sensu et cum mica salis intelligi debet. De essentia enim est solum quod legislator velit publicationem; quod scilicet legem fecerit et subscripserit, non iam ad eam recondendam et occultam tenendam, bene vero ex intentione et praevisione publicationis subsecuturae. Unde de essentia non est quod affigatur, vel in publico diario inseratur,

vel litteris encyclicis aut praeconis voce publicetur etc.; publicatio enim, etiam sine his mediis, accidere et intendi potest. Vide Acta S. Sedis (*X.* 495).

1613. *Qualis est modus hodie consuetus circa legum promulgationes?*

Leges civiles, apud nos, promulgantur ope insertionis in diario officiali.

Leges ecclesiasticae S. Sedis non amplius (sicut olim) promulgari solent ope affixionis ad valvas etc.; bene vero, si sint leges novae, aut decreta generalia de rebus valde momentosis, mittuntur ad episcopos; si vero essent decreta declarativa, quorum notitia non adeo urgeat, tunc facile satis habetur ut subscribantur, et unusquisque possit illa aliis notificare, typis publicare etc.

Leges autem episcopales, interdum in synodo, interdum per edicta in consuetis locis affixa, interdum per litteras encyclicas ad vicarios foraneos missas etc., promulgantur.

1614. *Promulgatione facta, incipitne lex habere effectum statim?* Distinguendum est inter legem confirmativam vel declarativam iuris divini, sive naturalis, sive positivi (sive quoad fidem sive quoad mores); et legem mere humanam. In primo casu lex statim et sine ulla dilatione effectum suum producit; ageretur enim de lege divina, quae obligat unumquemque statim, ac quovis modo in illius notitiam devenerit. Idem dic si talis promulgatio modo consueto fieri non potuisset, ut puta, si, obstante principe saeculari, Pontifex litteras encyclicas mittere nequivisset ad episcopos, qui tamen aliis mediis declarationis vel definitionis factae notitiam certam habuissent. In secundo casu autem decisio pendet a voluntate legislatoris; qui intendere potest ut non statim, sed solum post tale vel tale tempus post promulgationem, lex effectus suos producat.

1615. *Quales sunt huiusmodi effectus?* Sunt, aut possunt esse, sequentes: 1. Constituere regulam et basim sententiarum pro tribunalibus; 2. Ligare conscientiam, aut (pro iis qui legem iam perfecte promulgatam adhuc ignorant) peccatum materiale inducere; 3. Actus invalidare, aut iurisdictionem tribuere vel auferre etc.

1616. *Quomodo cognoscitur, qualis fuerit voluntas legislatoris, quoad tempus, in quo lex promulgata vigorem habere incipere debeat?*

I. Observandum an ex consuetudine, aut ex verbis in ipsa lege contentis, aut ex decreto generali antecedenti, aut ex

concordatis, res ista determinetur. Sic, v g., in codice italico dilatio est quindecim dierum, et in iure romano erat duorum mensium.

II. Deficiente determinatione praedicta, a modo ipso promulgationis coniectura sumi debet. Si modus promulgationis magnam et valde diffusam per se ipsum publicationem implicaret; tunc lex statim aut quasi statim effectum haberet. Ita esset si promulgatio in singulis civitatibus, oppidis, et parvis pagis, aut per litteras encyclicas, perageretur; illis enim acceptis, statim lex obligaret, nisi in ipsis disponeretur aliter, v. g., ut prius per edictum vel quid simile sive populus sive clerus monendus esset etc. Si e contra modus promulgationis valde restrictam pro statim publicationem involveret, ut puta, si in sola civitate capitali (a qua subditi plurimi valde distent) lex promulgaretur; tunc crederem quod lex vigorem habitura esset non statim ubique eodem tempore; sed pedetentim et varie pro variis locis; scilicet, iuxta modum diffusionis famae, prius in locis capitali vicinioribus, et serius in aliis.

III. Leges Episcopi censentur habere effectum pro universa Dioecesi statim, aut quasi statim postquam in civitate episcopali promulgatae fuerint.

1617. *Daturne casus, in quo lex promulgata fuerit, atque insuper tempus, ut supra, praeterierit; ut nihilominus eius effectus suspensus maneat?* Affirmative; si nempe in aliquo loco particulari ex una parte lex generalis etiam personis prudentibus videretur non opportuna, aut improvida, aut noxia (etsi hoc non esset certum), et ex alia episcopus vel primates ad legislatorem haberent recursum. Eo pendente, lex ipsa tamquam suspensa considerari posset. *Cf. Bened. XIV.* (*De Syn. IX.* VIII).

ARTICULUS V.

DE LEGIS VALIDITATE

1618. *Quid exigitur ut lex sit valida?* Exigitur 1. ut emanaverit a legislatore legitimo, aut qui pro legitimo haberi debeat (iuxta dicta *n.* 1595); 2 ut promulgata fuerit, prout mox supra dicebam; 3. ut sit iusta; et hoc remanet explicandum.

1619. *Quo sensu lex debet esse iusta?* Debet 1°, si praecipiat, praecipere iusta; 2° disponere iuste.

1620. *Quid de prima qualitate, quod scilicet lex praecipere debeat iusta?* 1. Nemo potest valide praecipere iniqua, seu

illicita, donec talia maneant; nisi scilicet in potestate legislatoris esset reddere licitum quod alias illicitum, prout in expropriatione coacta ob publicam necessitatem; 2 Aliud est praecipere, aliud vero tolerare iniqua; interdum enim valide condi possunt leges de aliquo malo (v. g., cultu falso, meretricio etc.) tolerando, ne peiora mala sequantur.

1621. *Quid de secunda qualitate, quod scilicet lex debeat disponere iuste?* Oportet ut legislator limites propriae auctoritatis non excedat; secus enim, auctoritate deficiente, eius dispositiones, per se et pro parte excedente, invalidae essent.

1622. *Quibus in casibus auctoritatis excessus contingeret?*

I. Si lex extenderetur ad non subditos, vel ad exemptos. Excipe nisi auctoritate delegata legislator ad eos quoque legem extendere posset.

II. Si, vetante lege superioris ordinis, aliquid disponeretur; ut puta, si validitati alicuius legis civilis leges ecclesiasticae obstarent.

III. Si lex necessaria aut saltem valde utilis non esset; si nempe in commune bonum non redundaret, vel bonum istud esset nimis leve seu gravamini universae societati imposito non proportionatum; maxime vero si lex ipsa potius in destructionem quam in aedificationem esset. Hinc leges, quae ex una parte valde durae, aut quomodolibet (habito respectu ad communem hominum fragilitatem et conditiones locorum ac temporum) nimiis trasgressionibus expositae forent, et ex alia gravissima necessitate non legitimarentur, validae esse nequirent.

IV. Si onera ultra necessitatem augerentur, aut, aequitate non servata, distribuerentur; aut (seclusa iusta causa) subditorum parti dumtaxat, aliis immunibus remanentibus, imponerentur.

1623. *Cur dixisti quod leges auctoritatis limites excedentes sunt invalidae per se, et pro parte excedente?* Dixi *per se*, quia legibus etiam certe invalidis (dummodo non praecipiant illicita) non raro parendum est in conscientia; saepe enim ex inobedientia scandalum pusillorum, perturbationes, aut alia mala provocarentur; unde lex altioris ordinis tunc quoque obedientiam facile exigere potest. Dixi *pro parte excedente;* solum enim relate ad illam lex iniusta esset, unde bene contingere potest quod leges (sive ex hoc sive ex alio capite) partim iustae et partim iniustae, et proinde partim validae et partim invalidae sint.

1624. *Quid in dubio de iustitia legis? Tenenturne subditi*

obedire, quamvis dubitent an legislator propriae auctoritatis limites excesserit, vel etiam an res praecepta licita sit?

R. Ordinarie obedire tenentur; regula scilicet ordinaria est ut subditi obedire debeant, nisi evidenter constet rem praeceptam esse illicitam, et nefas esse obedire. Rationes sunt duae. Prima est quia in dubio ordinarie praesumptio superiori favet, et dubia sunt temeraria. Superiores enim multo plura cognoscunt quam subditi, et iustissimas habere possunt rationes, quas subditi ipsi nullatenus vel non sufficienter cognoscant. Adde quod, si agatur de lege recenti et paulo onerosiori, defectus maturi consilii et passiones hallucinationibus locum dare atque ad falsissima iudicia subditos pertrahere valent. Secunda est quia ex subditorum inobedientia et reluctantia ut plurimum mala nimis gravia et valde praeponderantia secutura essent.

Dixi subditos obedire debere *ordinarie;* interdum enim (intellige nisi agatur de legibus pontificiis) dari possunt casus, in quibus praesumptio legislatori non faveat, et dubia (de legis iniustitia) fundatissima et prudentissima sint. Legislator, v. g., iam aliis vicibus (sive ex imprudentia sive ex malitia) leges manifeste iniquas fecit; de iustitia autem legis praesentis primates quoque et viri docti, probi, atque prudentes graviter dubitant, imo multi de illius iniustitia manifesta persuasi sunt. Contingere potest etiam quod casus in aliis occasionibus iam fuerit valde discussus, et apud ipsos theologos et iuris publici doctores vertatur in dubium, utrum potestas legislativa ad rem illam extendi possit etc. Hinc scripsit Lugo (*De Iust. XXXVI.* VI. 89): « Praesumptionem pro principe et pro lege magnam « quidem esse; quando tamen non sunt circumstantiae, quae « praesumptionem illam magna ex parte extenuent ». Quatenus autem praesumptio legislatori non faveat; tunc videndum erit ne forte ad evitanda mala maiora, nihilominus obediendum sit. Si, iudicio prudentum, ne hoc quidem verificaretur: tunc subditi vere liberi remanerent: speciatim si obedientia nimis gravosa esset, maxime vero si in damnum religionis, vel in ruinam societatis omnino redundare videretur, aut si valde timendum esset, ne res exequenda reapse magnum delictum foret, ad quod exequendum subditorum opera Princeps uti intenderet. Hinc scripsit S. Lig. (*Hom. Ap. I.* 18): « Limitationem hanc habet haec « doctrina obediendi praeceptis dubie iustis, quoties periculum « gravis damni spiritualis aut temporalis secum coniungeret, « aut si res praecepta esset etiam probabiliter illicita, et una « simul esset valde molesta et difficilis ».

ARTICULUS VI.

DE CONSUETUDINE QUAE LEGEM FACIT.

1625. *Quid est consuetudo?* Consuetudo generalissime accepta est frequentia actuum moralium.

1626. *Consuetudo, quae legem facit, quomodo distinguitur ab aliis consuetudinibus?* Ad hoc intelligendum, notari debet imprimis quod dantur consuetudines privatae et publicae. *Privatae* consistunt in frequentia actuum moralium in privatis personis, aut familiis. *Publicae* vero consistunt in actibus publicis et communibus, v. g., nationis, civitatis, oppidi, paroeciae etc.; quae (secus ac unica familia vel pauci individui) societates perfectae dicuntur. Consuetudines publicae autem aliae sunt facti, et aliae iuris. *Consuetudo facti* consistit in actibus, qui vi propria nunquam vel non adhuc legem efformarunt; et vel sunt mere facultativi (ut consuetudo recitandi *Angelus*), vel sunt praecepti a lege praeexistente sive scripta sive viva voce expressa et traditionaliter conservata, prout sunt consuetudines omnes quae appellari solent *secundum ius*, et cum ipsa legis observantia confunduntur. *Consuetudo iuris* autem (quae etiam *ius non scriptum* appellatur) provenit ab actibus, qui veram legis efficaciam habuerunt; quod tribus modis contingere potest. Primus est si dicti actus legem praeexistentem abrogaverint (quo casu consuetudo dicitur *contra ius*). Secundus, si iidem actus legem praeexistentem auctoritative interpretaverint (quo casu etiam consuetudo *secundum ius* dici solet). Tertius est si ipsi actus novam legem simpliciter introduxerint, quo casu consuetudo *praeter ius* appellatur; et haec est quae proprie legem facit, et valde (uti patet) ab aliis praedictis distinguitur.

1627. *Consuetudo quae legem facit quomodo definitur?* Definitur: — Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex —. Explicatius definiri potest: — Frequentia actuum publicorum societatis, qui a legibus praeexistentibus neque prohibiti neque praecepti sint, et non solum sint laudabiles et materiae legis capaces, verum etiam de facto tamquam obligatorii absque ulla controversia habeantur —.

1628. *Consuetudines huiusmodi suntne omnes eiusdem speciei?* Negative; sed pluribus distinctionibus subiiciuntur. 1. Ratione effectus, aliae sunt *praeceptivae*, aliae *prohibitivae*, aliae *poenales*, aliae *irritantes*. 2. Ratione diversarum societa-

tum, aliae sunt *ecclesiasticae*, aliae *civiles*, aliae *internationales*. 3. Ratione extensionis, aliae sunt *generales* (v. g., pro tota Ecclesia, pro toto Regno, pro toto Ordine Religioso); et aliae *particulares* (v. g., pro particulari Dioecesi, vel Paroecia, vel Oppido, vel Monasterio); item aliae sunt *communes* cuilibet coetui, et aliae *restrictae ad aliquem coetum* (v. g., ad solos clericos, ad solos laicos, ad solos mercatores etc.). Denique ratione antiquitatis, aliae sunt *immemorabiles*, aliae *centenariae*, aliae *quadragenariae*, aliae *decennales* etc.

1629. *Quaenam sunt requisita necessaria, ut consuetudo vim legis habeat, veramque obligationem inducat?* Debet esse 1. rationabilis; 2. praescripta aut sufficienter probata; 3. in societate perfecta; 4. libere et non ex errore introducta. Sed haec sunt explicanda.

1630. *Quid significat quod consuetudo debet esse rationabilis?* Oportet non solum ut actus, qui consuetudinem efformant, sint liciti et laudabiles in se; sed etiam ut consuetudo ipsa, praecise quatenus obligatoria, ad commune bonum redundet: expediat scilicet ut de ea re obligatio subsistat; id enim ad cuiuslibet legis validitatem (iuxta dicta *n.* 1622. III.) semper necessarium est.

1631. *Quandonam consuetudo tamquam praescripta, aut sufficienter probata haberi debebit?* Notanda est imprimis differentia inter consuetudinem praescriptam, et consuetudinem non praescriptam sed sufficienter probatam. Prima contingit quando toto tempore, quod *per legem antecedentem et generalem scriptam* declaratum fuit sufficiens ad obligationem constituendam, populus demonstravit suam voluntatem se se obligandi. Huiusmodi autem tempus de iure communi canonico et civili est tempus longaevum, quod interpretatur decennium (Suarez *VII.* XV. 5). Secunda vero contingit quando, etsi decennium non adhuc completum fuerit, tamen sine ulla dubitatione pateat quod obligatio iam subsistat. Et haec quoque consuetudo non praescripta, sed sufficienter probata, ad constituendam veram legem sufficit (Suarez *l. c.* 8). Difficultas est in determinandis signis, ex quibus manifeste pateat quod populus demonstraverit suam voluntatem sese obligandi, et quod obligatio sine dubio iam subsistat. Huiusmodi signa, sive cumulative sive etiam seiunctim, sunt sequentia: 1. Si populus de inobservantia communiter scandalizetur, quatenus iam universalis et firma persuasio sit quod transgressiones verum peccatum constituant. 2. Si Praelati transgressores corrigere soleant. 3. Si in publicis tribunalibus

consuetudo tamquam vera lex consideretur, et transgressores poenis mulctentur. 4. Si ex inobservantia tales orirentur inordinationes et perturbationes, quae ipso iure naturali evitari deberent. 5. Si consuetudo non solum ab omnibus et iam inde a longo tempore constanter servata fuerit, sed etiam ad commune bonum non quovis modo sed valde conferat et veluti necessaria videatur; tunc enim praesumendum est, populi voluntatem esse ut ex obligatione continuetur; maxime vero si esset in materia satis onerosa, ita ut simplex consilium, ad obtinendam universalem et constantem observantiam, non sufficeret. 6. Si Princeps expressa lege iusserit consuetudinem esse servandam.

1632. *Cur consuetudo, ut vim legis habeat, debet esse in societate perfecta?* Quia solae societates perfectae (quales, ut dixi, sunt civitates, oppidi, paroeciae; non vero simplices familiae) legem recipiendi capaces sunt.

1633. *Quid de consuetudine ex errore introducta?* Si populus introduxisset consuetudinem ex errore substantiali (credendo, v. g., se teneri ex lege aut voto, dum reapse lex non subsisteret aut votum cessasset); tunc consuetudo ipsa, nonnisi per accidens (nempe ratione conscientiae erroneae, vel ad scandalum vitandum) obligare posset. Quod tamen consuetudo ex errore provenerit, non praesumitur nisi probetur.

1634. *Quibus de causis consuetudines vim legis habere possunt?* Distinguendum est imprimis inter societatem democraticam, in qua populus leges condit, et societatem monarchicam vel aristocraticam, in qua potestas legislativa ad Principem vel Senatum spectat. In societate democratica, causa obligationis in consuetudinibus est voluntas populi (utique Deo auctoritatem legislativam, propter ordinis necessitatem, ei praebente); populus enim, sicut verbis (v. g., in plebiscitis), ita et factis (scilicet moribus et consuetudinibus) suam voluntatem demonstrare potest. In societate monarchica autem (vel aristocratica) causa obligationis in consuetudinibus adhuc esse potest ipsa voluntas populi, sed non simpliciter, bene vero solum quia Princeps (vel Senatus) non obstet seu permittat: sic enim ea in parte potestas legislativa (utique tunc subordinata et revocabilis) in populo ipso remanet. Sed ut plurimum superadditur alia causa, scilicet non permissio sola, bene vero imperium Principis consuetudinem servari iubentis. Imperium istud potest esse per legem generalem (quatenus inter leges Principis haec etiam adsit ut serventur omnia iura moribus

introducta); aut per legem specialem, quae talem vel talem consuetudinem servari praecipiat; aut denique per legem non expressam, sed tacitam et exercitam, scilicet per iudiciales sententias et poenas transgressoribus inflictas. Insuper causa obligationis interdum videtur esse ipsa lex naturalis, speciatim quoad consuetudines in mercatibus: quatenus scilicet populus talem vel talem agendi rationem ab initio ex sola convenientia (vel utcumque sine intentione se obligandi) introduxerit; postquam autem usus evaserit generalis et constans, iam necesse sit ut usus ipse tamquam conventio habeatur, et a quolibet (ne inordinationes, perturbationes et damna sequantur) inviolabiliter servetur. Concludendum est itaque quod causae obligationis in consuetudinibus possunt esse tres, scilicet 1. voluntas populi; 2. voluntas Principis; 3. lex naturalis.

ARTICULUS VII.

DE INTERPRETATIONE LEGIS.

PUNCTUM I.

Notiones generales.

1635. *Quid est interpretatio legis?* Est declaratio alicuius obscuritatis circa sensum legis, si nempe obscurum sit, v. g., an talis vel talis casus sub lege comprehendatur; an lex ipsa obliget sub gravi vel sub levi; an obliget ipso facto, an vero solum post sententiam iudicis etc. Dixi *circa sensum legis*, quia hic est casus ordinarius. Caeterum obscuritas circa legis ipsius substantiam versari posset; si nempe obscurum esset utrum de vera lege ageretur.

1636. *Quaenam sunt principales interpretationis distinctiones?* Interpretatio subit distinctiones imprimis ratione originis, et ratione efficaciae. Ratione originis, alia est *auctoritativa*, alia *consuetudinaria*, et alia *doctrinalis*. Ratione efficaciae autem, alia est *necessaria* et alia *probabilis*.

1637. *Qualis est interpretatio auctoritativa?* Est quae datur ab iis qui imperii vel magisterii auctoritate gaudent in casu; cuiusmodi sunt 1. Qui legem tulit: 2. Eius superior, cui praecise quoad leges sit subordinatus (ut Episcopus Pontifici, non vero ut Episcopus Archiepiscopo); 3. Eius successor; 4. Eo-

rundem vicegerentes, si hac interpretandi auctoritate sint praediti; ut Romanus Pontifex quoad leges divinas et Congregationes Romanae pro ambitu suarum facultatum. Haec dicitur etiam *interpretatio scripta*, aut *declaratio.*

1638. *Qualis est interpretatio consuetudinaria?* Est quae usu et consuetudine stabilitur, et dicitur etiam *usualis* aut non *scripta.* Huiusmodi autem usus vel consuetudo potest esse *popularis*, et *iudicialis.* Popularis contingit quando subditi universaliter et iam a longo tempore tali vel tali sensu legem intelligunt, vel tali vel tali modo illam esse servandam, sine ullo dubio censent. Iudicialis autem contingit quando in iudiciis non amplius dubitatur de sensu legis, sententiae sunt semper uniformes, et iam (ut aiunt) *iurisprudentiae tranquillitas* efformata fuit.

1639. *Qualis est interpretatio doctrinalis?* Haec (quae dicitur etiam *privata*) datur a viris doctis, v. g., theologis, canonistis, iurisperitis, publicistis, phylosophis etc.; et proinde non in auctoritate, sed in solo studio fundatur.

1640. *Explica nunc differentiam inter interpretationem necessariam et solum probabilem.* Necessaria (quae etiam *obligatoria* dicitur) est quae necessario acceptari debet; secus, solum probabilis erit.

1641. *Circa interpretationem necessariam estne aliquid aliud notandum?* Notanda sunt sequentia:

I. Interpretatio necessaria potest esse generalis, aut solum pro casu particulari.

II. Necessaria generalis esse potest non solum interpretatio auctoritativa et consuetudinaria, sed interdum etiam doctrinalis. Dixi *interdum*; hoc enim verum est solum quando verus legis sensus a Doctoribus ita clare et concludenter demonstratus fuerit, ut iam amplius nullum dubium superesse possit.

III. Interpretatio generalis, sive auctoritativa sit sive consuetudinaria, est ad modum legis, et potest esse *simplex*, et *non simplex.* Simplex (quae etiam *comprehensiva* dicitur) est quando mere declarat sensum legis, eo quod in eius verbis aliqua ambiguitas adfuerit. Non simplex est quando aliquam mutationem in lege ipsa inducit. Si legem restringat, dicitur *restrictiva;* et, si illam extendat, *extensiva* appellatur. Sic itaque interpretatio auctoritativa vel consuetudinaria potest esse triplex, scilicet 1. comprehensiva; 2. restrictiva; 3. extensiva. Restrictiva et extensiva est revera (in parte) lex nova; quae de se non habet effectum retroactivum; et solum quoad leges

humanas contingere potest. Comprehensiva autem (si certe solum talis sit) non est lex nova, eiusque auctor iure magisterii procedit; non vero iure legislationis, nisi quatenus introducit obligationem sic et non aliter legem interpretandi. Fieri potest etiam quoad leges divinas; atque semper habet effectum retroactivum; unde, si prius dubitabatur an talis vel talis actus esset validus, et si postea fieret declaratio de illius invaliditate (prout accidit in Bulla Sixti V quoad matrimonia eunuchorum), haec declaratio valeret etiam quoad actus ante illam celebratos. Dixi interpretationem comprehensivam non esse legem novam *si certe solum talis sit;* si enim non ab eo qui legem tulit, sed ab alio fiat, sensus a legis conditore intentus saepe incertus erit; et proinde tunc aliquid legis novae intervenire posset; quasi scilicet declarationis auctor diceret: — Quidquid sit de voluntate primi legislatoris, ego praecipio ut in posterum tali vel tali sensu lex observari debeat —. Quatenus autem declaratio sit vere obligatoria, tunc *decisiva* vel *authentica* dicitur.

IV. Interpretatio necessaria quidem, sed solum pro casu particulari, fit a iudice, vel utcumque ad modum sententiae: et proinde per se obligat solum personas, ad quas dirigitur. Exempla habes in decisionibus plurimis Sacrarum Congregationum, et speciatim S. C. Concilii.

PUNCTUM II.

De interpretatione doctrinali.

1642. *Quid notandum circa interpretationem doctrinalem?* Imprimis distinguendum est inter interpretationem iam factam ab aliis, et interpretationem adhuc faciendam.

1643. *Quid itaque notari debet circa interpretationem iam factam ab aliis?* Notanda sunt sequentia:

I. Non semper optimi interpretes sunt theologi. Interdum potius canonistae; et, si ageretur de legibus civilibus, potius iurisperiti meliores interpretes esse possunt. Iurisperiti tamen sensum quidem legis quoad tribunalia, sed non quoad conscientiam respiciunt; et proinde quaestiones, an tales vel tales leges possint dare ius in conscientia, vel an etiam ante iudicis sententiam obligationem inducant; hae, inquam, quaestiones a theologis resolvi debent.

II. De interpretationibus antiquioribus non semper fidendum. Interdum enim leges novae, decreta nova, studia nova magisque

accurata etc., efficiunt, ut interpretationes antiquae deserendae sint.

III. Interpretum omnium aut fere omnium concordia certitudinem ordinarie constituit. Dixi *ordinarie*; contingere enim potest (prout de facto interdum contingit) quod doctrina, etiam communissima, falsa reperiatur, eo quod omnes aut fere omnes, re non perpensa, reproduxerint doctrinam alicuius primi magnae auctoritatis, qui tamen illo in puncto erraverit. Donec tamen falsitas detecta non fuerit, doctorum concordia certitudinem moralem constituit.

1644. *Quaenam sunt regulae fundamentales circa interpretationem adhuc faciendam?* Argumentum istud in brevi compendio sufficienter evolvi nequit. Dico nihilominus quod regulae magis attendendae sunt sequentes:

Regula I. Si plures de eadem materia leges adsint, postrema speciatim, eiusque (quatenus locum habuerint) authenticas aut usuales interpretationes considerare oportet. Errant ergo v. g. qui, codice nationali minime considerato, ad ius romanum recurrunt, ut casus resolvant.

Regula II. Pars dispositiva a parte prooemiali, atque a dictis incidenter et per accidens, sedulo distingui debet. Attamen, si in parte dispositiva adesset aliqua obscuritas, prooemium non raro verum sensum indicare potest.

Regula III. Ad rectam interpretationem tria deserviunt, nempe 1. verba legis, 2. mens legislatoris, 3. natura legis.

Regula IV. Quoad verba legis, imprimis valor verborum, attentis omnibus circumstantiis (v. g., temporis et loci in quo lex condita fuit, et interdum etiam styli particularis), considerari debet, ne quid pro quo accipiatur. Deinde, si verba in se spectata haberent sensum naturalem, et habere possent etiam sensum improprium et minus usitatum, tunc sensus naturalis praeferri deberet improprio; nisi aliam fuisse mentem legislatoris rationibus vere sufficientibus arguendum esset.

Regula V. Quoad mentem legislatoris, imprimis semper excludi debent interpretationes, quae locum dant absurdis; ut puta, si lex (tali vel tali sensu illam intelligendo) evaderet iniusta, vel nimis dura; aut in praxi ad nihil vel fere nihil reduceretur; aut semper vel fere semper eludi posset, et sic inutilis evaderet; aut si talis vel talis interpretatio cum contextu non cohaereret et manifestis contradictionibus locum daret; aut denique si tali vel tali sensu intellecta a legibus praecedentibus discordaret, dum nulla ratio recedendi a iure pristino

appareret. In his itaque casibus, ad evitanda absurda atque inverisimilia, in sensu nedum nonnihil improprio, sed forte etiam valde improprio (intellige si necesse sit), verba legis ex mente legislatoris accipienda essent.

Regula VI. Quoad mentem legislatoris, observandum est insuper quod, ad illam detegendam atque adeo ad verborum sensum determinandum, ratio legis valde deservire solet. Ratio legis constituitur a motivis omnibus, quae legislatorem impulerunt ad legem ipsam condendam eiusque modum statuendum, et saepe non sunt solum illa quae forte in prooemio expressa fuerint. Haec autem legis ratio deservit speciatim 1. ad verborum ambiguorum sensum determinandum, atque etiam interdum ad accipienda verba in sensu plus vel minus improprio; 2. ad coniiciendum quaenam restrictiones seu exceptiones subintelligantur; 3. aliquando ad legem ipsam ultra sensum strictum verborum, vel ad alios casus identicos, extendendam. Circa restrictiones vel exceptiones (quae etiam *epickeiae* dicuntur) notandum quod aliquae leges difficile illas patiuntur; cuiusmodi sunt leges irritantes, aut illae in quibus valde necessarium est ut publica uniformitas servetur, ne scandalum sequatur. Circa extensionem legis ad alios casus, oportet imprimis ut in iisdem ratio adaequate seu perfecte eadem vigeat: nec sola similitudo aut identitas partialis sufficeret. Insuper principium de extendenda lege ad alios casus propter rationem identitatem (etiam adaequatam et perfectam) non est universale; unde aphorismus: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse iuris dispositio*, cum mica salis intelligendus est; quandoquidem *ratio legis non est lex*, et in multis casibus eadem prorsus, aut etiam fortior et longe maioris ponderis ratio vigere potest, quin tamen lex ad illos extendatur. Oportet itaque, ut, praeter rationis identitatem, alia concurrant adminicula, quae clare ostendant, legislatorem non iam ius particulare et tali vel tali modo praecise restrictum constituere intendisse; bene vero eius mentem fuisse ut ad alios casus identicos lex extenderetur. Idque accidere solet speciatim in sequentibus casibus: 1. Quando agitur de lege mere declarativa iuris naturalis, et hoc ad alios casus extendatur; 2. Quando ratio cogens suadet, quod legislator solum exemplificative aliqua indicaverit; quatenus secus vel stultus vel iniquus fuisset; 3. Quando lex ad modum quidem resolutionis casus particularis loquatur, sed pro norma generali publicata fuerit (cuiusmodi sunt leges innumerae insertae in corpore iuris); 4. Quando ex una parte magna adsit neces-

sitas ut lex tali vel tali modo extendatur; et ex alia extensionem istam verba satis patiantur; 5. *In contentis;* in iis scilicet, quae in re, de qua lex loquitur, continentur (unde, v. g., qui potest dispensare a votis, potest etiam illa commutare), aut sine quibus res ipsa commode subsistere non potest (unde v. g., concesso iure visitationis, conceditur etiam ius procurationis). Attamen argui nequiret a maiori ad minus, si hoc minus esset diversae speciei, et in illo maiori vere non contineretur; 6. *In aequiparatis* (prout essent, v. g., episcopus et vicarius capitularis quoad actus iurisdictionis; mandans et executor; legitimus et legitimatus, ova et lacticinia etc.); 7. *In correlativis* (prout essent, v. g., sponsus et sponsa, emptio et venditio etc.); 8. Denique *in connexis* (prout essent, v. g., celebrans et minister, ecclesia et coemeterium). Attamen, quoad aequiparata, correlativa et connexa, quod dicitur de uno intelligitur etiam de alio ordinarie quidem, sed non semper; non enim semper aequiparantur in omnibus: unde oportet quod (attenta ratione legis) differentia non obstet; et notandum quod in odiosis differentiae etiam non magni momenti obstare possunt; unde, v, g., si poena lata esset contra mandantem, haec ad executorem non extenderetur.

Regula VII. Odia restringi et favores ampliari convenit. Haec regula significat quod in dubio leges odiosae in sensu stricto, et leges favorabiles in sensu lato intelligi debent. Dixi *in dubio;* tunc enim dumtaxat regula valere potest, si videlicet neque ex verbis legis, neque ex mente legislatoris indiciis supra recensitis cognitâ, neque ex ullo alio capite, certitudo assequi valeat. Agitur enim de regula subsidiaria, quae solum post praedicta iuvare potest.

1645. *Quaelibet lex estne vel odiosa vel favorabilis? Et quomodo leges odiosae a legibus favorabilibus distinguuntur?* Non quaelibet lex est vel odiosa vel favorabilis, sed dantur etiam leges quae sub hoc respectu neutrae dici possunt. Ad distinguendum autem an lex tamquam odiosa vel favorabilis vel neutra haberi debeat, adest regula generalis, et plura in particulari indicari possunt.

1646. *Qualis est regula generalis ad distinguendum an lex tamquam odiosa, aut favorabilis, aut neutra haberi debeat?* Non ex eo quod, dum applicatur, sensum odii in subditis iniiciat, aut e contra ab iisdem tamquam favor accipiatur, semper concludi potest quod lex sit odiosa vel favorabilis; bene vero inspicere oportet rem istam principaliter a parte legislatoris;

quamvis enim ordinarie lex quae tamquam odiosa aut favorabilis habetur a subditis, tamquam talis habeatur, etiam a legislatore; tamen non semper est ita, sed potius aliquando contrarium verificatur. Regula itaque generalis est sequens: — Si agatur de re, in qua legislator specialem parsimoniam adhibere debeat, tunc lex erit odiosa. Si e contra in abundando periculum difficile adsit, et oporteat vel expediat vel deceat ut Princeps abundet, maxime vero si aperte constaret quod valde favere ei cordi fuerit; tunc favorabilis erit. Si denique nec pro parsimonia nec pro abundantia quidquam speciale conspiciatur; tunc erit neutra.

1647. *Quales sunt in particulari leges odiosae?* Sunt sequentes:

I. Leges poenales; non tamen omnes. Excipienda enim sunt delicta, in quibus oporteat vel expediat ut severissime procedatur; v. g., delictum laesae maiestatis, percussio clerici, et forsan etiam sollicitatio in confessione etc.

II. Leges de tributis.

III. Leges irritantes vel inhabilitantes, v. g., irregularitates, impedimenta matrimonii iuris ecclesiastici, et reservationes.

IV. Correctio legis praecedentis; unde si lex posterior ita interpretari possit, ut anteriori non deroget, id faciendum est; et, si duae adsint leges, quarum una, v. g., affirmet generaliter, altera vero (sive posterior sive etiam anterior) neget in casu particulari, supponendum est quod ambae subsistant, quatenus una sit regula, et alia sit exceptio.

V. Deviationes a iure communi; scilicet leges locales aut statuta particularia, quatenus a iure communi discordent.

VI. Ea omnia quae scandali, aut ecclesiasticae vel regularis disciplinae relaxationis periculum inducunt.

1648. Notari potest hic incidenter quod non solum leges, sed quaedam aliae dispositiones, censentur odiosae, et proinde strictae interpretationis. Huiusmodi sunt dispensationes particulares non stricte debitae; privilegia particularia ad instantiam concessa, et rescripta ad obtinenda beneficia ecclesiastica. Adde praescriptiones. Adde speciatim ea quae, nisi stricte intelligerentur, laesionem iuris tertii acquisiti inducerent.

1649. *Circa applicationem regulae de odiis restringendis estne aliquid aliud notandum?* Supposito semper quod ex mente legislatoris, vel ex dispositione iuris, vel ex aliqua alia certa ratione, non constet de contrario, haec regula locum habet 1. si verba sint vere ambigua (unde, v. g., verbum *populus*

in odiosis intelligeretur *excluso clero*); 2. si verbum habeat sensum naturalem et sensum civilem seu usu iuris aequiparatum (unde, v. g., verbum *resignatio beneficii* in odiosis *morti beneficiati* non aequivaleret). 3. Si lex loqueretur quidem generaliter vel indefinite, sed aliqua distinctio vel restrictio, etsi non presse necessaria, tamen, omnibus, inspectis, congrua videretur; unde principium *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* in odiosis saepe fallit. Caeterum regula de odiis restringendis non eo usque procedit, ut verba in sensu valde improprio, hac sola de causa accipi possint.

1650. *Quales sunt leges favorabiles?* Generatim sunt quae beneficii ita naturam habent, ut aut nihil odii contineant (eo quod nec subditos gravent, nec sint *contra* ius, leges vulnerando); aut, si quid odii mixtionem habeant, tamen necessitas, aut congruitas, aut voluntas large favendi, praevaleat. Veniendo autem ad particularia, leges favorabiles censentur esse sequentes:

I Leges quae facultates (v. g., absolvendi, dispensandi, privilegia concedendi) tribuunt; quatenus scilicet bono publico expediat ut personae talis vel talis coetus generaliter easdem facultates habeant. (Hinc, v. g., Episcopi, qui iure ordinario possunt dispensare ad ordines minores illegitimos, possunt non solum filios naturales, sed etiam spurios et adulterinos dispensare). Idem dic de facultatibus delegatis, si sint generales.

II. Privilegia generalia, quae pro bono publico, vel ex causa pia aut utcumque valde favorabili, iure ipso conceduntur. Huiusmodi sunt, v. g., privilegium fori (quoad clericos), privilegia Regularium, privilegia militum, pupillorum etc.

1651. Hic quoque notari potest incidenter quod tamquam favorabiles habentur etiam quaedam dispositiones non ad modum legis sed aliter factae. Huiusmodi sunt 1. Privilegia atque gratiae et beneficia particularibus personis concessa (etsi essent contra ius) dummodo concessa fuerint a Principe *motu proprio*; quod semper et solum verum erit, si Princeps in concessionis litteris haec verba ponat. 2. Gratia quaelibet (etiam ad instantiam concessa) si aperte pateat quod Superior valde favere intenderit. 3. Dispensationes particulares, si sint omnino debitae, vel si ob publicam utilitatem concessae fuerint.

PUNCTUM III.

De interpretatione auctoritativa.

1652. *Qualis est interpretatio auctoritativa?* Est quae datur a Superiore subditis suis.

1653. *Interpretatio auctoritativa subitne distinctiones?* Subit plures distinctiones; sed imprimis alia est *pura* (quae appellari solet declaratio), et alia *mixta*. Pura est quae solam legem interpretatur, v. g., an in talibus vel talibus circumstantiis lex vigeat. Mixta est, quae non solum interpretatur legem pro talibus circumstantiis, sed etiam iudicat an circumstantiae ipsae de facto existant. Prima respicit solum ius et loquitur in abstracto; secunda vero respicit etiam factum, loquitur in concreto, atque ad modum sententiae pro casu particulari procedit; et interdum aliquid dispensationis admiscere potest.

1654. *Quales sunt casus practici auctoritativae interpretationis purae?* 1. Quando Summus Pontifex sive per se sive per SS. Congregationes declarationem aliquam emittit circa legem naturalem aut divinam, decernendo sic vel sic esse intelligendam; 2. Quando quilibet legislator (sive per se sive per vicem gerentem) legem suam, vel antecessoris, vel inferioris declarat; 3. Quando legislator inferior (v. g. Episcopus vel Provincialis) declarat subditis suis quomodo lex legislatoris superioris (v. g., Pontificis vel Generalis) sit intelligenda (intellige quatenus res urgeat, nec adsit tempus ad Superiorem recurrendi).

1655. *Quales sunt casus practici auctoritativae interpretationis mixtae?* Sunt praecipue 1. Sententiae iudiciales; 2. Resolutiones innumerae (non tamen omnes) S. Congregationis Concilii, et interdum etiam S. C. Rituum, Episcoporum et Regularium etc.; 3. Decisiones pro casibus particularibus, quae fiunt a Superioribus quibuslibet, v. g., ab Episcopis; imo etiam a Superioribus infimi gradus, v. g., a Parochis, Rectoribus monasteriorum, Confessariis etc., speciatim ad quietandam conscientiam circa ieiunia, vel idoneitatem ad audiendas confessiones etc.

1656. *Loquendo de interpretatione pura (seu de declaratione), quid exigitur ut obliget, scilicet ut submissio omnimoda ei debeatur?* Quatuor consideranda sunt; scilicet 1. authenticitas; 2. valor; 3. tenor; 4. vis extensiva quoad subditos. Sed haec sunt explicanda.

1657. *Quid de authenticitate declarationis?* Oportet ut constet, talem interpretationem seu declarationem prodiisse revera a Superiore, nec fuisse obtruncatam vel adulteratam. Et de hoc certitudo exigitur. Haec autem habetur non solum ex litteris encyclicis forte ad Episcopos missis, aut ex collectionibus, de quarum fidelitate authentice constet (prout est, v. g., collectio Gardellinii quoad decreta S. C. Rituum); sed etiam ex illis ephemeridibus scientificis omni exceptione maioribus; quae de verbo ad verbum, et non omissis consuetis subscriptionibus; rem totam referre solent.

1658. *Quid de valore declarationis?* Declaratio habet diversum valorem, secundum quod aut res fuerit prorsus et absolute definita, vel saltem mature discussa; aut simplex responsum datum fuerit sine discussione.

1659. *Quandonam verificatur definitio absoluta?* Notandum quod interpretatio alicuius legis fieri potest a superiore duplici modo; nempe vel iure magisterii (scilicet ex auctoritate docendi), vel iure imperii (scilicet ex auctoritate iubendi). Interpretationes iure magisterii fiunt speciatim circa leges superioris altioris, quas inferiori immutare non liceat, et casus accidit quoad leges naturales et divinas. Dicuntur autem factae iure magisterii, etsi forte Superior verba praeceptiva adiiciat, et expresse submissionem exigat. Interpretationes autem iure imperii fieri possunt solum circa leges sive proprias, sive propriae iurisdictioni subiectas. Interdum tamen circa has ipsas leges ex solo magisterio interpretationes fiunt. His praemissis, definitio est certe absoluta si fiat iure imperii; sed talis esse potest etiam si fiat iure magisterii; idque accidit quando Summus Pontifex loquitur ex cathedra, et sic infallibiliter rem definit.

1660. *Quid exigitur, ut definitio tamquam facta ex cathedra haberi debeat?*

Non sufficeret si definitio prodiret tamquam actus et decretum alicuius Sacrae Congregationis, etsi illa de mandato Papae rem considerasset et decisionem dedisset (infallibilitas enim est incommunicabilis); et nequidem etsi approbatio et confirmatio Papae accessisset, si in decreto ipso sic et simpliciter relata fuisset, dicendo, v. g.; *Audito Sanctissimo*, vel *Sanctissimus Dominus resolutionem approbavit et confirmavit* etc. Verum est quod tunc Pontifex auctoritatem suam interponit; sed non in gradu supremo; non scilicet ex intentione infallibilitate utendi. Ita Franzelin (*De div. trad. I.* II. *Th.* XII, *p. I. c.* 4), De Angelis (*I.* XXXI. 10), Lehmkuhl (*I.* 202) etc.

Exigitur itaque ut definitio ex cathedra prodeat tamquam actus stricte papalis et tamquam decretum Pontificis, ita ut vel nullum praecesserit decretum alicuius Congregationis, vel decretum Pontificium sit ab illo distinctum et separatum (prout accidit in Bullis confirmationis concilii oecumenici). Actus tamen stricte papalis est non solum quando Pontifex Bullam conficit vel litteras encyclicas scribit; sed etiam quando aliqua Sacra Congregatio, vel quivis alius fide dignus, de mandato Pontificis quid Pontifex ipse decreverit significat et publicat. Exemplum habemus in decretis propositionum damnatarum apud Viva, et novissime in Syllabo, apud Acta (*III.* 167).

Sed, ut definitio tamquam facta ex cathedra haberi debeat, non sufficit ut sit actus stricte papalis; sed exigitur insuper ut Pontifex ad Ecclesiam universalem definitionem direxerit; non enim sufficeret si ad aliquem, vel etiam ad multos (v. g., ad Episcopos alicuius nationis) illam direxisset.

Oportet denique ut Pontifex intentionem suam obligandi ad assensum fideles omnes signis manifestis (sive explicite sive saltem implicite) ostenderit.

Patent haec omnia ex Concil. Vaticano (*Const. I.* IV) dicente, Pontificem esse infallibilem « cum ex cathedra loquitur, « idest cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere « fungens *pro suprema sua apostolica auctoritate* doctrinam « de fide vel moribus *ab universa ecclesia tenendam* definit ».

Dixi indicia intentionis obligandi ad assensum posse esse *implicita;* non enim exigitur necessario ut Pontifex expressis verbis dicat, v. g.; *Decreta ista ab omnibus suscipienda et servanda esse decernimus*, vel: *Quicumque contra senserit excommunicationem incurrat* etc.; sed sufficeret si, v. g., tales vel tales propositiones tamquam erroneas, vel falsas etc. proscriberet, damnaret etc. Cf. Acta (*III.* 167).

1661 *Quid de valore declarationis, quae non equidem ex cathedra, sed verbis praeceptivis a Sacris Congregationibus Romanis edita fuerit?* Huiusmodi declarationes valere ad obligationem inducendam, per se manifestum est.

1662. *Quid de valore declarationis, quae nec ex cathedra nec verbis praeceptivis, attamen re matura discussa, emissa fuerit?*

I.° Discussio debet esse proportionata; et certe quae esset satis matura ad dandam sententiam pro casu particulari, potest non esse sufficiens ad emittendam decisionem, cui omnes reverenter acquiescere debeant. Discussionem proportionatam in hoc

secundo sensu praemissam fuisse praesumitur, si declaratio pro norma generali data fuerit (nisi forte adfuerit necessitas absque mora respondendi pro casu improviso et intricato); idque maxime si a Suprema S. O. Congregatione decisio prodiisset (*Cf. Acta. III.* 205). Etsi autem decisio ad Episcopum aliamve personam particularem directa fuisset, si in responso ipso diceretur rem fuisse mature discussam vel perpensam, de discussione dicto sensu proportionata id esset intelligendum, si ex ipsa rei gravitate, frequentia casus, generalitate responsi ad modum regulae in abstracto, atque ex praevisione divulgationis responsi ipsius, discussio huiusmodi necessaria fuisset (*Cf. Acta XVII.* 556. 601).

II. Declarationibus huiusce generis subiectio omnimoda debetur. Scripsit Pius IX in litteris *Tuas libenter accepimus* ad Archiep. Monachiensem: « Cum agatur de illa subiectione, qua « *in conscientia* ii omnes catholici obstringuntur,.... agnoscere « debent sapientibus catholicis haud satis esse ut praefata do- « gmata recipiant ac venerentur (quae scilicet fuerunt ex « cathedra definita); verum etiam *opus esse* ut se subiiciant « decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a pontificiis con- « gregationibus proferuntur ».

III. Ratio cur haec subiectio debetur non est solum quia agitur de viris sapientissimis et maximam in agendis quaestionibus dexteritatem et experientiam habentibus; sed etiam (imo praecipue) quia eorum iudicium est auctoritativum; datum scilicet auctoritate directionis a Deo ipso habita; quae auctoritas longe magis valet quam doctrina theologorum omnium. Scripsit S. Antoninus (apud S. Lig. *I.* 12): « Non commisisti te in « manibus hominis, quia litteratus, quia pius etc.; sed quia « tibi praepositus. Quamobrem obedias illi, non ut homini, sed « ut Deo ». Hoc verum est quamvis agatur de Superiore infimi gradus. Quid itaque quando agitur de Sacris Congregationis Romanis? Quid maxime si declaratio facta fuerit *audito Sanctissimo*, et sic ipsa Summi Pontificis (etsi non ex cathedra loquentis) auctoritas superaddita fuerit? Oportet ergo ut reverentia summa et submissione omnimoda decisiones huiusmodi excipiantur. Adde quod in Ecclesia ex una parte quoad doctrinas frequenter adest necessitas directionis, et quidem talis cui omnes parere debeant; et ex alia solis decisionibus ex cathedra (quae frequentes esse nequeunt) tali necessitati satis occurri non posset.

IV. Denique declarationes huiusce generis, quae non iam ad imponendum silentium amore pacis, sed ad decernendum de

merito intrinseco doctrinae, emissae fuerint; non solum obligant ne publice eis contradicatur; sed etiam ad religiosum mentis obsequium, non equidem ut resolutio tamquam infallibiliter vera, sed ut tamquam moraliter certa, aut saltem tamquam secura (et doctrina contraria tamquam periculosa) habeatur. Franzelin (*l. c. princ. VII. cor.* 3).

1663. *Quid de valore declarationis, quae, re non discussa, emissa fuerit?* Declaratio huiusmodi, valebit certe ad quietandam conscientiam, atque ad ostendendam viam tutam pro casu urgenti in quo data fuerit, et forte etiam ad obligandum pro interim (si verba praeceptiva adessent); sed de caetero libertas disputandi et contradicendi remaneret. Scripsit Del Vecchio (n 120): « Si agatur de rebus dubiis, et nondum « facta sit discussio, si illico respondendum sit, solent Congre- « gationes communiori sententiae adhaerere (doctrinaliter non « decisive); quin intendant quidpiam veritati detrahere ».

1664. *Quid de declarationis tenore?* Sedulo observandum est quid in declaratione ipsa dicatur; aliud enim est, v. g., si talis vel talis doctrina (seu legis interpretatio) decernatur esse haeretica, vel falsa, vel scandalosa etc.; aliud vero si solum decerneretur non posse tuto doceri in scholis; in primo casu enim eadem doctrina esset reiicienda prorsus; in secundo autem quaestiones speculativae (dummodo doctrina tamquam practice tuta non tradatur) adhuc licitae esse possunt. Si autem decerneretur, talem vel talem doctrinam esse probabilem; id quidem credendum esset; sed hoc non impediret quominus etiam doctrina contraria tamquam probabilis haberi posset.

1665. *Quid de vi extensiva decreti quoad subditos?* Theologi et Canonistae loquuntur solum de decisionibus emissis a S. C. Concilii, scilicet de declarationibus, quae ab eadem emittuntur circa leges ecclesiasticas, speciatim a Concilio Tridentino editas. Dicunt autem, huiusmodi declarationes alias esse *extensivas* (quatenus legem extendunt, seu aliquid novae legis inducunt); alias vero esse solum *comprehensivas* (quatenus legis plus vel minus obscurae sensum declarant, sed nihil novae legis inducunt). Hac distinctione facta, subdunt, declarationes extensivas valere non posse nisi in forma authentica promulgentur. Quoad declarationes autem mere comprehensivas dicunt, illas valere quidem pro casibus particularibus, pro quibus emittuntur; sed, an valeant pro universa Ecclesia nisi promulgentur, disputant (*Cf. S. Lig. I.* 106). Communius autem, si fiant

consulto Pontifice, valere; et, si fiant Pontifice non consulto, pro regula generali non valere dicunt.

Sed haec doctrina imprimis non exacta mihi videtur; et, si etiam exacta esset, sufficiens minime foret; non enim a sola Congregatione Concilii et quoad solas leges ecclesiasticas; sed etiam ab aliis Congregationibus, imo interdum a S. Poenitentiaria, atque circa legem naturalem et divinam interpretationes dantur Quid igitur concludendum? Mea sententia est sequens:

I. Decreta generalia, et interpretationes quae ad nullam personam particularem diriguntur, atque adeo pro norma omnium fiunt, valent certe, quamvis promulgatae in forma authentica minime fuerint; idque verum est quamvis de declarationibus extensivis ageretur. Scripsit Avanzini (*De Const. Apost. Sedis Praet.*): « Neque ipsa (lex) novâ indiget promul-« gatione ob huiusmodi extensivas interpretationes, neque eae-« dem interpretationes promulgari solent tamquam nova lex; « sufficit enim cognoscere, eas ex eadem auctoritate quae legem « condidit prodiisse, ut vim obligandi habeant ». Idque profecto patet ex innumeris ex huiusmodi declarationibus, quae in forma authentica nunquam promulgatae fuerunt. Vide, v. g., Bullarium Urbani VIII. (Declar. *Super primo* An. 1625 pag. 95) et Acta (VII. 77).

II. Interpretationes directae quidem ad personas particulares, sed quae petitae fuerint ad modum quaesiti generici et in abstracto, prout sunt, v. g., decisiones S. Officii circa craniotomiam (*Acta VIII.* 556), circa medicum assistentem duellantibus (*Acta l. c.* 601) etc., valent pariter pro omnibus. Huiusmodi enim decisionibus se opponere (etsi verba praeceptiva expresse adiecta non fuissent) summa temeritas esset. Hoc insuper in Sacrarum Congregationum auctoritatis parvipensionem, et detrimentum vergeret, et ipsius definitionis factae salutarem et necessariam vim imminueret. (*Cf. De Luca L. XV. pag.* 2 *d.* 15 *n.* 17). Excipe nisi ex decreto ipso, aut ex specialibus circumstantiis, pateret, quod decisio non pro omnibus valere posset. Cf. Praxis (*Ed. II. n.* 678). Dixi *Sacrarum Congregationum*; non enim de sòlis decisionibus datis a S. C. S. Officii, sed etiam de datis ab aliis Congregationibus (*Cf. Acta II.* 397) id intelligi debet.

III. Neque huiusmodi decreta vel declarationes vim habent obligandi generaliter solum quando prodeant consulto Pontifice; Sacrae Congregationes enim multa decernere possunt auctoritate propria et ordinaria, quin scilicet oporteat ut Pontificem

consulant (*Cf. Pallottini Praef. pag.* xxv): et reapse sive a S. C. Concilii, sive a S. C. S. Officii, multae prodeunt decisiones (quae manifeste pro omnibus valere debent), in quibus de Pontifice consulto nihil omniño dicitur. Cf. Acta (*I.* 178, *II.* 670, *III.* 205, *VI.* 336, *IX.* 314 *et* 530, *X*, 573).

IV. Resolutiones casuum particularium in concreto, in quibus non de quaesito generico, sed de quaesito respiciente personas particulares, agitur (prout ordinarie contingit in causis quae apud S. C. Concilii agitantur), pro aliis casibus similibus in rigore vim legis non habere dicerem, speciatim quia circumstantiae, quae S. Congregationem ad talem vel talem sententiam emittendam impulerunt, non semper sunt illae solae quae in casus expositione indicantur. Cf. Ballerini (*I.* 130. *not. a*). Quod maxime verum esset si Congregatio ipsa expresse dixisset: *in casu.* Neque referret, si argui posset, quales opiniones teneat S. Congregatio, quibus ad suum iudicium emittendum ducta fuerit; quae enim obligare possunt, non sunt motiva declarationum, sed declarationes ipsae. Hinc Benedictus XIV (*De Syn. VI.* vi. 4) de quadam ex huiusmodi opinionibus scribere non dubitavit : « Nunquam opinioni illi acquiescere « potuimus ».

ARTICULUS VIII.

DE LEGUM EFFECTIBUS.

1666. *Quinam sunt effectus legum?* Leges possunt habere quatuor effectus, scilicet 1. Obligare, iubendo aut prohibendo; 2. Permittere aut ius dare; 3. Irritare vel inhabilitare vel rescindibilitatem concedere; 4. Punire.

1667. *Quot modis leges possunt obligare, ius dare, irritare, rescindibilitatem concedere, et punire?* Multipliciter; et speciatim 1. Absolute; aut hypothetice seu conditionaliter (scilicet habito respectu circumstantiarum) ; 2. Ipso facto, vel (quoad rescindibilitatem) auctoritate privata; aut solum post iudicis sententiam.

1668. *Quomodo cognoscitur an lex vere obliget, aut irritet, aut puniat etc.; et an id fieri intendat ipso facto, an vero solum post iudicis sententiam?* Praecipue observanda sunt verba legis, et sedulo notandae sunt differentiae. Verba, quae sine dubio obligationem semper important, sunt, v. g., *praecipimus, mandamus, imperamus, iubemus, prohibemus, inter-*

dicimus. Verba autem *fieri debet, fieri oportet, cavendum etc.* interdum simplicem convenientiam indicare, vel simplex monitum de praecedenti obligatione vel necessitate includere possent. Nihil dico de verbis *expedit, convenit, decet* etc. — Verba *excommunicamus* vel *ipso facto excommunicatus existat*, distinguenda sunt ab aliis *excommunicetur*, *excommunicari possit*, *excommunicari debeat*, quae sententiam iudicis exposcunt. Verba *irritus sit, non valeat, pro infecto habeatur, inutiliter fiat, nullam obligationem inducat* irritant ipso facto; secus de verbis *irritetur*, *annulletur*, *rescindatur*. Verbum *fieri non possit* per se est ambiguum, an scilicet ad licitum, an vero etiam ad validum referatur. Communius tamen (si casus nullitati subiici possit) ad utrumque refertur.

1669. *Loquendo in particulari de primo effectu, scilicet obligandi (iubendo vel prohibendo) quot modis leges obligare possunt?* 1. Sub gravi vel sub levi; 2. directe et indirecte.

1670. *Explica quomodo leges obligent directe et indirecte.*

I. Directe obligant ad opera iniuncta, cum suis circumstantiis si forte circumstantiae quoque praeciperentur. Idem dic de abstinentiis iniunctis.

II. Indirecte obligant (attamen iuxta explicationes suo loco dandas) 1. ad addiscendum quid ab ipsis praecipiatur; 2. ad ponenda media, ut praeceptum adimpleri valeat; 3. ad evitanda pericula, quae ipsam voluntatem in tentationem inducere possent; 4. ad non provocandos alios ut legem transgrediantur; 5. interdum ad procurandum, ut alii (v. g., filii, famuli etc.) leges ipsas observent.

1671. *Lex naturalis ad quid obligat?* Ad faciendum bonum et vitandum malum. Sed hoc recto sensu intelligi debet, et explicatione indiget.

1672. *Quo sensu lex naturalis obligat ad faciendum bonum?* Non omne bonum, non scilicet omnes virtutis actus, lex naturalis praecipit; plurima enim bona consulit dumtaxat. Praeceptum itaque ad ea bona reservat, quae ad rectum ordinem adeo necessaria sunt, ut oporteat atque expediat ut stricte praecipiantur; nec solum consilium sufficiat.

1673. *Quo sensu lex naturalis obligat ad vitandum malum?*

I. Non rem quamlibet quae aliquo sensu mala dici possit, lex naturalis prohibet. Sic polygamia simultanea, antequam lege positiva evangelica prohiberetur, licita erat. Sic etiam dicimus, v. g.: — Titius, vivendo in coelibatu, male facit —, nec tamen dicimus: — peccat —. Ea igitur dumtaxat a lege

naturali sub culpa et poena interdicuntur, quae ita mala sunt ut illa interdicere oporteat atque expediat.

II. Quaedam sunt mala *absolute;* ita scilicet ut nunquam omnino sua malitia exui valeant, et ne Deus quidem possit ea reddere licita in circumstantia ulla (v. g., blasphemia, odium Dei etc.). Alia sunt mala *non absolute;* ita nempe ut, mutatis circumstantiis, licita evadere possint. Huiusmodi sunt quae sunt mala aut 1. solum *accidentaliter* (v. g., copula coniugalis cum scandalo); aut 2. *ordinarie* (v. g., occisio hominis, ablatio rei alienae, non adimpletio voti etc., quae licita evadere possunt; scilicet prima iure defensionis, secunda in extrema necessitate, tertia interveniente dispensatione vel excusatione legitima); aut denique 3. *seclusa speciali Dei permissione* (v. g., occisio innocentis, accessus ad alienam etc.).

1674. *Lex humana obligatne si a subditis non acceptetur? Peccantne subditi si legem non acceptent, aut non acceptatam transgrediantur?* Per se loquendo, lex obligat quamvis a subditis non acceptetur. Patet ex rei natura, et ex Prop. damn. ab Alex. VII., quae dicebat: « Populus non peccat, etiamsi « absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam ». Attamen dari possunt circumstantiae, in quibus lex non acceptata minime obliget. Practice sequenti modo casus resolvi debet.

I. Peccant imprimis qui sibi arrogant auctoritatem reiiciendi leges Ecclesiae, si sibi non placeant.

II. Supposita causa, quae omnino iusta videatur, potest fieri recursus ad Legislatorem, ita ut pro interim lex suspensa remaneat, iuxta dicta *n.* 1617.

III. Seclusa huiusmodi causa, peccant certe primi, qui legem reiiciunt illamque transgrediuntur.

IV. Si tamen ex una parte inobservantia fieret generalis eique sanior quoque subditorum pars adhaereret; et ex alia Princeps videret et taceret; tunc ex Principis ipsius conniventia lex abrogata censeretur; idque quamvis (ut ait Lessius *II.* vi 45) metu difficultatum, ad non perturbandam Rempublicam, atque ad non provocanda mala maiora, Princeps taceret, et sic legem suam curruere sineret. Cf. Viva (*Prot. cit.* 9. 15), Gury (*I.* 98. 99) et Lehmkuhl (*I.* 126. 127).

1675. *An leges humanae extendi possint ad actus indifferentes?* Affirmative; idque passim fit. Pro bono publico enim vetantur aut praecipiuntur multa, quae lege naturali nec vetarentur nec praeciperentur, et sic indifferentia essent.

1676. *An leges humanae extendi possint, vel extendi cen-*

seantur ad actus occultos, aut internos, aut heroicos seu valde arduos?

I. Ad actus occultos certe extendi possunt; et, quando lex aliquid prohibet, prohibitio ad actum etiam occultum ordinarie extenditur. S. Lig. (*I.* 100).

II. Ad illos actus internos, qui constituunt quid unum cum externo, qui praecipitur, lex certe extenditur; unde, praecepta, v. g., confessione, internae quoque dispositiones praecipiuntur. Actus huiusmodi dicuntur mixti. Loquendo autem de actibus mere internis, theologi non conveniunt. Cf. Gury (*I.* 89).

III. Ad actus heroicos leges extendi possunt (ut patet exemplo militum in praelio); sed solum pro casibus absolutae necessitatis; extra illos enim obedientia sperari non posset, et sic lex inconsulta redderetur. Hinc actus heroici ordinarie sub obligatione non cadunt; et quando leges hanc vel illam actionem praecipiunt, facile ita intelligi debent, ut ad casus gravis et gravissimi incommodi obligatio non extendatur; idque verum est quamvis de legibus divinis ageretur. Sed haec omnia melius explicabuntur, ubi de causis ab obligatione excusantibus sermo habebitur.

1677. *Leges obligantne semper et pro semper, scilicet pro singulis momentis?*

Leges affirmativae (scilicet obligantes ad agendum) obligant quidem semper (intellige seclusa causa excusante vel eximente); sed non pro semper, ut per se manifestum est. Leges negativae autem (scilicet obligantes ad abstinendum) non solum semper, sed etiam pro semper obligant. Hinc homo semper tenetur actus cultus exercere, sed non pro semper; a blasphemiis autem abstinere tenetur semper et pro semper. Si tamen ageretur de legibus positivis, quae obligent ad abstinendum solum determinatis temporibus (v. g., quoad abstinentiam a carnibus), obligatio pro semper intelligitur solum durante tempore obligationis.

1678. *Quinam sunt effectus legum permittentium et ius dantium?* Leges permittentes efficiunt ut aliquid sit licitum, prout contingit in actibus omnibus sive externis sive internis, qui neque naturali neque positivo iure vetantur. Leges autem ius dantes efficiunt, ut ab aliis hominibus quaedam exigere possimus ex iustitia; ne scilicet ab iisdem laedamur quoad bona vitae, famae, fortunae, honestae libertatis etc.

1679. *Quinam sunt effectus legis irritantis, inhabilitantis, et rescindibilitatem concedentis?* Lex irritans reddit invalidum actum, etsi forte iure naturae validus esset (Exemplum habes

in lege irritante matrimonium, quod contrahatur sine parocho et testibus). Dixi *etsi forte iure naturae* etc.; interdum enim ipsum ius naturae actum invalidare potest, prout esset, v. g., matrimonium inter filium et matrem. Irritatio autem, quae lege positiva statuatur, non semper intelligi debet de nullitate actus in conscientia; aliquando enim sensus legis est ut actus sit nullus solum civiliter, ita ut actio in tribunalibus ad illum sustinendum non concedatur. In praxi videndum quo sensu lex intelligi soleat. Lex inhabilitans reddit personam inhabilem ad talem vel talem effectum sive valide sive licite obtinendum. (Exemplum habes quoad validum in impedimentis consanguinitatis, affinitatis etc., et quoad licitum in impedimentis mere impedientibus, in irregularitatibus etc.). Invaliditas actus provenire potest tam ex lege irritante quam ex lege inhabilitante; sed differentia est quia lex irritans directe, et inhabilitans indirecte actum ipsum invalidat. Denique lex rescindibilitatem concedens efficit, ut actus validus postea suis effectibus obligationis, iurium etc., destitui valeat. Exemplum habes in contractibus ex metu incusso celebratis. Ex eo autem quod lex aliquem actum irritet, non semper sequitur quod illum prohibeat. Sic, v. g., testamentum informe irritatur, sed non prohibetur. Secus de matrimonio.

1680. *Loquendo de ultimo legum effectu*, *scilicet de poena*, *quaeritur* I. *An leges obligent ad poenam ante iudicis sententiam?* Ordinarie negative; nimis enim durum esset, ut quis sponte sua poenam sibi ipsi applicare deberet. Excipe nisi ageretur de poena ecclesiastica, quae ex verbis in ipsa lege expressis ipso facto incurrenda esset. Talis esset censura, et privatio iuris acquirendi (v. g., inhabilitas ad beneficia, vel ad fructus beneficii faciendos proprios). Dixi *iuris acquirendi;* si enim ageretur de privatione iuris acquisiti (v. g., beneficii iam possessi); tunc, etsi lex diceret, hanc poenam esse *ipso facto* incurrendam, nihilominus sententia *declaratoria criminis* (non condemnatoria) exigeretur. Vide alia apud S. Lig. (*I.* 148).

1681. *Quaeritur II. An reus poenam ei per iudicem inflictam in conscientia sustinere teneatur*, *an vero possit e carcere fugere?* Theologi dicunt communiter, illum posse fugere si agatur de poena valde dura et diuturna. S. Lig. (*IV.* 280). Sed cl. D'Annibale (*II.* 648) dicit: « Existimo hodie quoties im-« pune per leges civiles, toties sine culpa, saltem gravi, in « foro conscientiae reum evadere posse, quippe hodie reus non « iubetur manere in vinculis, sed contineri ».

1682. *Quaeritur III. Quid de legibus statuentibus obligationem reparandi damna ob solam culpam iuridicam (scilicet negligentiam quae communiter supponitur, etsi de facto non adesset), ut puta, propter damna ab animali tuo causata; vel etiam quia aliquis inculpabilitatem suam probare non possit; prout in casu incendii, quod ubi plures inquilini sunt, excitatum fuisset, neque appareret apud quem initium sumpsisset?* Leges huiusmodi valent in conscientia post iudicis sententiam. Aliud esset si animal tuum nihil damni reapse causasset; tunc enim sententia non in lege, sed in falsis probationibus fundaretur; et sic non nisi per accidens (v g., ratione scandali) obligare posset. Gury (*I.* 102).

1683. *Quaeritur IV. Leges, quae statuant poenam sed non obligent sub culpa, possuntne adesse, vel adsuntne revera?*

Quod leges huiusmodi, quae *mere poenales* vocantur, adesse possint, non est dubitandum. Non raro enim ex una parte sola inflictio poenae publico bono consulit sufficienter, et ex alia legislatores (hodie speciatim) de obliganda conscientia coram Deo facile ne cogitant quidem.

An autem huiusmodi leges revera dentur, distinguendum est inter leges ecclesiasticas et civiles. Leges ecclesiasticae non solent infligere poenam, nisi etiam obligaverint sub culpa, et quidem gravi (nisi forte de brevi suspensione vel levi mulcta ageretur). E contra leges civiles in pluribus casibus solam poenam ferre intendunt. Ad distinguendum autem quando sub culpa obligent, et quando solam poenam ferant, considerare oportebit quomodo communi sensu accipiantur; vel an clare pateat quod per solam poenam non sufficienter bono publico consultum fuisset; tunc enim sub culpa quoque obligarent. Cf. Ballerini (*I.* 100 *not. a*) et Lehmkuhl (*I.* 211). Lex de solvendis vectigalibus pro mere poenali communiter intelligitur.

1684. *An leges humanae effectum retroactivum habere valeant, scilicet ad praeterita extendi possint?*

I. Lex mere declaratoria certe habet effectum retroactivum; qui tamen proprie non legis istius sed praecedentis effectus est. Hinc si lex declaratoria decerneret, legem praecedentem intelligendam esse de irritatione, vel de obligatione etc.; tunc actus, qui in intervallo locum habuerunt, considerari debebunt tamquam irriti, vel tamquam peccaminosi (etsi forte solum materialiter, propter ignorantiam sensus legis) etc.

II. Lex, quae novum ius constituunt, nequit habere effectum retroactivum, quatenus sit praeceptiva vel prohibitiva; bene

vero talem effectum habere valet quatenus sit poenalis, vel inhabilitans, vel irritans; efficere enim potest ut qui in antecessum tale delictum commiserint tali poena puniantur; vel qui talem defectum contraxerint talem inhabilitatem contrahant; vel qui talem contractum celebraverint iam nullum ius ex illo habeant.

III. Ut tamen lex huiusmodi vim retroactivam habeat, duo sunt necessaria, scilicet 1 ut legislator hanc suam esse voluntatem expresserit, et quidem verbis clarissimis. 2. ut nihil obstet; quaedam enim semel valida semper valida necessario sunt, prout matrimonium; unde, v. g., constitutio novi impedimenti dirimentis vim retroactivam habere non posset.

IV. Quid si, postquam lex irritans actum (v. g., testamentum sine talibus solemnitatibus) condita fuerit sine effectu retroactivo, occurrat actus ipse irritationi subiectus; sed non in se; bene vero in suis effectibus (v. g., mors testatoris, qui ante legem fecerit testamentum sine dictis solemnitatibus)? Lex, quae effectum retroactivum non habet, neque ad actum neque ad effectus huiusmodi extenditur. Secus esset si actus, tempore promulgationis legis, incoeptus et non ad finem deductus foret; tunc enim valide compleri nequiret. Cf. Palao (*De Leg. V.* III. § V. 8).

ARTICULUS IX.

DE LEGIS SUBIECTO.

1685. *Quinam est subiectus legis?* Est qui hic et nunc sub legis imperio versatur, ita ut, faciendo contra illam, peccet sive formaliter sive materialiter; aut, si nullo modo peccet (propter aliquam circumstantiam excusantem), hoc per accidens sit. Quisnam autem hic et nunc sub imperio legis versetur, decisio pendet ab auctoritate et intentione legislatoris. Veniendo autem ad particularia, distinguere oportet inter legem divinam sive naturalem sive positivam, et legem humanam sive ecclesiasticam sive civilem.

1686. *Quinam est subiectus legis naturalis?* Est ipsa natura humana, et proinde quilibet homo. Infantes quoque et perpetuo amentes legi naturali subiiciuntur. Si ipsi inordinationem committerent contra legem naturalem (v. g., furtum, homicidium, mollitiem etc.), etsi non formaliter (propter defectum liberae voluntatis), tamen materialiter peccarent; unde ab aliis ad res huiusmodi impelli nequeunt. Dixi *si inordinatio-*

nem committerent; interdum enim quaevis inordinatio (propter ipsam dementiam) abesse posset, ut puta, si ridendi causa ad contumelias contra personam de hoc contentam proferendas impellerentur.

1687. *Quinam est subiectus legis divinae positivae?* Loquendo de lege divina positiva quidem sed universali (prout est lex evangelica) illius subiectus est pariter quilibet homo; promulgatio enim iam inde a praedicatione Apostolorum facta fuit, et per accidens est si multi infideles (eo quod Evangelii sufficientem notitiam adhuc non habuerint) a culpa formali excusentur. Cf. Suarez (*De Leg. X.* IV. 24). Qui itaque alicui infideli repudium vel polygamiam (contra legem evangelicam) consuleret, certe peccaret.

1688. *Quinam est subiectus legis humanae?* Claritatis gratia loquendum est prius de subiecto quoad leges Ecclesiae in genere, et postea de subiecto quoad leges territoriales et particulares sive ecclesiasticas sive civiles.

1689. *Quid de subiecto quoad leges Ecclesiae in genere?*

I. Subiecti legibus Ecclesiae certe non sunt infideles, et cathecumeni (*S. Lig. I.* 154); unde valida essent inter eos matrimonia, quamvis cum aliquo impedimento iuris mere ecclesiastici contraherentur (*Ballerini I.* 92).

II. His legibus subiecti pariter non sunt perpetuo amentes, etsi forte (ut sentit D' Annibale *I.* 191) olim sanae mentis fuissent. Non enim est cur (secluso scandalo) Ecclesia eos ullo modo suis legibus subiicere velit.

Hinc tam infidelibus quam perpetuo amentibus licite darentur carnes diebus vetitis; atque etiam opera servilia diebus festis (salvo tamen praecepto naturali et divino, atque etiam seclusa publica perturbatione quietis festivae) imponi possent. S. Lig. (*I.* 155 4) et Lehmkuhl (*I.* 137).

Idem dic de semifatuis, qui bonum a malo satis non distinguant, et vix culpae venialis capaces esse valeant. D'Annibale (*I.* 191).

III. Pueri quoque legibus Ecclesiae non sunt subiecti. Sed usque ad qualem aetatem? Usque ad septennium completum. Quid si ante septennium essent certe rationis compotes, vel post septennium debitaretur an adhuc rationis usu pollerent? In his casibus communis christifidelium persuasio est, ut nihilominus septennium pro norma habeatur; et ratio esse potest congruentia habendi normam fixam atque ab omnibus atque ambage recognoscibilem, ut ex una parte scrupuli et ex alia laxitates

evitentur. Regula ista saltem tamquam probabilis habetur a Theologis communiter (*Cf. S. Lig. III.* 270). Hoc tamen intelligendum dummodo lex divina non immisceatur; unde bene contingere potest, quod puer, qui peccatum mortale commiserit, etiam ante septennium ad confessionem obligetur. Insuper pueri post septennium subiecti sunt quidem legibus Ecclesiae quoad abstinentiam a carnibus et auditionem Missae etc.; non vero quoad illas leges (v. g., communionis paschalis et ieiunii), pro quibus maior aetas exigitur; et nequidem quoad censuras (nisi in lege expresse comprehendantur); censurae enim regulariter pubertatem exigunt (*S. Lig. VII.* 14). Quid si puer complevisset quidem septennium; sed manifeste et non dubie rationis usu adhuc careret? In hoc casu (forte quia de dementia perpetua agi posset) septennium non consideraretur, et puer tamquam a legibus Ecclesiae exemptus adhuc haberi deberet. Ita Theologi communissime.

IV. Qui amentia transitoria laborant, tamquam subiecti legibus Ecclesiae (durante quoque statu amentiae) a theologis communiter censentur; ita ut proinde tunc eis carnes diebus vetitis suppeditare (nisi ad medicinam) non liceret. Attamen haec sententia non omnibus arridet, et Alasia (*De Leg. IV.* IV. I. 18) sentit, illos in tali statu legibus Ecclesiae minime subiici. Equidem de amentia diuturna id concedi posse videtur; sed de amentia brevi et lucidis intervallis habitualiter interpolata (non secus ac de sommo aut de statu ebrietatis) nullo modo verum esse crederem.

V. Quoad haereticos, et schismaticos, Ecclesia certe ius habet legibus suis illos subiiciendi; sunt enim Ecclesiae filii, etsi rebelles et contumaces; neque profecto haeresis aut schisma potest dare ius reportandi commodum ex rebellione atque a legibus exemptionem acquirendi. Cf. Litt. Ap. *Etsi fraternitatis* Pii VII (apud Mansella *App. VI*). Sed Ecclesia, quando legem facit, habetne semper intentionem ad haereticos quoque illam dirigendi? Distinguendum est inter haereticos vagantes inter catholicos, aut nuper subortos, et haereticos societatem religiosam proprie dictam iam a longo tempore efformantes cum suis ministris et templis a societate catholicorum omnino distinctam. Primos certe Ecclesia indiscriminatim cum catholicis suis legibus afficere semper intendit. Theologi idem dicunt de secundis; sed hoc (saltem universaliter) verum esse nequit. Hoc patet quia leges debent esse utiles atque in aedificationem; et arguitur etiam ex eo quod Ecclesia sedulam curam semper

habuit non extendendi legem de necessitate parochi, pro validitate matrimonii, ad regiones haereticorum. Cf. Mansella (*I. IV.* IV. § 1) et De Angelis (*IV.* III. 8).

1690. *Quid notandum circa subiectum legis humanae secundum quod lex sit generalis, aut solum particularis?*

I. Legibus ita generalibus, ut ad totum Orbem referantur, quales esse possunt solum leges Pontificiae, subiiciuntur christifideles omnes, ubicumque reperiantur, factis tamen exceptionibus supradictis circa pueros, amentes etc.; atque iis quoque exceptis qui ex legis ipsius natura excipi debeant.

II. Leges particulares (v. g., dioecesanae vel municipales), aut generales quidem, sed ita ut non ad totum Orbem, bene vero ad nationem vel regnum referantur, afficiunt certe subditos dum sunt in territorio; sed interdum afficere possunt quoque subditos extra territorium, et exteros intra territorium; ut statim explicabitur.

1691. *Quid exigitur ut quis sit subditus?* Distinguendum est inter leges ecclesiasticas et civiles.

Quoad leges ecclesiasticas, subditus est qui in territorio domicilium aut quasi domicilium habet (*cf. n.* 1374); dummodo non sit exemptus, cuiusmodi sunt Regulares.

Quoad leges civiles, subditi sunt cives seu nationales. Tales autem esse possunt iure nativitatis, vel ope decreti regii praevio iuramento fidelitatis (*Cod. civ. A.* 4-10). Attamen iure canonico notanda sunt aliqua circa ecclesiasticam immunitatem, ut statim videbimus.

1692. *Quid de exemptione Regularium?* Regulares exempti sunt a iurisdictione Episcoporum; dummodo 1° Vota solemnia habeant, aut decreto Apostolico exemptionem obtinuerint; 2° Non sint prorsus dispersi (*cf. n.* 1399. *V.*). Attamen Regulares, quoad aliqua legibus episcopalibus et dioecesanis subiecti remanent, v. g., quoad festa localia de praecepto (*Trid. XXV.* XII); quoad Sacerdotes ad Missae celebrationem non admittendos, nisi visis litteris testimonialibus (*Bened. XIV. De Syn. IX.* XV. 5); quoad taxam eleemosynae Missae (*S. Lig. VI.* 320); quoad reservationem dioecesanam relate ad saeculares; quoad concionem ad populum non habendam quibusdam horis cum turbatione inconsulta aliarum concionum (*cf. Alasia IV.* IV. II. 8); quoad interventum ad processiones SS.mi Corporis Christi, Rogationum etc. (*cf. Alasia l. c.* 17); quoad eleemosynas non quaerendas si vere non indigerent, aut si in Dioecesi monasterium non haberent (*cf. Alasia l. c.* 18).

1693. *Quid de famulis Regularium?* Hi quoque exempti sunt a iurisdictione Episcoporum; attamen solum si concurrant circumstantiae supra (*n.* 1400) indicatae. Unde nec ordinarie censuris episcopalibus, (nec saltem si apud confessarium Regularem confiteantur) reservationi dioecesanae subiiciuntur. Lehmkuhl (*II.* 403) et S. Lig. (*VI.* 583).

1694. *Quid de immunitate ecclesiastica?*

I. Distinguitur in personalem, realem et localem.

II. Consistit in iure Ecclesiae ne personae, res, et loca ecclesiastica iurisdictioni saeculari subiiciantur.

III. Magna distinctio in praxi fieri debet inter casus, in quibus Ecclesia istud ius suum exercere vult, et casus in quibus plus vel minus iuri ipsi cedit, seu permittit ut (quasi vicario modo) gubernia saecularia in praedictis iurisdictionem exerceant. Permissio ista potest esse expressa, v. g., per concordatum; et tacita, si nempe ex usu diuturno sine ulla contradictione res tamquam licita iam haberetur; non enim quaevis tolerantia sufficeret (*Lehmkuhl II.* 650).

1695. *Quid in particulari de immunitate personali?*

I. Haec respicit personas ecclesiasticas, quales sunt 1. Clerici in sacris omnes; 2. Regulares, et personae religiosae, quae (etiam sine votis solemnibus) in piis congregationibus approbatis vitam communem agunt; 3. Clerici in minoribus vel sola tonsura insigniti, dummodo aut beneficium ecclesiasticum habeant, aut habitum et tonsuram deferant atque alicui Ecclesiae inserviant, vel in seminario aliave schola (quasi in via ad maiores ordines suscipiendos) versentur; imo, etsi aliqua ex his circumstantiis deficeret, si Episcopus ingerentiae laicae obstaret. Cf. Bened. XIV (*De Syn. XII.* 11), Vecchiotti (*I.* 101), et Lehmkuhl (*l. c.*).

II. Personae ecclesiasticae iure canonico gaudent imprimis immunitate illa, quae dicitur *privilegium fori;* quod in eo situm est, ut nemo in causa sive criminali sive civili eas ad tribunal laicum (etsi solum testimonii praestandi causa) trahere possit, sine consensu Ecclesiae (ut supra innuebam). Ecclesia autem permittit, v. g., ut clericus in ius vocatus, vel citatus ut testis, obtemperare possit, sed solum obtenta prius licentia Episcopi, et emittendo iuramentum tacto pectore sacerdotali necnon (si de causa criminali ageretur) praemissa protestatione non agendi ad vindictam neque ad poenam sanguinis, sed solum ad veritatem manifestandam (*cf. Vecchiotti l. c.*).

III. Personae ecclesiasticae iure divino eximuntur ab omnibus

officiis et oneribus, quae cum proprii status dignitate et functionibus componi nequeunt. Huiusmodi sunt, v. g., militia, munera publica saecularia, tutelae, officia sordida atque servilia etc. Cf. Vecchiotti (*l. c.*). Pariter iure divino eximuntur prorsus a potestate saeculari in iis omnibus, quae ad officia spiritualia vel ad iurisdictionem ecclesiasticam spectant.

1696. IV. Quid de immunitate personali quoad leges civiles? Possuntne scilicet gubernia saecularia ligare conscientiam personarum ecclesiasticarum ad servandas leges civiles, quae statum ipsarum nullo modo offendant, et exclusis mediis coactivis, salvo scilicet privilegio fori? Certe posset Ecclesia iustis de causis Episcopos vel etiam alios ecclesiasticos ab hac vel illa lege observanda eximere. Certe e contra leges civiles obligant conscientiam uniuscuiusque, quatenus non sint mere humanae sed solum sint legis naturalis enunciativae; aut quatenus ex inobservantia perturbationes, damna, vel scandala secutura essent. Certe denique Ecclesia non solet immunitatem in terminis expositis urgere; imo exigere videtur ut personae ecclesiasticae leges civiles proprii status non offensivas non solum observent, sed in tali observantia bono et optimo exemplo aliis praeeant. An autem, independenter ab hac Ecclesiae voluntate, Gubernia saecularia auctoritate polleant ligandi conscientiam etiam clericorum (quatenus ipsi quoque sunt cives) pro recto et uniformi societatis ordine, Auctores convenire non videntur. Cf. Reuter (*De Leg. V.* II), Vecchiotti (*I.* 111), Alasia (*IV.* IV. III), Lehmkuhl (*I.* 140) etc. Sed in quaestione ista, quae ad praxim non deservit, immorari non oportet.

1697. *Quid de immunitate reali?* Haec respicit res ecclesiasticas, in quibus profecto laici nullam iurisdictionem per se habere possunt. Huiusmodi exemptio imprimis iure divino competit matrimonio aliisque sacramentis; deinde iure naturali et canonico (nisi Ecclesia cedat) competit etiam omnibus capitalibus Ecclesiae ipsius; quae proinde (illâ invitâ) tributis subiici nequirent. Ecclesia tamen non vi auctoritatis laicae, sed iure naturali, ad praestandam aequam partem pro publicis societatis necessitatibus, teneri posset. In rigore loquendo, res ita se habent; sed practice Ecclesia nedum tolerat sed consentit ut tributa ordinaria, quae imponuntur capitalibus laicis, suis quoque imponantur, et (seclusa coactione) exigantur; dummodo nec templa nec res sacras afficiant, ex quibus clerici nullam temporalem utilitatem recipiunt. Cf. Vecchiotti (*II.* 54).

1698. *Quid de immunitate locali?*

I. Haec respicit loca sacra, qualia sunt 1. Ecclesiae (et oratoria publica) earumque sacraria, atria, portici et turres campanariae; 2. Coemeteria; 3. Monasteria et conventus religiosi eorumque septa; 4. Seminaria clericorum; 5. Hospitalia auctoritate ecclesiasticà erecta; 6. Palatium episcopale (vel Cardinalitium) aut pro habitatione sua ab Episcopo conductum; 7. Domus parochialis, in qua parochus habitare soleat. Cf. Vecchiotti (*II.* 71).

II. Immunitas localis in eo sita est ut iurisdictio laica (secluso concordato*) in dictis locis exerceri nequeat; praecipue vero consistit in iure *asyli;* quatenus rei criminum ad eadem loca confugientes a laica potestate exinde extrahi nequeunt, nisi prius facultas obtenta fuerit ab Episcopo, qui in multis casibus ab ipso iure canonico designatis illam concedere potest. Vide Bucceroni (*Commentar. n.* 56) qui, ex responso S. C. S. O., notat, solam consuetudinem, etsi a longissimo tempore invectam, contra immunitatem istam valere non posse. Vide etiam Vecchiotti (*l. c. et speciatim in fine*).

1699. *Dixisti posse dari casus, in quibus lex afficiat subditum etiam extra territorium. Explica quando, et cur raro, hoc contingat?*

I. Imprimis notari debet differentia inter praeceptum et legem. Loquendo de praecepto, hoc sequitur personam quocumque se conferat. Episcopus, v. g., prohibet sacerdoti celebrationem Missae. Ille certe non poterit extra Dioecesim se conferre ad Missam celebrandam.

II. Loquendo autem de legibus, ratio cur raro afficiant subditos extra territorium, est quia ex una parte leges locales ut plurimum respiciunt consuetudines territoriales, quae extra territorium non offenduntur; et ex alia subditi extra territorium male coerceri possunt. Hinc Theologi dicunt quod *peregrini* (quo nomine appellant subditos extra patriam, sine novo domicilio vel quasi domicilio, degentes) legibus patriae ordinarie non ligantur.

III. Casus rari in quibus leges afficiunt subditos extra territorium, et sic ex territorialibus evadunt personales, sunt sequentes:

1.) Si lex ecclesiastica prohiberet vel censura afficeret aliquid, quod committi posset extra territorium, sed territorium respiceret; ut puta, si Episcopus talem vel talem residentiae defectum vetaret vel censura puniret.

2.) Si quis in fraudem legis ecclesiasticae (v. g., ad eludendam reservationem) a territorio exiret. Sed hoc indiget explicatione, quae dabitur infra (*Art. XII.*).

3.) Si lex expresse consideraret casum subditorum extra patriam degentium, et circa illos aliquid decerneret, prout de facto codices civiles, v. g., circa militarem conscriptionem, circa impedimenta matrimonii civilis, circa successiones etc., decernere solent. *Cf. Cod. it. A.* 6. 7. 8. 100.

4.) Si lex haberetur magis tamquam personalis, quam tamquam territorialis, prout in legibus latis a Praelatis Regularibus contingere solet. S. Lig. (*VII.* 20).

1700. *Quinam sunt casus, in quibus leges territoriales ad exteros quoque, seu* (*ut theologi dicunt*) *ad peregrinos, intra territorium degentes extenduntur?* Extensio ista valde late patet, et certe viget speciatim in sequentibus casibus.

I. Quoad leges permittentes, scilicet privilegia localia ad peregrinos quoque extendi censentur.

II. Quoad leges latas directe pro ipsis, v. g., circa ostensionem litterarum testimonialium, solutionem vectigalium pro introductione mercium, recessum e territorio cum gregibns (si essent pastores) adveniente tali vel tali epocha etc.

III. Quoad contractus, scilicet quoad eorundem formam a legibus localibus designatam; ut puta, si tales vel tales solemnitates pro hoc vel illo contractu, vel pro testamento, vel pro matrimonio, in loco exigantur vel non exigantur. Patet ex iure communi, cui consonant codices nationales (*Cf. Cod. it. A.* 9 *et* 100). Attamen (iuxta dicta n. praeced. et infra dicenda Art. XII) migratio in fraudem obstare posset.

IV. Quoad plurima, quae iure civili praescribuntur aut vetantur, pro publica securitate, vel ad cavenda damna, quae aeque a peregrinis ac ab incolis oriri possent. Exemplum habes si alicubi noctu incedendum esset cum lumine; aut prohiberetur incessus cum armis sine licentia; aut vetaretur asportatio frumenti etc. (*A.* 11).

V. Quoad leges poenales civiles, si exteri intra territorium deliquerint (*A. cit.*)

VI. Quoad leges communes in loco vigentes, etsi in patria non vigerent, privilegio enim patriae gaudere non possunt absentes.

VII. Denique peregrini legem localem observare tenentur, si, illam non observando, scandalum vel publica perturbatio sequeretur; ut puta, si peregrinus, dum in loco festum de praecepto celebratur, publice laboraret.

Exceptis his casibus, an leges locales ad peregrinos extendantur, controvertitur. Suarez (*De Leg. III.* XXXIII) affirmat, illosque incolis aequiparat; sed alii valde communius cum S. Lig. (*I.* 156 *et VII.* 23) censent quod peregrini a legibus et censuris localibus eximantur; praescindendo enim a casibus praedictis, ex una parte iura de illis expresse non loquuntur; et ex alia bonum publicum exigere non videtur, ut ipsi (qui non sunt subditi) omnibus subditorum obligationibus subiiciantur.

1701. *Quid de vagis?* Subiiciuntur iuri communi; sed, quoad observantiam legum localium, peregrinis aequiparantur.

1702. *Quid de ipsis legislatoribus?* Legislatores teneri possent ad suas leges observandas 1. Si ad leges fundamentales seu constitutionales servandas se obligassent; 2. Si ageretur de legibus conditis in comitiis popularibus vel a senatu; tunc enim populus et senatores ad illas servandas utique tenerentur. Caeterum Princeps, qui non pro se sed pro subditis leges fecerit aut iam factas confirmaverit, ad illas servandas obligari nequit, nisi indirecte; quatenus scilicet non solum expedire sed interdum oportere potest, ut subditis bonum exemplum praebeat. Quid enim si Episcopus in vigiliis dioecesanis notorie carnes manducaret?

ARTICULUS X.

DE MODO LEGI VEL QUIBUSLIBET OBLIGATIONIBUS SATISFACIENDI.

1703. *Sufficitne semper opus debitum* (*vel abstinentiam debitam*) *adimplere quoad substantiam?* Negative; sed si circumstantiae aliquae praecipiantur, illae quoque servari debent.

1704. *Potestne opus poni eodem tempore quo ponitur aliud opus ad satisfaciendum alteri obligationi?* Affirmative, sub duabus conditionibus; scilicet dummodo 1° temporis diversitas non fuerit praescripta; 2° opera ipsa sint invicem ita compossibilia, ut unum alterum non impediat. Hinc, audiendo Missam de praecepto. horae canonicae, et preces pro poenitentia sacramentali iniunctae (nisi Confessarius aliud statuerit) recitari possunt. (*S. Lig. I.* 166).

1705. *Opus debitum potestne adimpleri eodem praecise actu, qui ad aliam quoque obligationem adimplendam dirigatur?*

Affirmative in duobus casibus; scilicet 1° quando diversae obligationes cadunt super materiam numerice eandem (ut puta, si vovisses restituere); 2° quando praesumendum sit quod ille,

qui secundam obligationem imposuit, de hoc fuerit contentus. Exemplum habes, si ex poenitentia sacramentali audienda esset Missa quotidie per mensem; tunc enim praesumi debet quod ex mente Confessarii diebus festis eodem mense occurrentibus non iam duae Missae sint audiendae; sed una sufficiat. *Gury* (*I.* 107, 4).

Secus vero, si diversae obligationes suapte natura caderent super materiam numerice diversam, quamvis specifice eandem (ut puta, si deberes Titio centum ex mutuo, et centum ex emptione); aut si praesumi nequiret quod mens obligationem imponentis eiusmodi fuerit ut hoc modo satisfieri posset. Hinc qui ex poenitentia sacramentali aut voto duas Missas audire deberet, audiendo duas Missas, sive ambas de praecepto sive ambas eodem tempore, non satisfaceret (*S. Lig. I.* 166).

1706. *Ut legi satisfiat, sufficitne si actio praescripta quoad actum externum dumtaxat apponatur?* Videndum an lex solam actionem externam, an vero insuper aliquid aliud exigat. Leges civiles ut plurimum de solo actu externo sunt sollicitae. Aliquando, vel in quibusdam circumstantiis, etiam aliis legibus solo actu externo satisfieri videtur. Casum habes in infante recipiente baptismum, in moribundo sensibus destituto recipiente Extremam Unctionem, in solutione decimarum etc. Caeterum ordinarie leges divinae et ecclesiasticae, nec non obligationes quae ex voto vel poenitentia sacramentali prodeunt, aliquid internum quoque exigunt. Exemplum habes in ieiunio aliisque abstinentiis, quae religiosum motivum et quamdam piam animi dispositionem comitem habere debent. Idem verificatur etiam in Missa audienda, quae attentionem exigit; et in Sacramentis recipiendis, pro quibus dispositiones internae necessariae sunt.

1707. *Quid si lex determinet tempus, quo opus iniunctum praestari debet?*

I. Si lex dicat *statim* vel *continuo* vel *quamprimum*, multi censent sufficere si intra triduum obligatio adimpleatur (*S. Lig. VI.* 266. *et* 856). At vero ex subiecta materia et circumstantiis arbitrio boni viri res erit aestimanda, et forte (maxime si dicat *quamprimum*) maior dilatio licere poterit. *D' Annib. I.* 155).

II. Si lex praecise tempus determinet, illudque latitudinem habeat, v. g., a mane usque ad meridiem (quoad auditionem Missae); a Dominica *Palmarum* usque ad Dominicam *in albis* (quoad Communionem Paschalem) etc.; tunc incoepto tempore, si forte impedimentum praevideatur, antequam illud superveniat, obligationi satisfaciendum erit.

III. Tempus aliquando designatur solum *ad sollicitandam*

obligationem (v. g. quoad decimas solvendas, denuntiationes exequendas, Missas acceptatas celebrandas etc.); et tunc, transacto tempore, obligatio magis magisque urget.

IV. Tempus aliquando designatur ad illud ipsum vel diem sanctificandum; et tunc ut plurimum est *ad finiendam obligationem;* et operis executio, si prius aut postea praestaretur, ad nihil (quoad praeceptum) deserviret. Exemplum habes in ieiuniis ab Ecclesia praeceptis, in festis, in recitatione breviarii etc. Dixi *ut plurimum;* interdum enim non valeret antea, sed valeret postea (ut contingit in Communione paschali); et interdum valeret non solum postea, sed etiam (praeviso impedimento) antea; prout in poenitentia sacramentali et votis contingere potest (*D' Annib. I.* 155).

1708. *Quid si opus praescriptum praestitum fuerit, sed male? Aderitne tunc obligatio illud repetendi?* Distinguendum est.

Non erit repetendum 1° si iam praeteriisset tempus quod ad finiendam obligationem statutum fuisset (ut in praedictis casibus ieiunii, festi etc.); 2° si agatur de obligatione reali (scilicet de re danda), et res male quidem (v. g. coacte), sed effective data fuerit; 3° si accesserit condonatio, remissio, vel utcumque satisfactio partis; 4° si in opere praestito adfuerit quidem defectus, sed non ita substantialis aut tanti momenti, ut credendum sit quod qui obligationem imposuit operis ipsius repetitionem exigat.

Erit autem repetendum si tempus utile adhuc decurrat, agatur de obligatione personali, remissio non accesserit, et defectus substantialis aut nimis gravis fuerit.

1709. *Quid si defectus fuerit quidem substantialis, sed solum quoad partem?* Videndum imprimis an lex positiva expresse exigat ut pars omissa aut invalide praestita postea ponatur (Exemplum habes in Baptismo quod sine coeremoniis privatim administratum fuerit). In aliis casibus, si actio sit divisibilis (ut puta si quis unam horam canonicam invalide recitasset), tunc pars invalide praestita supplenda erit. Si vero non sit divisibilis (ut auditio Missae); tunc aut totum aut nihil (iuxta partis invalide praestitae gravitatem vel levitatem) supplendum erit. Contingere potest etiam quod, si unum idemque opus deserviat ad satisfaciendum duabus legibus, defectus reddiderit invalidam unam et non alteram satisfactionem. Tunc repeti quidem debebit opus, sed solum per quantum necessarium est ut praeceptum non adhuc adimpletum adimpleatur. Exemplum

habes, si quis in Paroecia tempore paschali sacrilege communicasset; ille enim iterum quidem communicare (ad satisfaciendum praecepto Communionis annuae), sed ad Paroeciam redire non teneretur.

1710. *Quinam defectus sunt ita graves, ut legi non fuerit satisfactum, et opus repeti debeat; vel e contra?* Regula generalis dari nequit; sed perpendendi sunt casus particulares. Attamen nonnulla statui possunt; prout in quaestionibus sequentibus:

1711. *Quid si homo, dum opus praeceptum praestat, sit in peccato mortali?*

Praecepta ordinarie etiam in hoc statu adimpleri possunt, ut per se manifestum est.

Imo etsi praecipiatur actus, qui statum gratiae exigat, non semper repetendus erit, eo quod in peccato positus fuerit. Patet ex Missa pro populo, quam Parochus repetere non teneretur, etsi in peccato illam celebrasset. Quod enim principaliter exigitur, est applicatio, quae ex opere operato semper valet; unde tunc per statum peccati substantia rei principaliter praeceptae non destruitur.

Casus itaque in quo, propter defectum status gratiae, opus repeti deberet, esset quando, propter statum peccati, substantia ipsius rei praeceptae vere destrueretur, ut puta, si quis confessionem vel communionem annuam sacrilege peregisset.

1712. *Quid si quis in ipsa operis praescripti executione peccatum committeret?* Respondendum est ut supra. Opus scilicet ita praestitum repeti deberet solum quando peccatum subtantiam illius ita destruxisset, ut homo quod ei praecipiebatur non fecisset. Casus esset si quis toto tempore Missae de praecepto ita confabularet, foeminas inspiceret etc., ut iam ad Missam ipsam nullo modo vel non sufficienter attenderet.

1713. *Quid de defectu intentionis?* Haec quaestio in tribus quaestionibus partienda est; scilicet: Ad satisfaciendum legi 1° exigiturne intentio ponendi opus praeceptum? 2° Exigiturne intentio satisfaciendi legi? 3° Exigiturne intentio satisfaciendi fini legis? Claritatis gratia de singulis seorsim agendum est.

1714. *Ad satisfaciendum legi exigiturne intentio ponendi opus praeceptum?* Affirmative, si, seclusa tali intentione, opus praeceptum iam non poneretur aut poni non posset; saepe enim eadem intentio constituit partem operis praecepti, aut est medium necessarium ad illud ponendum. Hinc non satisfaceret, v. g., si quis obligatus ad Missam applicandam, illam celebraret,

sed applicationis intentionem non efformaret. Item si quis die festo Ecclesiam ingressus ad expectandum amicum, vel ad inspiciendos Ecclesiae ipsius ornatus, animadverteret quidem tunc Missam celebrari, sed illam audiendi nullam intentionem haberet. Item si quis obligatus ad ieiunandum ex voto vel poenitentia sacramentali, nihil de ieiunio cogitans, ex ciborum vel famis defectu, materialiter dumtaxat ieiunaret. Aliud esset si, seclusa etiam intentione, opus praeceptum poni posset. Exemplum habes praecipue in plurimis obligationibus negativis, v. g., non blasphemandi, non furandi, non occidendi etc.; imo etiam in quibusdam obligationibus positivis, maxime non personalibus sed solum realibus; prout contingeret v. g., in solutione debiti, quod absente quoque et inscio debitore, pro eo solvi posset etc.

1715. *Quid si opus praeceptum ex vi et metu positum fuisset?* Loquendo de casibus, in quibus intentio operis praestandi exigitur, et supponendo quod nolens opus ipsum ponere, vi et metu ad illud ponendum adigatur; distinguendum est. Contingere potest enim quod, non obstante vi et metu, voluntas semper remaneat contraria; aut quod e converso vis et metus sint occasio qua voluntas mutetur. Sic, v. g., Titio nolenti ieiunare epulae subtrahuntur; sed ille nihilominus ieiunio non consentit. Caius e contra non vult se conferre ad audiendam Missam, sed quia in carcere vel in hospitali cogitur illam audire, aut quia metu patris vel heri vel magistri se conferre ad Ecclesiam compellitur, Missam audiendi voluntatem concipit. In primo casu praeceptum non adimpleretur; secus in secundo.

1716. *Quid de intentione satisfaciendi legi seu obligationi? Quando scilicet exigitur intentio ponendi opus debitum, exigiturne etiam intentio satisfaciendi obligationi?*

Theologi hodie communissime respondent negative, et dicunt quod, dummodo ponatur opus debitum, obligationes adimplentur non solum quamvis nulla efformata fuerit intentio eas adimplendi, sed etiam quamvis explicite concepta fuisset intentio contraria; ut puta, si quis die festo audiret Missam ex devotione, sive credendo esse diem ferialem, sive volendo postea audire aliam (falso scilicet reputando quod prima ex devotione audita ad satisfaciendum praecepto non sufficeret). Rationem adducunt quia obligationes exigunt opus, non vero intentionem; nec est in potestate nostra obligationibus non satisfacere quando opera debita iam praestantur. Hinc, v. g.,

frustra quis conciperet intentionem non satisfaciendi recitationi breviarii, casu quo futurum sit ut aliqualiter distrahatur.

1717. Haec doctrina verissima est, sed excipi debet casus applicationis, quae vel esset necessaria, vel ad finem diversum exclusive et valide fieret. Me explico.

1718. Applicatio interdum est necessaria; unde, si non efformaretur, aut si excluderetur, iam opus ad satisfaciendum obligationi deservire nequiret. Exemplum habes in poenitentia sacramentali; etsi enim dicere velles (cum quibusdam) pro ista sufficere intentionem seu applicationem habitualem, haec nunquid adesset si exclusa fuisset? Cf. Gury (*Cas. Consc. II.* 521).

1719. Applicatio interdum fieri potest pro fine diverso; et tunc opus pro illo quidem, non vero pro alia obligatione valere poterit. Exempla sunt praecipue sequentia:

1720. I. Casus duarum obligationum; ut puta, si quis die festo, praeter Missam de praecepto, deberet audire aliam ex voto vel poenitentia sacramentali; ille enim, si primam audiret pro voto vel poenitentia, ad audiendam secundam pro lege Ecclesiae adhuc teneretur; et vice versa.

1721. II. Casus indulgentiae; si nempe quis ad lucrandam indulgentiam poneret opus, quod etiam ex lege Ecclesiae, aut ex aliqua alia obligatione, ponere deberet. Generatim enim, quae ad lucrandam indulgentiam applicantur, ad simul satisfaciendum aliis obligationibus deservire nequeunt (*S. C. Indul.* 29 *Maii* 1841 - 10 *Maii* 1844). Dixi *generatim;* adsunt enim aliquae exceptiones.

1722. III. Casus voti; si nempe quis habens obligationem ponendi opus ex voto, illud poneret ex alio fine et cum intentione positiva voto non satisfaciendi.

1723. IV. Casus debiti; si nempe quis deberet alicui, v. g., centum titulo oneroso, et memor huius debiti centum ei solveret titulo gratuito.

1724. V. Idem dicendum mihi videtur, si quis, die festo in mente habens obligationem audiendi Missam de praecepto, aliam prius audire vellet, illam applicando exclusive pro aliquo pio motivo; si enim possum ego (integra remanente obligatione satisfaciendi praecepto) hanc auditionem per votum Deo promittere, cur illam hic et nunc eodem modo praestare non potero?

1725. Ut tamen applicatio operis ad finem diversum priorem obligationem integram relinquat, oportet (ut supra innui) ut vere exclusiva et valida sit.

Ut sit exclusiva, exigitur ut cum satisfactione alterius obligationis sit incompatibilis, sive suapte natura, sive saltem voluntate explicita operantis, qui opus non iam obligatorium, sed prorsus indebitum, ad talem vel talem finem applicare velit. Bene enim contingere potest quod applicatio, quae ita exclusiva non sit, satisfactioni alicuius prioris obligationis minime obstet; unde nihil vetat quominus quis, v. g., satisfecerit Missae de praecepto, quamvis pro animabus purgantibus illam audire intenderit. Hinc qui, falso credens hunc diem esse ferialem, audiisset Missam ex devotione (scilicet intendens bonum opus facere), illamve ad tales vel tales speciales fines compatibiles applicasset, utique praecepto satisfecisset (hanc enim satisfactionem minime exclusisset).

Ut autem sit valida, exigitur ut error nimis momentosus non intercesserit. Exemplum afferunt in eo qui debiti immemor aliquid creditori suo dedisset ex intentione donandi, quod tamen minime fecisset si debiti memoriam habuisset; tunc enim (aiunt) prima intentio solvendi debitum, nunquam retractata semperque habitualiter permanens, secundae intentioni donandi (etsi actuali) praevaleret. Cf. S. Lig. (*III.* 701).

1726. *Exigiturne intentio satisfaciendi fini legis?* Theologi dicunt, finem legis esse duplicem: intrinsecum et extrinsecum. Intrinsecus est ut ponatur opus vel abstinentia (v. g., ieiunium) modo debito; et hoc sensu utique exigi potest intentio (iuxta supra dicta). Extrinsecus est, ut exinde talis vel talis effectus obtineatur (v. g. maceratio carnis ex ieiunio); et hoc sensu finis legis neque cadit sub praecepto (nisi quatenus in opere ipso necessario includatur et sic intrinsecus evadat), neque oportet ut de illo ulla intentio efformetur; imo lex ne vetat quidem ut (semper ac opus praescriptum ponatur) fini extrinseco intentio positive contraria habeatur. Hinc, quamvis aliquis in prandio cibis valde substantiosis et lautis uteretur, ut nullum incommodum nullamque carnis macerationem ex ieiunio experiretur, nihilominus legi ieiunii satisfaceret. Cf. Salmant. (*XI.* II. 147).

1727. *Daturne facultas aut obligatio opus praescriptum commutandi in aliud?*

Qui opus praescriptum exequi potest, nequit privata auctoritate illud commutare in aliud.

Si autem illud exequi nequiret; tunc, loquendo de legibus, non ad commutationem, sed ad nihil teneretur. Hinc, v. g., qui nequit die festo audire Missam, aut in vigilia ieiunare, aut

breviarium recitare etc.; haec opera in aliis commutare non obligatur. Dixi *loquendo de legibus;* secus enim dicendum esset de quibusdam aliis obligationibus, v. g., de legatis piis etc.

1728. *Quid si quis opus praescriptum non posset adimplere totaliter, sed posset in parte?* Teneretur ad partem sibi possibilem sub sequentibus conditionibus; oportet enim

I. Ut pars (omnibus perpensis) sit ita possibilis, ut obligationis impositioni nihil obstet. Sic, v. g., in recitatione Horarum Canonicarum aliud esset si ex infirmitate et aliud si ex defectu breviarii solum pars recitari valeret; in primo enim casu impositioni obligationis obstare posset difficultas partem ipsam determinandi et periculum anxietatis et scrupulorum; non item in secundo.

II. Ut vel res quae praecipitur divisionem congruam, et non alienam a mente illius qui obligationem imposuit, subire possit; vel pars possibilis substantiam rei praeceptae in se contineat. Hinc qui debet solvere centum, et potest tantum solvere decem, decem solvere tenetur. Obligatus ad ieiunium, si nequeat ieiunare totâ quadragesimâ, debet ieiunare pro parte qua potest. Qui nequit ieiunare, sed potest abstinere a carnibus. ad hoc tenetur. Coniugatus habens votum castitatis, reddere debet, sed nequit petere. Qui die festo nequit audire Missam integram, sed solum a consecratione usque ad finem, hanc partem substantialem audire debet. E contra si obligatus ad piam peregrinationem posset solum illam incipere, ad hoc non teneretur. Idem dic si debens ex voto aedificare templum vel offerre statuam, posset solum aedificare murum, vel dare statuae brachium. Idem dic etiam si pars possibilis esset merus modus aut mera appendix. Sic qui vovit peregrinari cum cilicio ad sanctam Domum Lauretanam, ibique Missam celebrare aut aliquid offerre, si forte peregrinationem suscipere nequiret, minime deferre cilicium aut Missam celebrare aut oblationem mittere teneretur. *S. Lig.* (*III.* 225). Idem dic denique si pars possibilis esset accidentalis in re quae divisiones congruas non pateretur. Sic qui die festo posset solum audire extremam partem Missae post Communionem; vel obligatus ad Horas Canonicas posset solum recitare unum vel alterum psalmum; ad haec non teneretur.

ARTICULUS XI.

DE CAUSIS QUAE AB OBLIGATIONE ALIISQUE LEGIS EFFECTIBUS EXCUSANT.

1729. *Imprimis hoc in puncto suntne faciendae distinctiones?* Distinctio principalis est sequens. Aliud est quod cesset lex; et aliud quod, durante lege, effectus illius pro aliquibus cessent. Praeterea hi effectus cessare possunt dupliciter; scilicet 1. per exemptionem; 2. per excusationem. Exemptio efficit ut personae particulares a dominio legis subtrahantur; prout accidit, interveniente privilegio, vel dispensatione; aut dum aliqui eximuntur a legibus positivis propter aetatem vel dementiam continuam, vel absentiam extra territorium etc. Excusatio autem non iam subtrahit personam a dominio legis, sed solum efficit ut qui remanet subiectus legi, ex aliqua causa per accidens aliquando excusetur, et sive culpam sive poenam etc. non incurrat. In hoc articulo de his postremis causis, scilicet excusantibus, agam. De aliis postea.

1730. *Quaenam sunt, vel esse possunt, causae excusantes?* Reducuntur ad duas. Prima est ignorantia; ad quam reducitur error, oblivio, inadvertentia. Altera est impotentia sive physica et absoluta, sive moralis; ad quam reducuntur varia incommoda, metus etc.

1731. *Cur fit distinctio inter exemptionem et excusationem?* Quia effectus utriusque diversi sunt. Sic, v. g., facilius exemptionem et difficilius excusationem sibi vel alteri procurare licet. Insuper exemptio aufert peccatum non solum formale, sed etiam materiale. Excusatio autem ut plurimum peccatum materiale relinquit. Hinc ad ponendum actum legi contrarium personam exemptam inducere licet semper; excusatam vero non semper; unde poterit quidem consilium dari alicui ut petat dispensationem pro esu carnis, eaque obtenta ad esum ipsum eum impellere; sed personae non dispensatae cibos esuriales auferre ut cogatur vetitis se nutrire, aut ei ignoranti hodie esse vigiliam de carnibus comedendis consilium dare minime licebit.

§ I.

Quomodo ab effectibus legum excuset ignorantia, error, oblivio, inadvertentia et dubium.

1732. *Ignorantia excusatne ab omnibus legis effectibus?* Negative; sed facienda est distinctio inter culpam, poenam, et inhabilitationem, atque annullationem alicuius actus.

1733. *Ignorantia excusatne a culpa?* Utique; dummodo tamen obligatio illam dissipandi non adfuerit atque in mentem non venerit. Tenetur siquidem unusquisque 1. scire praecepta Dei et Ecclesiae quae passim urgent atque ab omnibus observari debent; 2. cognoscere munera proprii status et modum obligationibus susceptis satisfaciendi; 3. in dubio an aliquid liceat, consilium petere. In his casibus ignorantia dicitur vincibilis, voluntaria, imputabilis; et certe a culpa non excusat; ipsa quippe ignorantia tunc culpa est. *Cf. n.* 1670.

Notandum quod ignorantia potest excusare a culpa diversis modis; scilicet 1. si versetur circa legem, dum scilicet quis legem ipsam ignorat (quo casu dicitur *ignorantia iuris*); 2. Si versetur circa factum, dum scilicet quis cognoscit quidem legem, sed ex errore facti, non credit se peccare contra legem (quo casu dicitur *ignorantia facti*); et exemplum habes si quis occideret hominem credendo occidere feram. 3. Potest esse *totalis* vel *partialis*. Ignorantia partialis excusat solum in parte (ut per se patet), et exemplum habes in eo qui accedit ad coniugatam, sciendo quidem illam esse non suam, sed ignorando esse coniugatam.

1734. *Potestne dari ignorantia invincibilis et inculpabilis circa praecepta iuris naturalis?*

Hodie Theologi dicunt, huiusmodi ignorantiam dari non posse circa suprema legis naturalis principia eorumque proximas conclusiones, cuiusmodi sunt praecepta Decalogi (*cf. S. Lig. I.* 170). At vero haec doctrina cum hac extensione sic absolute prolata veritati conformis non videtur. Innumeri christifideles fatentur se iamdiu remansisse in ignorantia circa vetita in sexto praecepto; speciatim quoad mollitiem solitariam, atque inordinationes in usu matrimonii. Imo S. Thomas (*De malo III.* VIII) scripsit: « Si ignoretur deformitas, puta cum quis « nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit « fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum ». Idem dicit Sanchez (*Dec. II.* I. 8).

Ego itaque dicerem, ignorantiam inculpabilem circa praecepta naturalia dari posse: determinare autem ubi detur et ubi non detur, vix possibile esse; unde in praxi standum erit conscientiae poenitentis. Certe tamen facilius datur circa conclusiones a primis principiis valde remotas, atque ubi circumstantiae valde complicantur; unde saepe aliqui phylosophi quoque atque theologi credunt non adesse obligationes, ubi obligationes ipsae ab aliis recognoscuntur et forsan revera adsunt. Difficilius dabitur ignorantia circa illa, quae, attento etiam solo lumine rationis, ita clara sunt, ut a viris doctis (speciatim catholicis) sine ulla controversia admittantur. Aliquando tamen indocti, ignorando rationes quibus docti moventur, vel accipiendo pro validis rationibus ea quae doctis sophysmata apparent, credunt non adesse obligationes, ubi revera adsunt. Hunc autem effectum producere possunt speciatim sequentia: 1. interventum alicuius circumstantiae hallucinantis, (unde, v. g., mnlti credunt licitum esse mentiri, aut etiam iurare falsum, ad salvandum aliquem a morte); 2. Defectus instructionis (speciatim in surdis-mutis); 3. Instructio falsa quae habita fuerit; multo magis si doctrinae falsae valde obviae et communes evasissent; 4. Publica corruptio morum seu barbaries; 5. Ingenii debilitas, aetas puerilis, et speciatim si quis esset semifatuus.

Advertendum est denique quod interdum ignorantia aut non diu perdurat; aut non est invincibilis prorsus, quatenus scilicet aliquod dubium, aliquis remorsus, aliqua temere agendi formido, (non sine cognitione aliqualiter peccandi) intervenire posset. Attamen sola erubescentia naturalis non sufficit, ut cognitionem peccandi adfuisse decernatur; quaedam enim erubescentiam pariunt et clam fiunt, etsi licita sint, ut notat S. Lig. (*La Monac. sant. XVIII.* i. 14). Cf. Praxis (*Ed. I. n.* 1113).

1735. *Ignorantia excusatne a poena?* Imprimis distinguendum est an de innocente, an vero de reo agatur.

1736. Innocens qui, propter ignorantiam vel quodlibet aliud motivum, vere non deliquerit, poenam subire non deberet. Rationes tamen alterius ordinis exigere possunt, ut illam subeat, quatenus nempe iustitiae ministris resistere non licet. Imo in ipsis poenis spiritualibus dantur casus, in quibus immerito excommunicati vel suspensi, ad vitandum scandalum, tamquam tales se gerere debeant.

1737. Reus autem, per se loquendo, non excusatur a poena eo quod illam ignoraverit; quandoquidem culpa quidem a no-

bis, sed poena a superiore pendet. Alioquin infideles, qui nescirent adesse poenam inferni, ab illa eximerentur.

1738. Nihilominus adsunt aliquae poenae, quae (non obstante reatu) minime incurruntur, nisi cognitae fuerint; quia scilicet ipse legislator sic statuit. Hinc Theologi distinguunt inter poenas vindicativas et medicinales. Vindicativae sunt, quae in poenam delinquentis atque ad aliorum terrorem imponuntur; et istae nullam praeviam ipsarum notitiam exigunt. Exemplum habes in suspensione *ab homine*, quae, non praemissa monitione, ad meram poenam infligatur. Medicinales autem sunt quae eo fine statuuntur, et sive a iure sive ope particularis monitionis intimantur, ut subditi, poenam prae oculis habendo, a delicto abstineant atque ab inobedientia et contumacia compescantur, ut bene explicat Suarez (*Tom. V. in* 3 *part. D. IV. Sect. IX. n.* 19. 20). Huiusce generis sunt excommunicationes, aliaeque poenae ecclesiasticae, quae ad modum censurae latae fuerint; unde Cap. II. de Constit. in 6° dicitur: « Ut animarum « periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Or- « dinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes ». Exigitur tamen ordinarie ut ignorantia non fuerit crassa et supina (seu facile vincibilis), vel affectata (scilicet voluntarie retenta ad liberius agendum). Sed de his in tractatu de censuris distinctius agendum erit.

1739. *Ignorantia circa inhabilitationem vel nullitatem actus excusatne ab inhabilitatione vel nullitate ipsa?*

Aliqui (ut videre est apud Sanchez *De matr. IX.* XXXII. 20-50) id concedunt, quando inhabilitatio vel annullatio rationem poenae aliquo modo habeant, prout contingeret in irregularitatibus ex delicto, in impedimento criminis, in casuum reservatione, in privatione petitionis debiti coniugalis ob incestum etc. Utique si ratione ignorantiae delictum fuisset mere materiale, inhabilitates huiusmodi non contraherentur. Supposito tamen delicto formali, an admitti possit doctrina quod sola ignorantia irregularitatis, impedimenti, vel reservationis etc. ab his quasi-poenis incurrendis excuset, suis locis videbimus.

Certe in aliis casibus ignorantia et bona fides nihil suffragatur, et nullo modo efficere potest ut evadat validum id quod vi legis invalidum est, aut reddatur aptus ille, qui vi legis ineptus est. Exemplum habes in matrimonio contracto cum aliquo alio impedimento dirimente, in irregularitatibus ex defectu etc.

1740. *Quid de errore, oblivione et inadvertentia?* Salmanticenses (*XVIII. IV.* 10) dicunt: « Oblivio, inadvertentia, et

« ignorantia invincibilis (*idem dic de errore*), sicut equipa-« rantur in ordine ad excusandum a culpa, ita etiam in ordine « ad excusandum a poena ». Ita docent quoque alii passim cum S. Lig. (*l.* 169).

1741. *Ab effectibus legis excusatne dubium aut opinio quod illa non adsit?*

I. *Quoad culpam*, dubium (nisi ope reflexionum vel inquisitionum tandem deponi possit et reapse deponatur) non excusat. Et quidem homo agens cum dubio (propter periculum legem violandi) peccaret, etsi lex illa de facto non adesset; unde, durante dubio vel durantibus inquisitionibus, unusquisque tamquam obligatum se gerere deberet. Opinio autem deservire posset (superadditis principiis indirectis atque operanti certis) ad deponendum dubium, et sic ad excusandum. Attamen, si lex revera adesset, peccatum materiale semper remaneret. Sed haec omnia melius explicabuntur in Tractatu de conscientia.

II. *Quoad poenam*, dubium (quod ante delictum conceptum fuerit) efficere potest, ut ignorantia evadat nedum vincibilis, sed etiam crassa et supina, vel affectata; unde non amplius excuset ab iis poenis, a quibus ignorantia excusaret (iuxta supra dicta *n.* 1738). Attamen quaedam censurae ita latae sunt, ut cognitionem perfectam exigant; unde ignorantia quaelibet ab iisdem incurrendis excuset (ut suo loco videbimus). Opinio autem, si esset quoque apud interpretes, efficeret ut lex ipsa evaderet dubia, et proinde tunc ordinarie, ex regula: - *Odia sunt restringenda* -, pro exclusione poenae stari deberet. (*Cf. n.* 1647). Si vero lex esset clara, et opinio (utique erronea) esset solum in agente; tunc a formidine de opposito et a facilitate inquirendi (scilicet ab existentia vel non existentia praedictae ignorantiae crassae et supinae) decisio penderet.

III. Quoad *annullationem actus vel inhabilitationes*, dubium particulare (et idem dic de opinione privata) nihil suffragatur; et, si actus sit revera nullus, vel persona sit revera inhabilis, res (non obstante tali dubio) semper in eodem statu remanent. Idem dic de opinionibus interpretum, si essent contra ius naturale aut divinum. In iure positivo autem opiniones istae (si sint probabiles et valde diffusae) efficere possunt, ut, pro communi bono et ne tot actus invalidi sint, lex cesset. Exemplum habes in reservatione, in impedimentis matrimonii etc., unde dici solet quod in opinionum probabilitate supplet Ecclesia. Sed haec omnia suis locis melius declarabuntur.

IV. Dum autem quis serio dubitat an poenam (v. g., excom-

municationem, suspensionem etc.) vel irregularitatem etc. iam incurrerit, se tamquam poena ipsa vel irregularitate etc. affectum (donec, per congruas inquisitiones, et reflexiones certitudinem licite agendi non acquisierit) considerare debet.

§ II.

Quomodo a legum effectibus impotentia et difficultates excusare possint.

1742. *Quot sunt speciales impotentiae et difficultatum species?* Impotentia potest esse absoluta et moralis. Absoluta subdistinguitur, quatenus propter duas leges incompossibiles, aut propter physicam impossibilitatem, obligationi alicui satisfieri nequeat. Impotentia moralis autem confunditur cum difficultate, si sit gravis aut gravissima. Levis difficultas non dicitur quidem impotentia, sed aliquando illa quoque excusare potest, ut infra videbimus.

1743. *Quid de impotentia propter duas leges incompossibiles?* I. Haec contingit solum in casu stricto, quando scilicet leges contrariae ita simul eodem tempore concurrunt, ut homo, si observet unam, aliam observare nequeat, et casum declinare non possit, aut saltem non teneatur.

1744. II. Quaestio itaque locum non haberet, si casus declinandus esset. Exemplum habes in parocho, cui invalide ex vitio occulto paroecia collata fuisset, qui ad vitandum scandalum Sacramenta Poenitentiae, Matrimonii etc. administrare deberet, simulque (eo quod illicitum sit cum solo titulo colorato iurisdictionis actus exercere) deberet quoque a tali administratione abstinere. Ille quippe, paroeciam resignando vel sanationem implorando, casum evitare teneretur.

1745. III. Videndum etiam an aliqua ex parte lex observari possit. Exemplum habes in eo qui cum voto castitatis matrimonium contraxit. Ille enim, ad servandam iustitiam, debitum reddere; sed, ad servandum pro parte possibili suum votum, a debiti ipsius petitione abstinere, debebit.

1746. IV. His praemissis, quaestioni propositae responderi debet distinguendo utrum (omnibus perpensis, et prudenti, si tempus suppetat, consideratione adhibita) lex una praevaleat alteri; an vero ambae obligationes sint aequales vel (quod practice in idem recidit) distingui nequeat qualis praevaleat.

1747. V. In primo casu observari debebit lex praevalens. Sed circa istud duo notanda sunt.

1° Ordinarie lex naturalis divinae positivae, divina ecclesiasticae, ecclesiastica civili praevalet. Item bonum religionis bono reipublicae, bonum publicum bono privato, et virtutes altioris ordinis virtutibus inferioris ordinis (v. g., iustitia charitati) praevalent. Hinc, v. g., sigillum sacramentale, non obstante ruina reipublicae; et secretum commissum, non obstante morte innocentis, servari deberet. Eucharistia ministranda est moribundo, quamvis non sit ieiunus. Superiores multa mala dissimulare debent, ne peiora sequantur. Sacramenta peccatoribus occultis publice petentibus ministranda sunt. Coniugibus impotentia dubia laborantibus, non obstante periculo fornicationis (utique tunc non directe volitae) conceditur triennium ad experiendum (quia, scilicet secus alia mala gravissima sequerentur, neque de huiusmodi matrimoniorum validitate aut invaliditate decretorium iudicium ferri posset). Idem dic de usu coniugii in dubio invincibili de valore ipsius; publicum enim et domesticum bonum exigit ut potius dubiae (et non directe volitae) fornicationes permittantur, quam ut matrimonia ista dissolvantur, aut usus matrimonii in his casibus interdicatur.

2° Non semper verum est quod lex superioris ordinis legi ordinis inferioris praevaleat; gradus enim obligationis potest esse ita diversus, ut lex superioris ordinis, quae casu aliquo levissime obligaret, cedere debeat legi inferioris ordinis, quae gravissime obliget. Exemplum habes in auferente per vim ensem volenti hic et nunc aliquem occidere; tunc enim charitas levi illi iniustitiae praevaleret.

1748. VI. Si autem obligationes contrariae hinc inde aequalis ponderis forent, aut quaenam praevalens esset non distingueretur; tunc stricta *perplexitas* interveniret, et homo pro lubitu suo alterutri satisfacere posset, atque deberet. Exemplum habes in illo qui mane sanus ex devotione Eucharistiam sumpsit, atque eodem die repentino morbo correptus, in periculo mortis versetur. In huiusmodi enim circumstantiis, quum aeque videatur urgere ex una parte praeceptum Viatici; et ex alia praeceptum non communicandi bis in die, eo quod Viatico verisimiliter iam fuerit satisfactum; integrum erit moribundo se gerere prout voluerit. *Benedict. XIV* (*De Syn. VII.* XI. 2).

1749. *Quid de impotentia physica?*

I. Impotentia physica contingit quando quis, ex causa sive ab extrinseco proveniente, sive in se ipso existente, ad aliquid faciendum vel omittendum prorsus et absolute cogitur.

II. *Quoad culpam*: Impotentia huiusmodi certe a culpa exi-

mit; ad impossibile enim nemo tenetur. Attamen 1. reatus adesse posset in causa; 2. impotentia partialis non excusat a toto, iuxta supra dicta (n. 1745); 3. impotentia physica, quae causetur vel resideat in corpore, stare posset simul cum culpa in voluntate, si nempe voluntas consentiret dum repugnare deberet.

III. *Quoad poenam :* Deficiente culpa, deficere quoque poenam, manifestum est. An autem, propter reatum in causa, aliqua censura incurri possit, videbimus suo loco. Certe, propter solum consensum internum, censurae non incurruntur; censura enim potissimum actus fori externi est. *Bucceroni* (*De Censur. n.* 14).

IV. *Quoad effectum legum irritantium vel inhabilitantium:* Impotentia physica regulariter non excusat. Hinc mulier vi oppressa ab impedimento affinitatis non eximitur. Dixi *regulariter;* quandoquidem 1. Quaedam leges irritantes cessarent, si impotentia absoluta in loco redderetur communis atque duratura, et sic lex in destructionem redundaret. Exemplum habes in impedimento clandestinatis, si Parochi omnes aufugissent nec essent redituri. 2. Quaedam irregularitates in delicto formali fundantur; unde, si propter vim physicam illatam culpa defuisset, illae quoque cessarent.

1750. *Quid de impotentia non physica sed solum morali quoad excusationem a culpa?*

I. In quibusdam legibus, sive propter rei naturam, sive propter maximam summi rigoris necessitatem, sive propter periculum hallucinationis, oportet ut impotentia, quae moralis sit tantummodo, nunquam excuset; unde, non obstante sacrificio vitae aut alio quovis malo, lex observari debeat. Exemplum habes in blasphemia, in violatione sigilli sacramentalis, in mendacio, in periurio, in fornicatione, in mollitie, in occisione innocentis etc. Attamen ad solos casus directe volitos talis ac tantus rigor extenditur.

1751. II. In aliis legibus (non solum humanis sed etiam divinis et naturalibus) impotentia moralis (ne gravamen immodicum aliam praeponderantem producat inordinationem) excusare solet; sed aliter et aliter, atque cum multis (et aliquando magnis) differentiis inter casum et casum. Interdum excusat solum incommodum gravissimum (v. g., mortis aut mutilationis). Exemplum habes in ablatione rei alienae, invito domino: quae solum in extrema necessitate (saltem si agatur de re notabilis valoris) licita esse potest. Ordinarie autem excusat incommodum plus vel minus grave. Exemplum habes in praeceptis ieiu-

nii, abstinentiae a carnibus diebus vetitis, auditionis Missae, recitationis breviarii, et generatim in mandatis Ecclesiae; unde dici solet; « *Ecclesia non obligat eum gravi incommodo* ». Idem dic de pluribus legibus divinis aut naturalibus, ut puta quoad abstinentiam ab operibus servilibus die festo, integritatem confessionis, restitutionem, adimpletionem voti, charitatem etc. Denique interdum excusat etiam incommodum leve; interdum enim si obligatio levissima et materia levissima foret, causa aliqua, quae superaddatur (etsi non gravis), culpam illam levissimam ad nihil reducere posset.

1752. III. Quum autem distinctiones istae nimis generales et vagae sint, atque sive nimio rigori, sive nimiae laxitati aditum dare possint, aliae regulae pro praxi suppeditari debent.

1753. *Prima regula.* Quum agatur de rebus, quae ope ratiocinii vix ac ne vix qnidem praecise determinari possunt, standum est sensui communi, et praxi proborum. Si enim in loco sensus communis dictet quod non obstante tali vel tali incommodo (forte etiam valde gravi vel gravissimo), aliqua lex observari debeat; quatenus, si secus fieret, scandalum sequeretur; tunc incommodum illud certe non excusaret; unde bene interdum fallere posset praedictus aphorismus: — Ecclesia non obligat cum gravi incommodo —.

1754. *Secunda regula.* Solum incommodum intrinsecum, quod scilicet in opere praecepto ordinarie vel necessario includitur, excusare nequit. Idem dic si idem incommodum intrinsecum, adaugeretur quidem, sed ita ut ea de causa exceptio constitui nequeat; quatenus, si constitueretur, propter periculum hallucinationis, lex ad nihil vel fere nihil reduceretur. Exemplum habes in verecundia confessionis integritatem comitante; quae excusare nequiret, quamvis forte in his vel illis poenitentibus extraordinaria prorsus et gravissima foret. Aliud esset de aliis incommodis accidentalibus, prout, v. g., contingere posset in confessione valde prolixa in infirmo, cum periculo ne morbus ingravesceret etc.

1755. *Tertia regula.* Causa (saltem proxima), quae iam in se ipsa culpabilis et reprehensibilis sit, excusare non potest. Exemplum habes in lucro illicito (pro quo, v. g., Missa praetermittatur), vel in illis respectibus humanis, qui a bonis christianis nunquam haberi debent. Aliud esse posset si non iam ageretur de verecundia se ostendendi christianum, sed de timore aliorum malorum, quae incommodum vere grave et extraordinarium, et pro omnibus sufficiens ad excusandum, constituerent.

1756. *Quarta regula.* Considerandae sunt circumstantiae. Sic, v. g., aliud est si agatur de lege positiva quae in pleno vigore sit, atque in loco diligentissime observetur (tunc enim ad excusandum causa maior exigitur); et aliud si lex ipsa iam communiter infringeretur eiusque observantia iam fere omnino collapsa esset. Speciatim autem considerari deberet circumstantia scandali, maxime vero si in legis ipsius (sive divinae sive ecclesiasticae) contemptum opus vetitum praecise exigeretur; tunc enim non de sola lege violanda, sed de contemnendo Deo ipso vel Ecclesia, res esset; et talis contemptus facto ipso demonstraretur. Hoc autem Theologi dicunt nunquam (ne ad vitam quidem salvandam) licitum esse posse; quod verum est, saltem si protestatio in contrarium (protestando scilicet quod opus vetitum ad vitanda mala comminata, non vero ad contemnendum Deum vel Ecclesiam, ponitur), non emitteretur; aut si honor Dei vel Religionis omnino clamaret protestationem illam non sufficere, et mortem potius omnino sustineri debere. Aliud pariter esse solet si de praeceptis negativis (v. g., non surripiendi res alienas, non dandi scandalum etc.); et aliud si de positivis (v. g., restituendi, corrigendi peccatorem etc.) agatur; negativa enim strictius positivis (in quibus maius inesse solet incommodum) obligant.

1757. *Quid de impotentia morali, et speciatim de metu incusso, quoad excusationem a poena?*

I. Si hac de causa cesset culpa, poena quoque (per se loquendo) cessare debet.

II. Si vero culpa adhuc remaneret, tunc iure naturae reatus poenae non destrueretur (ut per se patet). An autem iure civili vel ecclesiastico poena subiri debeat, a voluntate legislatoris decisio pendet. Poenas ecclesiasticas non incurri, si delictum ex metu gravi, iniusto, et incusso ad hoc, perpetratum fuerit, hodie theologi docent communiter. Attamen haec regula ad minus pluribus exceptionibus subiicitur, ut theologi ipsi fatentur (*cf. S. Lig. VII.* 46. *et Reiff. V.* xxxix. 34); et cl. Bucceroni (*De Censur. n.* 34) dicit non facile determinari posse quibus in casibus censura incurratur vel non incurratur. Sanchez autem (*De Matr. IX.* xxxi. 4) aperte dicit quod sententia in huiusmodi casibus excusans a poena, pietate quidem plena est, sed nulli solido fundamento innititur. Certe Clemens III. (*C. Sacris De iis quae vi*) sic decrevit: « Distinguimus « autem utrum is, qui communicat excommunicatis invitus, « sit per coactionem adstrictus, aut per metum inductus. In

« primo casu (*scilicet coactionis*), talem non credimus excom-« municatione teneri, cum pati magis quam agere videatur. In « secundo (*scilicet metus*), licet metus attenuet culpam, quia « tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat « quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe cre-« dimus inquinari ». Quidquid sit de hoc, certum est quod aliae quoque poenae ecclesiasticae, metu gravissimo nihil suffragante, interdum inflictae fuerunt. Cap. *Si quis coactus XXII. q. V.* legitur: « Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet « causa vel necessitate, periurat, quia plus corpus quam ani-« mam dilexit, tres quadragesimas poeniteat ».

1758. *An impotentia moralis excuset in legibus irritantibus?* Negative; patet enim manifestissime quod in legibus irritantibus intentio legislatorum est, ut epicheis non subiiciantur. Illae (propter commune bonum) irritant actum directe, ita ut sola dispensatio ipsarum effectum tollere possit; unde *inexorabiles* dici solent. Hinc si volens uxorem ducere suam consanguineam cogeretur metu mortis ante dispensationis adventum contrahere matrimonium cum illa, invalide contraheret. Duae dumtaxat esse possunt exceptiones; scilicet 1. Si ab ipso legislatore eiusve successoribus sive expresse sive tacite cautum fuisset, ut in tali vel tali casu moralis necessitatis (prout in reservationibus, in absolutione complicis etc., ut suis locis explicabitur) actus valeret. 2. Si impotentia moralis ita communis evasisset, ut lex tamquam bono publico noxia amplius valida esse non posset. Gury (*I.* 136). Quando autem lex communi bono utilis perdurat, ad consulendum casibus particularibus sufficere censentur dispensationes; quae tamen, occurrentibus circumstantiis urgentissimis, interdum dari possunt etiam a superioribus localibus, v. g., Episcopis vel Parochis. Exemplum habes in dispensatione impedimenti dirimentis, si, dum omnia ad proximum matrimonium iam sunt parata, detegeretur etc. S. Lig. (*VI.* 613. *et* 1122).

1759. *An impotentia moralis excuset in legibus inhabilitantibus quidem sed solum quoad licitum?* Casus iste contingere potest, v. g., in excommunicatis, suspensis, interdictis, irregularibus, detentis (quoad matrimonium) aliquo impedimento solum impediente, vel privatis petitione debiti coniugalis ob incestum etc. Utique impotentia moralis (scilicet extraordinaria necessitas deveniendi ad actus, propter excommunicationem, suspensionem etc., prohibitos) efficere potest aliquando ut dispensatio praesumpta sufficiat, et aliquando ut vera excusatio constitua-

tur; ita tamen ut circumstantiae attente considerari debeant; magna enim diversitas inter casum et casum facile intervenit, et saepe (prout in propriis locis melius explicari debebit) difficultas quae in uno casu sufficit, in alio insufficiens esse potest. Cf. quoad excommunicationem, Pallottini (*v. Irregular. n.* 75) et S. Lig. (*VII.* 158. 185); quoad suspensionem, S. Lig. (*VII* 313); quoad interdictum, S. Lig. (*l. c.* 334); quoad irregularitates, S. Lig. (*l. c.* 342); quoad impedimenta impedientia, Gury (*II.* 735. 740); quoad privationem petitionis debiti, S. Lig. (*VI.* 930).

ARTICULUS XII.

DE CAUSA EXIMENTE MIGRANDO AD LOCUM UBI LEX NON VIGET.

1760. *Quo sensu hic intelligi debet quod aliqua lex alicubi non vigeat?* Intelligi debet quatenus lex ecclesiastica non vigeat etiam pro catholicis; si enim lex (v. g., ieiunii) alicubi non observaretur, solum quia infideles vel haeretici illuc degerent; tunc catholici, qui illuc se conferrent, nullam ex tali inobservantia exemptionem habere possent. Caeterum nihil referret sive particularis sive generalis esset lex, quae vigeret in patria, et extra non.

1761. *Quot modis discessus a patria contingere potest?* Distinctio principalis est an discessus in fraudem legis, an vero sine ulla fraude, contingat. Dicitur *in fraudem legis* quando quis a patria eo solo motivo recedit ut legi se subtrahat, ea scilicet intentione ut legis ipsius oneri et incommodo non subiiciatur; dum, si lex non adesset minime discederet. Deinde contingere potest quod quis recedat ante inceptum tempus o-obligationis; vel quod recedat aut redeat decurrente tempore obligationis ipsius. Contingere potest denique quod quis extra patriam satisfaciat legi, et postea, rediens in patriam, legem ipsam cui iam satisfecit inveniat, quae illuc serius urgeat. De his singulis casibus aliquid dicam, et incipiam a casibus in quibus discessus minime in legis fraudem contigerit.

1762. *Quid itaque si quis ante inceptum tempus obligationis sine fraude legis a patria discedat?* Potest licite discedere; lex enim obligat illos qui sunt in territorio; non vero obligat quemquam ut in territorio remaneat. Discessu autem secuto, ad nihil tenetur iuxta hypothesim, uti patet.

1763. *Quid si quis sine fraude legis discedat, decurrente*

tempore obligationis, vel, illo non adhuc finito, redeat? Regula generalis est quod dum quis in patria degit, patriae legem observare tenetur; et solum excipiendi sunt casus, in quibus ipse discessus creet rationem specialem, propter quam ad legem observandam teneri non possit. Sed hoc explicatione indiget.

1764. *Quales sunt isti casus, in quibus propter discessum constituitur ratio specialis, quae a lege in patria observanda liberet?*

Primus est *si obligatio reddita fuerit impossibilis*, prout contingeret in ieiunio quoad unicam comestionem; nempe 1. Si quis, incoepto iam die ieiunii, pergere vellet ad locum ubi non ieiunatur; quum enim illuc plures comestiones facere possit, iam ex hoc ipso ad unicam comestionem eo die obligari nequit; et proinde etiam ante discessum abunde manducare poterit. 2. Si quis extra patriam ieiunium fregerit; rediens enim in patriam, ad ieiunium (quod iam fractum fuit) amplius obligari nequibit.

1765. Secundus casus est *si exemptio subsecutura, per recessum a patria, satisfactionis locum tenere debeat.* Exemplum habes si quis horis matutinis festi localis recessurus esset a patria; ille enim certe sciens se eo die (ante finem obligationis) evasurum esse prorsus exemptum ab onere audiendi Missam, illam in patria audire non tenebitur; perinde enim esset ac si quis haberet debitum solvendi centum scutata intra aunum, atque sciret se ante finem anni plenam remissionem obtenturum fore. (*Laymann I* IV. XI. 6), Ad summum posset intervenire aliqua difficultas, si in patria adhuc esset, dum ultima (etsi longe ante meridiem) legeretur Missa. Dixi *ad summum;* Ballerini enim (*Opus Theol. I.* 189) contra S. Lig. (*I.* 157) ne hoc quidem verum esse credit.

1766. Tertius casus est *si extra patriam satisfactio iam intervenisset;* non enim convenit quod quisquam bis eidem praecepto satisfacere teneatur. Sic qui, occurrente festo locali, audivit Missam extra patriam (si consuetudo sit ut sic etiam praecepto satisfiat), rediens in patriam, aliam Missam audire non teneretur. Idem dic de Gallo qui degens in Italia ieiunasset in vigilia S. Petri; ille enim non teneretur iterum ieiunare in Gallia, ubi haec vigilia ad sabbatum sequens transfertur.

1767. *Quid si ex discessu nulla ex huiusmodi rationibus constitueretur?*

Tunc, tam ante discessum quam post reditum, decurrente tempore obligationis, standum esset regulae generali (ut dixi *n.* 1763), et lex observari deberet. Hinc 1. qui, decurrente ie-

iunio locali, redit in patriam ieiunio non fracto, ieiunare tenetur; 2. Ieiunio autem fracto aut frangendo extra patriam, ante discessum vel post reditum poterit quidem in patria alias comestiones superaddere, sed a carnibus abstinere debebit. 3. Si de die festo ageretur, poterit quidem quis ante discessum horis matutinis abstinere a Missa audienda (ut dixi); sed neque ante discessum neque post reditum operibus servilibus incumbere posset; et, si rediret in patriam ante meridiem, Missam (si adhuc adesset) audire teneretur etc.

1768. *Quid de discessu in fraudem legis?*

Tunc, ad minus in duobus casibus, lex ex territoriali evaderet personalis; scilicet 1. quoad impedimentum clandestinitatis (iuxta dicta *n.* 1026), ut patet ex declaratione S. C. C. confirmata ab Urbano VIII.; 2. quoad reservationem dioecesanam (iuxta dicta *n.* 100), ut patet ex Const. *Superna* Clementis X.

1769. In aliis casibus multi censent, cum S. Lig. (*I.* 152. *et III.* 1046), discessum in fraudem non impedire quominus qui sic discedit a legis obligatione vere liberetur. Dicunt illum uti iure suo. De veritate huius doctrinae ego valde dubito; communi enim Christifidelium sensui contraria esse videtur, et Benedictus XIV (*De Syn. XIII.* IV. 10) censuit illam admitti non posse, quia cum praedictis decretis et sensu S. C. componi nequit; Sacra Congreg. enim et Urbanus VIII non iam novam legem constituere, sed solum ad casum practicum leges iam praeexistentes et iuris principia applicare intenderunt. Revera iuris principium semper fuit quod fraus nemini patrocinari debet.

1770. Ut tamen dici possit quod quis vere in legis fraudem discessisset, oportet ut motivum quo se determinavit ad discedendum fuerit reapse et praecise evitatio oneris vel incommodi legis ipsius, ita ut, si talis lex non adfuisset, extra patriam se non contulisset, ut dixi. Hinc reus peccati reservati, qui extra dioecesim pergeret, non iam praecise ad evitandum onus reservationis; sed, v. g., quia illuc haberet suum consuetum confessarium, vel utcumque solitus esset, propter maiorem facilitatem et copiam Confessariorum, extra dioecesim se conferre; ille profecto in fraudem legis minime discederet. (*Cf. P. Hilarium Comp. I.* 8. 23). Idem dicendum videtur si quis, ad confitenda sua peccata, locum dissitum peteret, non quia illa sunt reservata, sed quia sunt probrosa; ita ut, quamvis non essent reservata, eodem modo se gereret; prout faciunt illi qui (sive habeant reservata sive non) propter verecundiam aliquid probrosum Sacerdotibus, a quibus nimis cognoscuntur, manifestan-

di, ad aliquod Sanctuarium (etsi illuc Poenitentiarii Papales minime essent) se conferunt. Cavendum tamen ab hallucinatione, et considerandum an vere futurum esset ut etiam pro alio peccato probroso non reservato, discessus interveniret.

ARTICULUS XIII.

DE MEDIIS AD LEGEM ADIMPLENDAM ADHIBENDIS, IMPEDIMENTIS REMOVENDIS, ET CAUSIS IN CONTRARIUM NON APPONENDIS.

1771. *Adhibere media, removere impedimenta, causas in contrarium non apponere, quid significat?*

Nomine impedimenti hic intelligitur impedimentum superabile. Vel igitur homo est sic impeditus, vel nullo impedimento detinetur. Si nullo detineatur impedimento, tunc dicitur quod debet adhibere media, vel etiam causas in contrarium non apponere. Exemplum habes in clerico obligato ad horas canonicas. Dum sumit breviarium, inspicit kalendarium etc., tunc media adhibet. Si ita se inebriaret, ut officium eo die recitare non posset, tunc causam in contrarium apponeret. Quid autem significet removere impedimenta, per se clarum est; et casus contingeret, v. g., si praedictus clericus propter externas distractiones officium devote recitare non posset; deberet enim has distractiones removere etc. Caeterum haec omnia sub unico nomine appositionis mediorum venire possent.

1772. *Adestne revera obligatio adhibendi media, removendi impedimenta etc.; et haec estne distincta ab obligatione ponendi opus praeceptum?*

Supponendo quod tempore adimplendi praeceptum homo sit legi subiectus, quod scilicet per privilegium vel discessum e territorio etc. exemptus non evaserit (iuxta dicta Art. praeced.), obligatio apponendi media adest sine dubio. Haec tamen ab obligatione ponendi ipsum opus praeceptum moraliter non distinguitur; unde duo distincta peccata minime essent constituenda eo quod opus praeceptum positum non fuerit, et media non fuerint praemissa vel causa in contrarium fuerit apposita; unde dupliciter minime peccaret, qui de Officio recitando non curans, somno se commisisset. Excipe 1. nisi specialis malitia interveniret, ut puta, si praedictus non iam somno sed ebrietati se commisisset; 2. nisi apponeretur impedimentum non solum pro praesenti, sed etiam pro futuro, et quidem ita ut postea remedium apponi nequiret et rescipiscentia ad pravum effectum

impediendum nihil deserviret. Casus esset si praedictus longam iniens navigationem, breviarium secum non sumpsisset, vel illud in mare proiecisset. *Billuart* (*V.* I. IV). Sed observationes istae spectant potius ad casum nolentis adimplere praeceptum; hic autem sermo est de eo qui peccare non vult; et ille certe debet apponere media, removere impedimenta et abstinere a causis in contrarium apponendis, ut dixi.

1773. *Haec obligatio potestne extendi etiam ad praecavenda peccata materialia, quae, v. g., in somno, in somnambulismo, vel propter aliquam mentis aut corporis infirmitatem, contingere possent?* Affirmative. Exemplum habes in muliere abortibus obnoxia, in pollutionibus nocturnis, quibus quaedam causae dari non possunt etc.

1774. *Haec obligatio extenditurne ad quaelibet media, ad quaelibet impedimenta, ad quaslibet causas?* Negative; sed viget solum usque ad quosdam limites; quis enim dixerit quod, ad Communionem Paschalem faciendam in paroecia sua, aliquis debeat abstinere ab itinere necessario, vel redire ab America?

1775. *Quales sunt huiusmodi limites?*

Hi variant quammaxime iuxta diversas leges et diversos casus; sunt enim leges quae etiam ad media difficilia, aliae vero quae solum ad media facilia obligant; et quidem ita ut differentiae minutiores plurimae sint.

1776 *Quomodo distingui poterit quaenam media in singulis casibus particularibus cadant sub obligatione, et quaenam non?* Complicationes sunt tales ac tantae, ut regulas quae fallaciis non laborent suppeditare valde difficile sit, ut bene notat Ballerini (*Opus. theol. I.* 260). Nihilominus normae aliquae ad resolvendos casus particulares magnum lumen praebentes, dari possunt.

1777 *Quaenam sunt normae huiusmodi?*

I. Inspiciatur praxis timoratorum, et an communiter existimetur quod talia vel talia media obligatoria sint vel non.

1778. II. Inspiciatur intentio legislatoris, an scilicet oporteat vel expediat ut obligatio usque ad talem vel talem limitem extendatur, et neque ultra, neque infra. Hoc autem tum ex natura legis, tum ex gradu incommodi, tum ex proximitate et natura mediorum ipsorum, tum denique ex intentione agentis, colligi debebit. Sed haec sunt explicanda; scilicet

1779. III. *Quoad naturam legis*, videndum an lex obligare debeat et reapse obliget cum magno rigore, quatenus illius transgressio, etsi unica, magnum malum constitueret; prout

accidit in legibus vetantibus occisiones, percussiones, stupra, adulteria, fornicationes, magna scandala etc.; vel iubentibus ut debita solvantur, ut filii alantur et educentur, ut munera momentosa, v. g., parochi, medici, iudicis etc. adimpleantur. An vero e contra lex mitius obliget, et exceptiones non magnum malum producant, prout accidit in legibus praecipientibus recitationem horarum canonicarum, auditionem Missae, ieiunium etc.

1780. IV. *Quoad gradum incommodi*, videndum an facile an vero difficile sit tale vel tale medium adhibere, tale vel tale impedimentum removere, a tali vel tali causa in contrarium apponenda abstinere.

1781. V. Leges obligantes cum magno rigore adigere possunt etiam ad media difficilia, onerosa, diuturna etc. Hinc, v. g., genitores, medici, parochi etc. ad satisfaciendum muneribus proprii status, multa media gravia admodum adhibere tenentur. Quid simile dic de illis qui magnam summam tali vel tali epoca solvere debeant. Sic denique incommodum, quamvis grave, non facile excusaret ut apponi possent causae, ex quibus (etsi praeter intentionem) homicidium aliudve magnum malum vel scandalum sequi posset. Hinc qui somnambulismo vel paroxismis ita subiectus esset, ut in tali statu ad stupra, vulnera, scandala etc. procedere soleret, utique incommodis quoque non levibus se subiicere deberet, si ad res huiusmodi impediendas necessaria essent.

1782. VI. Leges mitius obligantes exigere solent dumtaxat ut adhibeantur media facilia, unde dici solet quod non obligant cum gravi incommodo extrinseco. Huiusmodi sunt non solum fere omnes leges ecclesiasticae, sed etiam aliquae divinae, v. g., praeceptum abstinendi ab operibus servilibus die festo, integritatis confessionis etc.; unde poenitentes non tenerentur uti mediis difficilioribus, v. g., scribendo peccata ad auxilium memoriae, confitendo per interpretem etc.

1783. VII. Ad determinandum autem utrum incommodum sit grave vel leve, considerandae sunt etiam circumstantiae, v. g., assuefactio, frequentia casus, angustiae conscientiae etc. Hinc, quamvis abortus malum valde grave sit, tamen mulieres illius periculo subiectae a rebus, quae abortui occasionem dare possent, non multum cavere deberent, si plurimae et innumerae essent.

1784. VIII. *Quoad proximitatem mediorum*, videndum an obligationis executio proxime urgeat, an vero adhuc remota

sit. Hoc non valet quoad leges cum magno rigore obligantes; tunc enim praeparationes etiam remotissimae (v. g. pro debito solvendo, pro requisitis proprii officii comparandis etc.) sub obligatione cadere possunt. Bene vero valet quoad leges mitius obligantes, quae non solent exigere ut quis cogitet de mediis, aut de non apponendis causis in contrarium, nisi quando obligatio proxime urget. Hinc Theologi facile concedunt ut quis, etiam solo motivo solatii, ante diem festum (non autem illo ipso die) se conferre possit ad locum, ubi Missam de praecepto audire nequibit. Videndum tamen an agatur de omissione rei praeceptae pro una vel altera vice; an vero de frequentia et consuetudine. Sic facilius excusabis a peccato Missae non auditae illum, qui ante unam vel alteram hebdomadam calceos et vestes convenientes sibi vel filio comparare praetermisit, vel die praecedenti se contulit ad locum ubi Missae non inveniuntur; facilius, inquam, illum excusabis si pro una vel altera vice; non vero si frequenter aut fere semper sine necessitate ita se gereret.

1785. IX. *Quoad naturam mediorum*, videndum an media ex sese sint ordinata ad hoc; an vero ad alia multa deserviant. Ordinata ad hoc essent v. g. instrumenta pro arte exercenda, breviarium pro officio recitando, emptio ciborum esurialium pro servanda abstinentia a carnibus, absolutio a peccatis et censuris ad satisfaciendum praecepto paschali etc. Quae vero ad hoc ordinata non sunt sed ad multa deserviunt, essent, v. g., bona valetudo, libertas etc. Idem dic de *natura causarum*. Sic v. g., lectiones valde obscoenae ex sese graviter influunt in motus carnales et pollutiones; non item conversatio honesta, potus etc. Valde facilius autem tenebitur unusquisque quoad illa quae ex sese sunt ordinata ad hoc, quam quoad alia. Hinc ad ieiunandum teneberis quidem tibi comparare (si opus sit) tempestive cibos esuriales, sed servare te sanum vel abstinere a laboribus aut itineribus, etsi (ut dicunt Salmant. XIII. 154) non necessariis (saltem si ita esses assuetus) in hunc finem minime obligaberis. Sic etiam, ad impediendas pollutiones nocturnas, debebis quidem abstinere ab iis quae suapte natura sunt de genere luxuriae et graviter influunt; non vero (saltem sub gravi) ab aliis. Neque obstat si, aliquod ex huiusmodi mediis negligendo, aut aliquam ex huiusmodi causis apponendo, peccatum in alio genere (v. g., contra charitatem erga se ipsum, contra temperantiam etc.) committeretur; quamvis enim tunc urgere nequeat ratio incommodi, urget tamen ratio quod non adest nexus moralis et communiter recognitus inter rem et

rem ; unde neque homines ad tales consequentias reflectere solent, neque expedit ut in casibus huiusmodi obligationes et peccata multiplicentur. Hinc qui corporalem suam salutem negligat gravemque infirmitatem sibi procuret, non ideo Missarum quas audire, ieiuniorum quae servare, et Horarum Canonicarum quas recitare non poterit, reus erit. Idem dic de eo qui ob delictum in carceris vel excommunicationis poenam inciderit; quisnam enim dixerit quod ille, delinquendo, aut veniam non petendo, aut absolutionem statim sibi non procurando, Missarum, quas audire non poterit, reus sit?

1786. Hoc tamen non verificaretur si de legibus rigorose obligantibus ageretur, et si consequentiae valde malae secuturae essent. Hinc genitores, nutrices, parochi etc. (saltem si per alios non possent) utique peccarent etiam contra proprium officium, si curam propriae salutis non haberent, aut propter delicta carcerem sibi procurarent. Imo quaedam causae, etsi suapte natura remotae, reatum inducerent (attenta speciatim temporis proximitate) contra praeceptum, quamvis de legibus mitius obligantibus res esset. Nonne enim contra praeceptum audiendi Missam peccaret, qui, se inebriando aut somno se committendo, illam audire nequiret, ut supra dicebam? Ratio est quia tunc nexus moralis communiter recognitus iam adesset.

1787. X. Denique *quoad intentionem agentis*, videndum an quis in fraudem legis, an vero ex alio fide media non adhibeat, impedimenta non removeat, vel causas in contrarium apponat. Hinc excommunicatus non equidem peccabit contra praeceptum audiendi Missam si censurae absolutionem non petat, ut supra dicebam; peccabit nihilominus si praecise ex intentione remanendi liber ab hoc onere, in censura obsurdesceret. Similiter non peccabit contra legem ieiunii (iuxta Salmant.) dives qui laboraret et propter laborem ieiunium sustinere non posset; peccabit tamen si praecise ad finem se liberandi a ieiunio praeter consuetum laboraret, aut pilae ludo se defatigaret. Duo tamen sunt advertenda, scilicet 1. peccatum committeretur in ponendis dictis causis; non vero in frangendo ieiunio; sicut peccaret qui voto castitatis ligatus matrimonium contraheret, non vero si (matrimonio iam contracto) debitum redderet; 2. Procurare sibi impedimentum directa intentione se liberandi ab aliqua obligatione non semper peccatum est. Exemplum habes in eo qui ad declinandam obligationem ieiunii in quadragesima, infirmorum curae in hospitali se dicaret. *Ballerini* (*Compend.* *I.* 110. *not. b*).

1788. *Quid de gradu culpae si media quae adhibenda essent non adhiberentur vel causae in contrarium apponerentur?* Ordinarie culpa est gravis si lex sub gravi obliget. In quibusdam casibus tamen non expedit ut peccatum mortale constituatur, etsi expediat ut culpa venialis subsistat. Exemplum habes in appositione causarum influentium quidem in libidinem sed non graviter, ex quibus pollutio praevisa praeter intentionem sequatur. Quaedam insuper adsunt difficultates, quae excusant a mortali et tamen a veniali non excusant; prout accidere posset in eo qui tempore paschali abesset a paroecia, et distantia esset quidem notabilis sed non tanta ut prorsus excusatus dici posset.

ARTICULUS XIV.

DE PRIVILEGIO.

1789. *Quid est privilegium?* Est gratia aut concessio particularis et permanens a Legislatore facta. Dicitur *particularis,* quia non subditos omnes (prout aliquando contingit in dispensationibus), sed personas particulares vel aliquem coetum tantummodo respicere potest. Dicitur *permanens,* non iam quia privilegium nequeat esse temporaneum, sed quia (secus ac, v. g., absolutio, dispensatio ab irregularitatibus, impedimentis etc.) ad minus durationem aliquam et tractum successivum (quasi in dies repeteretur) habere debet; unde privilegiatus non iam reducitur ad ius commune (sicut contingeret, v. g., in dispensato ab irregularitate), sed vi privilegii semper agit.

1790. *Quotuplex potest esse privilegium?* Est multiplex, et distinguitur principaliter 1. Ex origine et forma concessionis; 2. Ex causa; 3. Ex subiecto; 4. Ex obiecto.

1791. *Quomodo distinguitur ex origine vel forma concessionis?* Potest esse 1. *expressum*, vel 2. *tacitum* (scilicet ortum ex consuetudine legitime praescripta). Si sit expressum, concedi potuit 3. *Vivae vocis oraculo,* vel 4. *in litteris.* Concessum in litteris potest esse 5. *Clausum in corpore iuris,* vel 6. *Extra corpus iuris.* (*Cf. n.* 1586. 1587).

1792. *Quomodo distinguitur ex causa?* Concedi potest 1. ex causa publica, prout sunt privilegia causarum piarum, clericorum, regularium, militum, minorum etc. 2. ex causa particulari, prout privilegia quae conceduntur huic vel illi personae in particulari; 3. intuitu meriti expressi, quo casu dicitur *remunerativum;* 4. ex mera gratia vel intuitu meriti non expres-

si, quo casu dicitur *gratiosum;* 5. *ad instantiam* seu *ad preces supplicantis ;* 6. *motu proprio*, quatenus scilicet Princeps vel non fuerit rogatus, vel non quia ex precibus motus fuerit illud concesserit. Ut autem privilegium tamquam motu proprio concessum haberi debeat, oportet et sufficit ut haec verba (*motu proprio*) expressa fuerint; 7. *Conventionale* et *onerosum.*

1793. *Quomodo distinguitur ex subiecto?* Etsi privilegium semper redundet in personas, tamen distinguitur in *reale* et *personale.*

1794. Reale est quando immediate afficit rem (v. g., altare, unde habemus altaria privilegiata); vel locum (v. g., Ecclesiam, monasterium, civitatem, dioecesim etc.), quo casu dicitur etiam *locale;* vel dignitatem (v. g., si Episcopi talis vel talis dioecesis speciale privilegium haberent); vel caetum (v. g., Episcopos, clericos, regulares); vel collegium, corporationem religiosam etc.; quo postremo casu privilegium dicitur etiam *corporale.*

1795. Personale est quando immediate afficit personam, seu conceditur personae intuitu personae (non vero intuitu dignitatis, loci etc.). Subdistinguitur in *personale singulariter*, et *personale generaliter.* Primum contingit quando privilegium conceditur personae particulari nominatim expressae. Secundum quando conceditur personis omnibus, in quibus tales vel tales circumsstantiae verificentur (prout sunt privilegia minorum etc.).

1796. *Quomodo privilegium distinguitur ex obiecto?* Potest esse 1. Perpetuum vel temporaneum; temporaneum autem aliud est *in diem* determinatum, et aliud *conditionatum.* 2. *Affirmativum* vel *negativum* secundum quod privilegiatus aliquid facere, (v. g., exigere decimas); vel aliquid omittere (v. g., non solvere decimas) poterit. 3. *Primo et per se concessum;* vel *concessum ad instar* (quod scilicet intelligi debeat iuxta tenorem alterius privilegii aliis prius concessi). Hoc autem subdistinguitur inter concessum *aeque principaliter* (prout sunt privilegia quae Ordinibus Religiosis communicari solent), vel *accessorie* (prout sunt privilegia Religiosorum, quae interdum eorundem familiaribus communicantur). Privilegium in primo casu, quoad futurum, mutationibus vel destructioni alterius non subiicitur; subiicitur vero in secundo. 4. *Contra ius* et *praeter ius.* 5. *Odiosum* et *favorabile.* Sed haec postrema sunt explicanda.

1797. *Quandonam privilegium est contra, et quandonam est praeter ius?* Est *contra ius* quando Princeps, illud concedendo, vulnerat aliquam legem suam, seu eximit ab illa aliquos sub-

ditos suos; qui proinde, si privilegiati non essent, contra illam peccarent. Exemplum habes in privilegio oratorii privati, quod implicat exemptionem ob audienda Missa in publica Ecclesia.

Est *praeter ius*, quando Princeps, illud concedendo, nullam legem suam vulnerat, sed solum concedit aliquam facultatem, v. g., dispensandi, absolvendi a censuris, deferendi insignia, monopolium (*it. privativa*) exercendi etc.; unde qui, secluso privilegio, dispensaret, deferret insignia etc., peccaret quidem, sed ea sola de causa quia sine facultate talia exercere prohibitum est; non vero quia aliam legem violaret.

1798. *Privilegia absolvendi et dispensandi subeuntne distinctiones?* Affirmative; privilegium enim dari potest sequentibus modis:

I. *Pro foro sacramentali;* et tunc exerceri potest solum actu sacramentalis confessionis.

II. *Pro foro poenitentiae;* et tunc exerceri potest etiam per absolutionem censurarum extra confessionem in forma solemni.

III. *Pro foro conscientiae;* seu *pro foro interno;* et tunc exerceri potest solum ita, ut pro foro externo (scilicet contentioso et iudiciali coram Ecclesia) nullum valorem habeat, sed valeat solum pro conscientia et coram Deo. Advertendum quod forum conscientiae latius patet quam forum poenitentiae; dum enim forum poenitentiae restringitur ab absolutiones, forum conscientiae ad alia quoque (v. g., dispensationes, indulgentias etc.) extenditur.

IV. *Pro foro externo;* et tunc privilegium nedum pro illo sed etiam pro interno effectum haberet; quatenus dispensatus vel absolutus (a censuris) in foro externo, etiam pro interno dispensatus et absolutus evadit. *Cf. Suarez* (*De Leg. VIII.* vi. 11-16).

1799. *Quandonam privilegium est favorabile, et quandonam est odiosum? Et cur haec distinctio?*

Est favorabile 1. Quando nec est *contra ius*, nec in alicuius praeiudicium redundat. Exemplum habes in privilegiis absolvendi, dispensandi etc. 2. Quando, etsi sit contra ius, tamen vel *motu proprio* vel propter causam magno favore dignam (unde expediat abundare) conceditur. Exemplum habes in privilegiis generalibus ex causa pia, vel pro bono publico, cuiusmodi sunt privilegia Clericorum, Regularium, pupillorum etc.

1800. Est autem odiosum quando haec tria concurrunt, quod scilicet 1. sit *contra ius* (vel in praeiudicium alterius); 2. concessum fuerit *ad instantiam;* 3. causa magno favore digna non

conspiciatur. Huiusmodi sunt multa privilegia particularia, v. g., non solvendi decimas, non solvendi tributa, habendi oratorium privatum etc.

1801. Haec autem distinctio deservit pro regula interpretationis, si, omnibus perpensis, aliquid esset dubium, iuxta dicta (*n.* 1644. *Reg. VII*).

1802. *Quisnam potest concedere privilegium?* Ille dumtaxat qui vel habeat auctoritatem legislativam (intellige semper intra limites auctoritatis ipsius), vel a legislatore privilegia concedendi facultatem receperit. Quoad privilegia contra legem, ratio est manifesta. Quoad privilegia autem praeter legem, ratio est quia oportet ut subditi 1° nequeant impedire quominus privilegiati privilegiis utantur; 2° nequeant ipsi eisdem facultatibus uti.

1803. *Privilegia possuntne licite et valide concedi etiam sine iusta causa?* Licite, negative; secus enim salutaribus legibus praeiudicium vel prodigalitas interveniret. Valide, distinguendum: Si ex parte petentis intervenisset *obreptio* (expositio falsi) aut *subreptio* (occultatio veri quod manifestandum fuisset); vel si concessum fuisset a Superiore subordinato in lege Superioris supremi; in his casibus, negative (scilicet privilegium invalide concederetur). In aliis affirmative; nemo enim nisi ex legislatoris voluntate obligari potest. *Ballerini* (*Opus Theol. I.* 389).

1804. *Privilegia valentne ubique? Et possuntne concedi etiam non subditis?* Distinguendum est inter privilegium locale et personale.

Privilegium locale, extra locum privilegiatum, nihil suffragatur. In loco ipso tamen valet etiam pro exteris; idque ex generali consuetudine.

Privilegium personale sequitur personam in toto territorio concedentis (nisi aliter expressum fuerit). Extra territorium autem regulariter vel esset inutile (illuc enim lex non adest), vel posset impediri. Dixi *regulariter;* in iis enim, in quibus subditus etiam extra territorium a suo Superiore dependet, privilegium (quoad conscientiam et quin aliena iurisdictio turbetur) valere posset. Privilegium personale autem praeter legem (v. g., facultas absolvendi dispensandi etc.) exteris etiam dari valet, si in territorio concedentis illo utantur.

1805. *Valetne privilegium si privilegiatus illud non adhuc acceptaverit vel acceptare nolit?* Absolute loquendo, valere posset; lex enim et facultatum concessio pendet a Principe et non a subdito. Nihilominus non censetur esse de mente Prin-

cipis ut privilegium non petitum valeat antequam acceptetur, vel si respuatur (ne vilescat). D' Annibale (*I.* 205).

1806. *Privilegiatus teneturne uti privilegio?* Decisio pendet ab intentione concedentis; si enim ex non usu privilegii malae consequentiae orirentur, nec rationabiliter se gessisset Princeps si in tali vel tali casu non usum permittere intendisset; tunc pro obligatione standum esset. Secus, si secus; ex regula iuris (*LXI. in* 6°): « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius « dispendium retorquendum ». Casus autem in quibus privilegiatus privilegio suo uti tenetur, sunt speciatim sequentes: 1. Si non-usus redundaret in damnum Ordinis Religiosi, Status Clericalis, vel Religionis aut Christifidelium; unde Regulares, Episcopi, Canonici, Clerici etc. privilegiis proprio Ordini vel statui vel dignitati vel officio concessis uti tenentur; 2. Si non-usus contra iustitiam vel charitatem (etsi ageretur solum de aliqua persona particulari) redundaret. Hinc qui habet privilegium absolvendi a reservatis, eo uti deberet si charitas ita exigeret; et multo magis si, confessione iam audita, iustitiae debitum interveniret. 3. Si privilegium auferret impedimentum observationi alicuius legis. Casus contingeret in habente privilegium Oratorii privati, si forte die festo nequiret ad Ecclesiam se conferre, sed in Oratorio suo commode illam audire posset. Hoc tamen ultimum non ab omnibus admittitur. Vide Gury (*I.* 348. *not. a*).

1807. *Quibus modis cessare potest privilegium?* Cessare potest 1. natura sua; 2. voluntate Principis; 3. ex parte privilegiati.

1808. *Quomodo cessat natura sua, seu, ut aiunt, ab intrinseco?* Praenotandum quod non cessat morte concedentis, nisi expresse vel tacite solum ad vitam illius concessus fuerit. Si enim sit generale, consideratur ut lex et durat ut lex; et in quovis casu est gratia facta, quae non expirat morte concedentis.

Vide tamen dicta (*n.* 86). Cessat autem natura sua in sequentibus casibus:

1809. I. Si concessum fuerit ad tempus determinatum (v. g., ad annum), et tempus praeterierit.

1810. II. Verificata conditione resolutiva, quae sive expresse apposita fuerit, sive evidenter vel ex consuetudine subintelligatur; prout contingeret si ad effectum seu intuitu eventus futuri concessum fuisset; ut puta, si Canonicus obtinuisset privilegium abessendi e choro causa studiorum, et ille studia complevisset vel dereliquisset. De conditionibus autem *Quamdiu non revo-*

cavero, vel *ad beneplacitum nostrum*, vel (quod in idem recidere videtur) *quamdiu voluero*, vide dicta (*n*. 87. 88).

1811. III. Cessat morte personae privilegiatae. Intellige si sit personale singulariter (*n*. 1804).

1812. IV. Cessat interitu rei, si sit reale: vel interitu loci, v. g. Ecclesiae, si sit locale. Si tamen Ecclesia reaedificaretur in eodem loco, privilegium revivisceret. *D' Annib*. (*I*. 207. *not*. 31) et *Aertnys* (*I*. 214).

1813. *Privilegium quomodo cessat voluntate Principis?*

I. Imprimis vix est quod loquamur de revocatione illorum privilegiorum, pro quibus privilegiati pretium solverunt (v. g, pro habendo monopolio, *it. privativa*, alicuius rei), aut eleemosynam seu taxam (*N. B. Taxa, quae Procuratori, vel pro sola scriptura, solvitur, nihil consideratur*) contribuerunt. Haec enim nunquam revocari solent, et nequidem valide possent, nisi ex causa gravissima et restituto pretio. Idem dic si nihil quidem pretii vel taxae intercessisset, sed nihilominus dominium aut ius strictum (v. g., exigendi tributa etc.) concessum fuisset. *Salmant*. (*De Priv. XVIII. II*. 26-30).

1814. II. Casus itaque revocationis practice restringitur ad privilegia gratiosa, vel remunerativa quidem sed non ita ut ex strictae iustitiae debito, vel cum translatione iuris stricti, concessa fuerint. Huiusmodi sunt multa privilegia generalia, v. g., Regularium, Episcoporum etc.; et quaedam etiam particularia v. g. Corporibus moralibus, dignitatibus, vel personis particularibus gratis vel solius gratitudinis causa elargita. Huiusmodi enim privilegia non sunt tamquam donatio absoluta, quae amplius revocari nequit; sed semper habent conditionem implicitam, qua Princeps ius revocandi sibi reservat, etsi pro licito iusta causa semper exigatur. (*Reiff. V*. XXXIII. 120).

1815. III. Revocatio potest esse *tacita* et *expressa*. Tacita est quando Princeps procedit ad actum directe contrarium, seu qui non potest subsistere sine revocatione privilegii antea concessi, dummodo possit praesumi eum scire privilegium ipsum, illiusque recordari (*Reiff. l. c*. 127). Duo itaque exiguntur, scilicet 1. ut Principis actus (v. g. lex, rescriptum, privilegium aliis concessum etc.) effectum intentum sortiri non possit, nisi revocatis privilegiis antea concessis, quatenus secus legem vel dispositionem inutilem fecisset (*S. Lig. De Priv. XVII*); 2. ut neque ex deceptione neque ex errore (credendo nullum privilegium in contrarium adesse) ad actum illum devenerit.

1816. Revocatio *expressa* contingere potest duobus modis,

scilicet 1. revocando tale vel tale privilegium nominatim (et tunc nulla difficultas); 2. revocando privilegia per clausulas generales.

1817. Sed notandum quod non quaevis clausula generalis sufficit ut privilegium quodlibet revocatum censeatur. Adest clausula generalis *communis*, quae dicere solet: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis* (Reiff. l. c. 124); et adsunt aliae clausulae generales *fortiores*. Adsunt etiam privilegia *ordinaria*, et privilegia *qualificata* seu quae specialem habent firmitatem. Clausula communis sufficit pro revocandis ordinariis; sed pro qualificatis clausulae fortiores exiguntur; et istae iuxta varios casus variae sunt. Hinc clausula communis non sufficit ad revocanda privilegia inserta in corpore iuris aliaque concessa per Constitutiones Pontificias ad modum legis, pro quibus ad minus exigeretur clausula: *Non obstantibus legibus in contrarium;* et ne haec quidem sufficeret, si privilegia data fuissent a Concilio Generali; tunc enim id quoque exprimi deberet; imo si concessa fuissent a Concilio Tridentino, specialis de illo quoque mentio exigeretur. Specialem mentionem exigunt etiam privilegia Regularium; imo quaedam ex istis specialissima mentione indigent. Idem dic de privilegiis, in quorum concessione dictum fuerit non posse revocari, nisi eorum expressa mentio, vel etiam transcriptio de verbo ad verbum, intercesserit; quae tamen utique revocari possent non obstante omissione talis transcriptionis, sed exigerent clausulam aequivalentem, quae dicere solet: *Non obstantibus privilegiis sub quacumque verborum forma concessis, etiamsi eorum expressa, specifica, aut de verbo ad verbum mentio facienda esset.* Stylus est etiam ut de privilegiis immemorabili consuetudine firmatis specialis mentio fiat. Privilegia denique onerosa (quae, ut dixi, vix unquam revocantur) specialissima mentione indigent, dicendo, v. g., revocari etiam *conventiones*. Cf. Salmant. (*t. c.*), S. Lig. (*l. c.*) et Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX. (§ 53. 55).

1818. *Quid si cessaret causa finalis, propter quam privilegium concessum fuerit?* Cessatio causae finalis, quae conditionem resolutivam, iuxta supradicta (*n.* 1810), non constituat, minime efficit ut privilegium cesset vel necessario revocandum sit; tunc enim valent regulae Iuris: — *Beneficium Principis decet esse mansurum — Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuerit inchoari* —. Si tamen causa cessaret (uti aiunt) *contrarie*, ita

scilicet ut privilegium sive Ecclesiae sive bono publico sive ipsi privilegiato evasisset damnosum, utique tunc revocari posset (*Ballerini Op. Theol. I.* 392. 3-5). Imo, si usus illius, propter mutatas circumstantias evasisset iniquus et iniustus, per se cessaret; privilegium enim de re iniqua subsistere nequit. *Reiff.* (*V.* XXXIII. 187).

1819. *Revocatio privilegii habetne effectum statim?* Si revocatio fiat per legem generalem, tunc lex ista effectum sortietur promulgatione secuta, ad instar aliarum legum, scilicet perventis et publicatis litteris encyclicis, si de lege Pontificia agatur (*Cf. n.* 1613-1616); neque obstaret si aliqui privilegiati revocationis notitiam adhuc non habuissent. *S. Lig.* (*l. c. XVII*). Revocatio autem privilegii per decretum particulare solum post specialem intimationem ad privilegiatum directe perventam, effectum habere potest. *Aertnys* (*I.* 216).

1820. *Privilegium quomodo cessare potest ex parte privilegiati?* Causae supremae ob quas accidere potest quod privilegiatus privilegium amittat ex parte sua, sunt tres, scilicet 1. si renuntiet privilegio; 2. si sinat ut illud praescriptioni subiiciatur; 3. si illo abutatur. De abusu non oportet ut verba faciamus, et sufficit notare, quod propter abusum non ipso facto sed solum post sententiam vel decretum Principis, privilegium amitti posset. S. Lig. (*l. c. XIV*). Restat igitur ut de renuntiatione et praescriptione loquamur.

1821. *Quid de amissione privilegii per renuntiationem?*

Renuntiatio difficile deservire poterit ad amittendum privilegium, nisi Princeps illam acceptet vel consentiat. Enimvero, Principe non annuente, renuntiatio nihil valet in sequentibus casibus:

1822. I. Si usus privilegii sub obligatione cadat. Exemplum habes in privilegio fori, exemptionis Regularium a iurisdictione Episcopi etc.

II. Si bonum publicum exigat ut privilegiati suo privilegio semper uti possint. Exemplum habes in privilegio minorum rescindendi contractus sine debitis auctorizationibus in minoritate celebratos, cui, illa durante, renuntiare nequeunt.

III. Si privilegium sit in favorem non personae, sed v. g. dignitatis, status ecclesiastici, Ordinis Religiosi, Monasterii, Collegii vel Ecclesiae. Hinc Clerici privilegio canonis; Praelati, Praepositi, Parochi etc. privilegiis, etiam temporalibus (v. g., exemptionis a solvendis decimis), quibus Ordo, Monasterium, Collegium, Paroecia etc. fruantur, renuntiare non possunt.

IV. Si privilegium sit quidem in favorem solius privilegiati, sed sine gravamine alicuius; ita ut ex illius cessatione nemo alius utilitatem haberet. Exemplum habes in privilegiis celebrandi Missam ante auroram, recitandi matutinum diei sequentis ante horam communiter permissam, comedendi carnem diebus vetitis, non ieiunandi, dispensationes concedendi, absolvendi a reservatis, non interessendi processionibus etc. Non enim est in potestate alicuius efficere, ut evadat legi subiectus quando Princeps legem ad illum non extendit, vel ut non habeat facultatem, quando Princeps facultatem illam ei tribuit.

1823. *Quandonam itaque renuntiatio, Principis consensu non quaesito, valere poterit?* Quando sine ullo publici boni aut aliorum detrimento, in favorem atque utilitatem alterius acceptantis (in cuius gravamen privilegium redundabat) renuntiatio ipsa fieret; tunc enim Principis consensus explicitus non exigitur, quia ipso iure sic renuntiandi facultas tribuitur. *Cf. Reiff.* (*V.* XXXIII. 204). Exemplum esset si quis haberet privilegium imponendi novum tributum aliquibus, et ille huic iuri suo (vi et dolo non inductus) renuntiaret, atque nullum tributum se esse exacturum promitteret.

1824. *Quotuplex esse potest huiusmodi renuntiatio?* Expressa et tacita. De expressa nulla est difficultas. Tacita autem interveniret 1. per non-usum si privilegium esset affirmativum, seu aliquid faciendi (v. g. imponendi tributum, et hoc non imponeretur); 2. per usum contrarium, si privilegium esset negativum, seu aliquid non faciendi (v. g., non solvendi decimas, et hae solverentur). Ut tamen non-usus vel usus contrarius pro tacita renuntiatione privilegii in foro externo haberi possit, decisio pendet ex circumstantiis; et certe renuntiatio non intelligeretur si non-usus vel usus contrarius ex ignorantia privilegii; aut coacte; aut cum protestatione; aut ex defectu opportunitatis privilegio utendi; aut per unum alterumque actum qui commode aliis motivis tribui posset, evenisset. In conscientia autem renuntiatio tacita (ait S. Lig. l. c. XIV) nunquam subsisteret, si animus renuntiandi revera non adfuisset. Aliud tamen esset si praescriptio intervenisset, prout statim explicabo.

1825. *Quomodo cessare possunt privilegia vi praescriptionis?* Hoc restringitur ad privilegia praedicta (*n.* 1823), quae onus vel gravamen vel notabilem auctoritatis imminutionem aliis afferunt (Exemplum habes si stante, particulari exemptione ab auctoritate Episcopi, actus subiectionis fierent et continuarentur). Praescriptio autem efformari potest, dummodo

1° Privilegium remanserit otiosum et tamquam non datum toto tempore quod ad praescriptionem constituendam a legibus determinato (scilicet 40 annorum in rebus ecclesiasticis, et 30 annorum, apud nos, in iuribus civilibus; *cf. Praxis ed. II. n.* 1408 *et seqq.*); idque intellige si privilegiatus occasiones illo utendi habuerit, et nunquam protestatus fuerit se velle (non obstantibus actibus contrariis) suum privilegium servare; 2° Bona fides a parte gravati (in cuius favorem praescriptio efformatur) semper intercesserit.

1826. *Qualis differentia est inter amissionem privilegii vi renuntiationis tacitae et vi praescriptionis?* In casu praescriptionis 1. sufficit si privilegiatus, etiam ex ignorantia vel oblivione privilegii sui, illo non fuerit usus; 2. exigitur praedictus temporis lapsus; 3. Privilegiatus, etsi nunquam habuerit voluntatem renuntiandi, ius suum etiam in conscientia amittit; alii enim per legitimam praescriptionem verissimum ius contra illum acquisierunt. Secus autem est in casu renuntiationis tacitae, ut consideranti facile patet. Cf. Suarez (*VIII.* XXXIV. 25. 26).

QUAESTIO INCIDENS

DE IURISDICTIONE.

Heic agendum esset de dispensatione; sed quia doctrina circa dispensationes non bene intelligeretur, nisi prius de iurisdictione eiusque differentia inter ordinariam et delegatam actum fuerit, ideo de ista agendum erit.

PUNCTUM I.

Agitur in genere de iurisdictione.

1827. *Quid est iurisdictio?* Est auctoritas procedendi ad actus iuridicos gubernationis publicae; ita tamen ut iurisdictio etiam pro solo foro interno (scilicet pro sola conscientia, ut in confessariis) esse possit. Iurisdictio itaque non solum in Legislatoribus, sed etiam in aliis (v. g., iudicibus, parochis etc.) esse potest. Distinguitur a potestate Ordinis (ut per se manifestum est). Distinguitur a gubernatione privata, quae, v. g., in patribus-familias residet. Distinguitur etiam a gubernatione, quae publica quidem sit, sed minime exerceatur per actus iuridicos; quo nomine intelligo actus, qui in auctoritate ligandi ac solvendi vi clavium (ut aiunt Canonistae), scilicet (generice

loquendo) iure legislativo, aut communicato a legislatore qua tali, fundamentum habeant; cuiusmodi sunt, v. g., leges ferre; praecepta ultra legem auctoritate praedicta imponere; a peccatis aut censuris absolvere: a legibus, aut votis dispensare etc., unde actus huiusmodi *iurisdictionales* vocantur. Hinc Generalissae piarum congregationum vota simplicia habentium non nisi sensu improprio iurisdictionem habent, ipsae enim vi clavium nihil exercent; sed solum vi voti obedientiae praecepta ferre, et legum iam praeexistentium observantiam exigere; non vero ad directas votorum aut legum dispensationes aliosve actus presse iurisdictionales procedere possunt. Cf. Lucidi (*II. n* 333) et Bonacina (*De Cens. in comm. I. II. p.* 2 *n.* 4).

1828. *Quotupliciter distinguitur iurisdictio?* Distinguitur praecipue a parte obiecti; 2. a parte originis; 3. a parte legimitatis.

1829. *Quomodo distinguitur a parte obiecti?* Distinguitur inter *contentiosam* et *voluntariam; civilem* et *ecclesiasticam.* Contentiosa exercetur in tribunalibus fori externi super his qui iudicio contendunt, et habet vim coactivam; voluntaria autem non super contendentibus, sed aliter, atque ut plurimum (etsi non semper; *cf. D'Annib. I.* 68) solum in volentes et sponte se subiicientes (prout in tribunali poenitentiae) exercetur. Prima solum *solemniter;* secunda autem interdum solemniter et interdum *privatim* exerceri potest.

1830. *Quomodo distinguitur a parte originis?* Distinguitur inter ordinariam et delegatam; prout explicabitur infra (*n.* 1846).

1831. *Quomodo distinguitur a parte legitimitatis?* Potest esse

I. *Cum titulo vero;* dum scilicet habeatur propter officium valide collatum, vel delegationem legitime receptam.

II. *Cum titulo colorato atque errore communi;* si nempe collatio officii aut delegatio facta quidem fuerit a legitimo Superiore, sed ex vitio occulto et communiter ignoto invalida fuerit. Exemplum habes si in collatione Paroeciae simonia occulta intercessisset; vel si Parochus ad assistendum matrimonio delegasset non Sacerdotem, qui ab omnibus Sacerdos reputaretur (*Sanchez De Matr. III.* XXII. 61). Sed hoc etiam melius explicabitur infra.

III. *Cum solo errore communi;* seu (ut aiunt) cum titulo mere praesumpto et putativo. Exemplum habes si quis, auctoritate audiendi Confessiones in loco nunquam recepta, confessarii munus publice exerceret, et tamquam Confessarius communiter reputaretur.

IV. *Probabilis probabilitate iuris;* si nempe iurisdictio per legem aliamve publicam dispositionem (v. g., per Bullam Iubilaei) data fuisset; et, suborto dubio an ad talem vel talem casum extendatur, vel ad tale vel tale tempus perduret, opinio probabilis apud viros doctos pro extensione vel duratione efformata fuisset, etsi alii contradicerent.

V. *Erronee tamquam probabilis vel etiam tamquam certe subsistens iudicata ab aliquo; vel dubia dubio facti:* ut puta, si quis existimaret se recepisse vel adhuc habere iurisdictionem, quae revera nunquam ei data fuerit vel cessaverit; aut de his dubius esset.

VI. *Praesumpta;* si nempe pro certo tenendum sit quod Superior absens concessurus esset talem vel talem facultatem iurisdictionalem, si rogaretur.

1832. *Quid de iurisdictione fundata in titulo colorato cum errore communi?* Distinguendum est inter validum et licitum.

1833. *Quid de valido?* Titulus coloratus cum errore communi, etsi non habitualiter, tamen actualiter (scilicet pro solo momento actus, et nec prius nec postea) iurisdictionem praebet. Patet ex lege inserta in corpore iuris romani (*L. Barbarius*). Ratio legis est quia casus potest esse frequens et huiusmodi publici officiales ad innumeros actus procedere solent; qui, si invalidi forent, nimias turbationes atque inordinationes in republica producerent; unde bonum publicum nimis clamat ut tamquam validi habeantur. Equidem dicta lex erat civilis, et de iurisdictione contentiosa atque ordinaria loquebatur; sed communissima interpretatione doctrinali et usuali semper existimatum est valere etiam pro iurisdictione tum ecclesiastica, tum voluntaria, tum delegata (saltem si sit ad universitatem causarum vel generalis); unde Theologi communiter et indistincte dicunt quod, existente errore communi cum titulo colorato, supplet Ecclesia. (Intellige si supplere possit; quid enim si facultas absolvendi a peccatis Diacono; a censuris amenti, vel mulieri pro viro habitae, data fuisset? Porro mulieres probabiliter iure divino iurisdictionis ecclesiasticae incapaces sunt). Addunt autem quod actus esset validus, etsi non solum qui talem iurisdictionem exercet, sed etiam qui illius exercitium petit, occulti defectus aliis communiter ignoti, notitiam haberent; lex enim casum istum non excipit, neque (quum agatur de publico officiali) expediret ut illum exciperet. *Sanchez* (*De Matr. III.* XXII. 42), *Lessius* (*II.* XXIX. 65), *Lugo* (*De Contr. XXXVII.* 26), *D'Annibale* (*I.* 76) etc. Error communis autem subsistere potest, quamvis publica

defectus notitia olim in loco extitisset, vel nunc alibi extaret (*Lugo l. c.* 21). Neque oportet ut multi actus intercesserint; sed sufficit si error communis adsit, etsi pauci ad habentem solum titulum coloratum confugissent (*Lehmkuhl II.* 389). Quid si titulus sive coloratus sive verus extitisset, sed nunc expirasset; ita tamen ut ex errore communi adhuc iurisdictionem perseverare crederetur? Tunc etiam actus esse validos Theologi communissime admittunt. *Sanchez* (*De Matr. III.* XXII. 56-59), *Lessius* (*II.* XXIX. 67) etc.

1834. *Quid de licito?* Qui scit se titulo legitimo esse destitutum vel renuntiare vel sanationem petere tenetur; si enim malum est usurpationem inchoare, malum est etiam illam prosequi. Si autem renuntiare possit et non renuntiet; tunc peccat agendo, et fortasse peccat etiam non agendo (si nempe subditi opera sui Superioris indigeant). Si vero renuntiare vellet; sed, dum non statim posset, subditi indigerent; tunc illis subveniendo minime peccaret. *Cf. Lugo* (*l. c.* 26-28).

1835. *Quid de iurisdictione quae non in titulo colorato, sed in solo errore communi fundetur?*

Solus error communis certe sufficere potest ad reddendos validos multos actus non iurisdictionales; ut puta, si ad actus validitatem exigeretur ut quis esset v. g., civis, pater familias, aetate maior etc., et aliquis communi errore talis reputaretur (*D' Annibale I.* 77. *not.* 74).

1836. Loquendo autem de actibus iurisdictionalibus, Iurisconsulti fere omnes, et Theologi plurimi (inter quos Lugo (*De Contr. XXXVII.* 23, Sanchez *De Matr. III.* XXII. 49, Lehmkuhl *II.* 389 etc.) docent solum errorem communem non sufficere. Aliqui tamen (inter quos Schmalzgrueber *IV.* II. 181, Pontius *V.* XX. 3, et D'Annibale *I.* 77) censent tunc quoque Ecclesiam supplere; et hanc doctrinam S. Lig. (*VI.* 572) dicit esse probabilem; unde deducit, probabiliter non esse obligandos fideles ad repetendas confessiones bona fide factas apud Sacerdotem, qui ex solo errore communi confessarius reputabatur. Sed de hac probabilitate ego valde dubito. Moveor quia haec doctrina in nullo legis textu fundatur, et, quum casus intrusi exercentis iurisdictionem quin ullam unquam missionem habuerit sit rarus, inverisimile videtur quod Ecclesia illius actus (intuitu necessitatis) ratos habere velit; multo magis quia huiusmodi intrusi, qui (v. g., ostensis litteris testimonialibus falsis) tamquam legatos pontificios, vel Episcopos, vel Confessarios se praesentant (dum non sunt), nonnisi pessimi viri (qui pessimas

intentiones habeant) esse possint; et fideles scandalizarentur si rescirent huiusmodi intrusorum quoque actus esse validos, quasi perinde esset sive legitima missio haberetur sive non; neque credo quod de confessionibus apud illos factis quieti extituri forent. Sed quod me magis movet, est decisio S. C. C., quae (3. *Dec.* 1683) interrogata, an quidam confessarii, qui confessiones audierunt absque iurisdictione, valide propter errorem communem absolvissent; rotunde respondit; *Invalide;* atque subiunxit, non esse quidem admonendos fideles de tali invaliditate (ad non ingerendum scandalum); sed, si ipsi hoc resciverint, *eosdem teneri reiterare confessionem.* Cf. Lambertini (*Notif. LXXXIV*). Aliud tamen esset (propter universae societatis necessitatem) de Principe usurpatore (ut dixi *n.* 1595).

1837. *Quid de iurisdictione probabili probabilitate iuris; quando scilicet sub opinione est utrum iurisdictio in tali vel tali casu habeatur, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus, et utrisque probabiliter?* Opinio probabilissima (quam tenent Theologi innumeri cum Suarez, Sanchez (*Dec. I.* IX. 35) et Lugo (*De Poenit. XIX.* 29) docet nedum Ecclesiam tunc (si forte opus esset) supplere iurisdictionem (ne tot actus invalidi sint); sed etiam (secus ac in casu tituli colorati cum errore communi) licitum esse, perinde ac si iurisdictio directe certa haberetur, ad actum procedere. S. Ligorius (*VI.* 575) concedit quod Ecclesia ob commune bonum suppleat, et sic indirecte iurisdictio atque certitudo de actus validitate habeatur; sed difficultatem habet quoad licitum, nisi aliqua causa specialis intercedat. Quum tamen alii Auctores communissime stent pro licito absolute (ut dixi), nihil vetat quominus illorum sententia teneatur; multo magis quia in praxi causa aliqua vix unquam non aderit; et certe adesset, v. g., si Confessarius, (ut ait Aertnys *II.* 226. *q.* 4°) confessione iam incoepta, iurisdictionem suam esse solum probabilem animadverteret; ne scilicet poenitens ad confessionem apud alium repetendam cogendus esset. Ita docent etiam recentiores passim, v. g., Ballerini (*II.* 519), D'Annibale (*I.* 78. *not.* 82), Lehmkuhl (*II.* 388) etc.

1838. *Quid de iurisdictione dubia dubio facti, vel quae ab aliquo reputaretur probabilis vel etiam certe existens?* In hoc casu valeret si reapse adesset; si vero non adesset, huiusmodi dubium privatum, vel probabilitas, vel etiam certitudo erronea, ad nihil deserviret. Dum autem quis versatur in dubio vel utcumque non habet certitudinem de iurisdictione, nequit licite ad actum procedere, si ex periculo invaliditatis inordinatio ali-

qua sufficienti necessitate non excusata sequi posset. Exemplum habes si Confessarius dubius de iurisdictione sine causa sufficienti Sacramentum administraret.

1839. *Quid de iurisdictione praesumpta?* Absente Superiore (qui certe auctoritatem concessurus esset) et casu ita urgente ut interpellari nequeat, distinguendum est inter iurisdictionem necessariam pro valido et necessariam pro solo licito.

1840. Pro valido, iurisdictio praesumpta non sufficit; unde, v. g., ad absolvendum a peccatis, ad assistendum matrimonio etc. iurisdictio expressa (vel saltem tacita) exigitur. Haec tamen regula exceptionem aliquam pati potest in casibus gravissimis et urgentissimis (infra suis locis declarandis); ut puta, si, dum omnia ad proximum matrimonium sunt parata, impedimentum dirimens (saltem si occultum et probrosum esset) detegeretur (*S. Lig. VI.* 613); maxime vero si actus per ratihabitionem de futuro validari posset, ut notat D'Annibale (*I.* 79, *not.*), qui ponit exemplum collationis beneficii.

1841. Pro solo licito autem iurisdictio praesumpta regulariter sufficit, et quidem ita ut minime oporteat ut causa gravissima subsistat, sed iusta et aequa satis esse possit. Casus dari posset, v. g., si quis Parocho absente Viaticum aut Baptismum ministraret, sermonem ad populum haberet, processionem consuetam indiceret etc. Cf. S. Lig. (*III.* 236).

1842. *Quid exigitur ut quis sit capax iurisdictionis?*

Exigitur ut habeat usum rationis. Usus quippe rationis certe exigitur ut quis possit valide iurisdictionem acceptare (acceptatio enim sive expressa sive tacita necessaria est) et exercere (quid enim si sententia data fuisset ab ebrio vel furioso?). Plures tamen docent iurisdictionem conferri posse etiam dementi, dummodo cessata dementia illam acceptet. Loquendo de iurisdictione ecclesiastica exigitur etiam (saltem ex usu Ecclesiae) ut quis sit babptizatus, sexus masculini, et clericus. *Cf. Bonacina* (*De Censur. in comm. I.* 1. *p.* 2) *et D' Annib.* (*I.* 70).

1843. *Ubinam quis suam iurisdictionem exercere potest?*

I Si sit contentiosa (*cf. n.* 1829), solum in suo territorio, non vero extra nec in locis exemptis (v. g. in monasteriis Regularium); ubi invalide exerceretur. Voluntaria autem (*l. c.*) exerceri potest valide ubique circa subditos auctoritate ordinaria. Grave tamen esset (seclusa venia Ordinarii localis) illam exercere *solemniter* (v. g., ordinando, confirmando etc); unde, nullâ petitâ veniâ, solum privatim exerceri posset. *D' Annib.* (*I.* 71).

II. Iurisdictio exerceri debet in proprio foro, quod iuxta diversam iurisdictionis naturam diversum esse potest; qua de re vide dicta (*n.* 1798).

1844. *Circa quos exerceri potest iurisdictio?* Exerceri potest in subditos intra territorium degentes. Quoad subditos autem qui extra territorium versentur, vide dicta *n.* 1699. Quoad non subditos intra territorium peregrinantes (neque domicilium scilicet neque quasi domicilium in territorio habentes) distinguendum est secundum quod de illis obligandis ad culpam vel poenam, aut de illis solvendis agatur; quum enim propensiora sint iura ad solvendum quam ad ligandum, ipsi facilius solvi quam ligari possunt. Hinc ad culpam obligari valent solum in contractibus, atque in rebus a publica securitate vel tranquillitate atque ad cavendum scandalum requisitis; ad poenam autem solum si in territorio deliquerint ut supra, vel contra leges communes (iuxta dicta *n.* 1700), quibus in casibus dicuntur subditi *ratione delicti.* Solvi autem possunt in foro conscientiae (non vero in foro contentioso) quoad omnia quae pertinent ad ius naturale vel commune (v. g., a peccatis, censuris communibus, irregularitatibus occultis, votis, iuramentis etc.); non vero ab illis quae iure particulari proprio Episcopo reservata sint, nisi eiusdem consensus sive expressus sive tacitus accesserit. Cf. D'Annib. (*I.* 72).

1845. *Potestne quis exercere iurisdictionem in se ipsum?* Quoad iurisdictionem contentiosam, (dum ipse cum aliis in eadem causa implicatus sit), negative; unde affatum *nemo iudex in causa propria.* Bonacina (*De Censur. in comm. I.* I. *p.* 2. *n.* 4). Quoad iurisdictionem voluntariam, affirmative; nisi tamen resistat natura rei de qua agitur aut lex. Hinc Episcopus si possit alios se ipsum quoque dispensare poterit; non vero seipsum a censuris absolvere, vel beneficium sibi conferre ei integrum erit. *D' Annib.* (*I.* 68).

PUNCTUM II.

Agitur de distinctione inter iurisdictionem ordinariam et delegatam.

1846. *Quid de differentia inter iurisdictionem ordinariam et delegatam?*

I. Iurisdictio dicitur ordinaria, quando quis procedit propter facultatem radicatam in officio proprio (v. g., Episcopi, Parochi etc.). Dicitur autem delegata, quando quis auctoritatem,

quam non habet ex officio suo praecise, habet a delegante, cuius vice illam exercet. Hinc, v. g., Episcopus quoad subditos suos et leges suas, iure ordinario; quoad subditos alienos autem vel quoad leges alienas, solum iure delegato procedere poterit.

1847. II. Iurisdictio ordinaria respicit subditos, et quidem ita ut, si non sit contentiosa sed voluntaria (*Cf. n.* 1829) in illos etiam extra territorium, aut in locis exemptis, valide semper et plerumque (si nempe privatim exerceatur *l. c.*) etiam licite, exerceri possit. Iurisdictio delegata e contra solum tamquam territorialis censeri et dari solet. Hinc Episcopus subditos suos etiam extra fines dioecesis a censuris dioecesanis iure ordinario, sed non a censuris Pontificiis iure delegato absolvere poterit. *Cf. pagellam S. Poenitentiariae.* Dixi *censeri et dari solet;* non enim repugnat quod superior sicut per se ita quoque per delegatum etiam extra territorium voluntariam iurisdictionem exercere valeat. Cf. Sanchez (*De Matr. III. XXXIV.* 3).

1848. III. Iurisdictio ordinaria non equidem totaliter et perpetuo, sed vel ex parte vel ad tempus, alteri delegari potest. Excipe Parochos qui nequeunt Sacerdotem ab Episcopo non approbatum delegare ad audiendas confessiones. Delegata autem subdelegari nequit (delegatus enim subdelegando fines mandati excederet). Excipe nisi subdelegandi facultas sive expresse ei concessa fuerit, sive ex consuetudine vel circumstantiis subintelligi debeat; quod quando accidat, statim explicabitur.

1849. Iurisdictio ordinaria cessat in persona, officio abdicato vel adempto; aut si iurisdictionem habens excommunicatus vel suspensus *vitandus* (scilicet ut talis nominatim denunciatus) evaderet. (Tunc autem invalide delegaret; delegatio enim actus iurisdictionis est). *D' Annib.* (*I.* 75). Iurisdictio in delegato aliis modis cessare potest; sed hoc explicabitur infra (*n.* 1878).

1850. V. Iurisdictio Vicarii Generalis est non delegata, sed ordinaria; quae tamen, momento mortis Episcopi in loco communiter cognitae, cessat. Dixi *communiter cognitae;* secus enim ex titulo colorato cum errore communi perduraret. *Sanchez* (*III.* XXII. 59).

1851. *Quotuplex esse potest iurisdictio delegata?* Distinctiones principaliores sunt sequentes. Potest esse scilicet

1852. I. *Immediata,* si nempe detur ab habente iurisdictionem eâ in re ordinariam (v. g., Episcopus delegat Parochum); et *mediata,* si nempe detur a delegato, cui subdelegandi facultas concessa fuerit, quo casu dici solet *subdelegata* (v. g. Parochus delegatus subdelegat Vicarium).

1853. II. *A iure*, si nempe detur per legem et perpetuo omnibus personis cuiusdam caetus vel dignitatis (v. g., Episcopis, Regularibus etc.); vel *ab homine*, si nempe per specialem commissionem, sive a Principe supremo, sive ab alio inferiore, pro casu particulari, vel etiam pro omnibus casibus cuiusdam speciei, ad tempus vel ad vitam delegati, concedatur.

1854. III. *Adnexa personae* delegati suo proprio nomine designati; vel *adnexa officio* (v. g. Episcopi, Parochi, Confessarii etc.), *aut dignitati vel gradui* (v. g. Canonici praepositi, doctoris etc.), *aut statui* (v. g. Regularibus). Sed hoc in puncto nonnulla consideranda sunt.

1855. Concessa *Ordinario*, tum Episcopo, tum Vicario Generali, tum Officiali (qui usuvenit extra Italiam), tum Vicario Capitulari, concessa intelligitur indifferenter. Notandum quod si agatur de dispensationibus matrimonialibus, nomine Ordinarii intelligitur Ordinarius originis sponsae, nisi aliud petitum et concessum fuerit. Concessa autem Vicario aut Officiali non censetur concessa Episcopo, et viceversa. *Scavini* (*IV.* 532) *et Berengo* (*n.* 130).

1856. Adnexa *officio*, aut *dignitati*, aut *statui* potest esse ad modum privilegii sive perpetui, sive temporanei, aut etiam ad modum simplicis commissionis pro casu particulari; et tunc (quatenus opus sit) transit ad successores. Adnexa autem *personae*, ad alios transire nequit. Ratio differentiae est quia delegans in primo casu de peritia praesumpta (propter officium etc.), et in secundo de peritia sibi nota (propter dotes personales) confidit. *Cf. De Angelis* (*I. XXX.* 7).

1857. Iurisdictio delegata *adnexa officio pastorali ad modum privilegii perpetui*, practice perinde est ac ordinaria, unde *quasi-ordinaria* appellatur; et haec certe subdelegari potest. Huiusmodi sunt facultates a Trid.° (Cap. *Liceat*) concessae Episcopis absolvendi et dispensandi a quibusdam censuris Pontificiis et irregularitatibus. Tamquam ordinaria autem non censetur iurisdictio, quae officio pastorali vel nullatenus, vel solum ad tempus, adnexa sit. Huiusmodi sunt facultates Regularium absolvendi vel dispensandi saeculares (etsi in perpetuum concessae illis fuerint), aut quae Episcopis ad triennium vel quinquennium concedi solent. Iurisdictio autem huiusce generis, nisi in quantum delegans expresse concesserit, subdelegari nequit. *Cf. Laymann.* (*V.* VI. X. 12-14).

1858. IV. *Restricta;* vel *concessa ad universalitatem causarum.* Hoc secundo modo concessa intelligitur quando quis

vel ad omnia ut alter ego, vel saltem ad aliquod causarum genus absque determinatione personarum (v. g. ad assistendum omnibus matrimoniis) delegatur. Cf. Sanchex (*De Matr. III.* xxxi. 4). Dicunt, iurisdictionem sic delegatam censeri tamquam ordinariam et posse subdelegari; sed hoc cum mica salis intelligi debet. Id quidem verum est quando delegatus deputatur ad omnia ita ut delegans pro interim nihil faciat (prout accideret v. g. in vicario pro parocho absente vel prorsus inhabili); sed non in aliis casibus, nisi ex multitudine negotiorum, quae simul eodem tempore contingere possent, coniiciendum esset intentionem delegantis fuisse ut delegatus alium subdelegare valeret. Hinc Vicarii parochiales (praesente parocho) delegati ad assistendum omnibus matrimoniis, facultatem receptam subdelegare minime possent; unde dicitur quod tunc nudum exercitium iurisdictionis conceditur, et de caetero nihil aliud. *Cf. Laymann* (*l. c.* 14).

1859. V. Delegans delegare potest *unum* vel *plures*. Delegatio plurium fieri potest duobus modis, scilicet 1° *in solidum;* 2° *ut collegialiter agant.*

1860. *In solidum* contingit quando v. g. ex duobus delegatis unus (qui prius delegationis notitiam habuerit, vel a partibus iuteresse habentibus praelationem obtinuerit illamque acceptaverit) negotium suscipit et perficit, quin se ingerere possit alter; qui tamen idem negotium perficere poterit casu quo primus non acceptaverit vel rem ad exitum non duxerit.

1861. *Ut collegialiter agant* contingit quando, v. g., tribus vel quatuor etc. delegatis, omnes debent convenire; ita ut, uno mortuo aut impedito, alii nullam facultatem remaneant, nisi forte impeditus facultatem habuerit alicui ex collegis suum votum committendi, aut nisi delegatio adnexa fuisset dignitati; unde, uno dignitario mortuo, ad eiusdem successorem votum devolvatur. Postquam autem omnes convenerint et negotium cognoverint, decisio a votorum maioritate (iuxta regulam generalem) pendebit.

1862. Notandum quod, si in delegatione plurium collegialiter agere debentium apposita fuisset clausula « *quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant vel exequantur* »; tunc, si illis duobus *legitime constet* alios non posse aut nolle interesse, ipsi valent negotium expedire. Si vero iis irrequisitis procederent, invalide agerent. *Cf. De Angelis* (*I.* xxix. 7).

1863. VI. Delegatio *de articulo iurisdictionali* (v. g., ad dispensandum, ad absolvendum, ad sententiam ferendam etc.)

solet esse mixta cum *articulis non iurisdictionalibus*, qui v. g. in instructione paranda, in testibus examinandis, in iuramento partibus dando, in re simpliciter communicanda etc., consistunt.

1864. VII. Denique delegatio potest esse 1° per modum *gratiae factae; 2°* per modum *gratiae faciendae.*

1865. Per modum *gratiae factae* contingit 1° Quando delegatio habet naturam gratiae concessae ipsi delegato; et casum habes in facultatibus absolvendi vel dispensandi concessis ad modum privilegii, cuiusmodi est etiam facultas audiendi confessiones quae ab Episcopis Sacerdotibus conceditur. 2. Quando Pontifex confert gratiam per se, seu (ut aiunt) *in forma gratiosa;* 3. Quando illius quidem executionem committit alteri (illam scilicet concedendo *in forma commissoria*); sed ita ut vel orator possit eligere sibi executorem (casum habes si Pontifex concedat alicui gratiam eligendi sibi Confessarium. Lugo *De Poen. XIX.* II. 38); vel Pontifex delegat Episcopum aut Sacerdotem non solum ut possit sed etiam praecise ut (cognita precum veritate) debeat, tamquam executor necessarius, gratiam, v. g., absolutionis vel dispensationis, concedere alicui (quum enim ille tuuc ad gratiam ius acquisierit, gratia ipsa tamquam iam facta existimatur). Sanchez (*VIII.* XXIX. 87), et De Angelis (*I* III. 10).

1866. Per modum *gratiae faciendae* contingit quando pro casu particulari delegatur aliquis ad gratiam alteri faciendam, sed ita ut, tamquam executor voluntarius, ad hoc non teneatur (ut puta, si delegans dixisset: *si ita expedire iudicaveris*).

Si autem nec de facultate ad modum privilegii, nec de gratia erga subditos, sed de simplici commissione (etsi ad universitatem causarum) ageretur; tunc de gratia sive facta sive facienda nihil esset. Exemplum habes in Sacerdote delegato ad audiendam confessionem alicuius, et in Vicario parochiali quem Parochus sive ad assistendum alicui matrimonio, sive etiam ad supplendas vices illius absentis quoad omnia delegatus fuisset. *D'Annib.* (*I.* 75. *not.* 64).

His praenotatis, quaestiones magis momentosae solvendae sunt.

1867. *Valetne delegatio metu aut dolo obtenta vel ex errore concessa?*

Quoad metum et dolum, nisi dolus fuerit substantialis (v. g., circa personam), plures dicunt valere; quia ex una parte metus et dolus (non substantialis) non tollunt voluntarium; et

ex alia huiusmodi delegatio nulla lege positiva irritatur. Ita Sanchez (*De Matr. III.* XXXIX. 13. 14), D'Annibale (*I.* 70), Scavini (*III.* 897) etc.; contra Ferraris (*v. Iurisdictio n.* 38) aliosque.

A fortiori validitati delegationis non obstaret solus error, etsi delegationi ipsi causam dedisset, ut puta, si Episcopus dedisset facultatem audiendi confessiones Sacerdoti, quem doctum existimabat, dum revera indoctus fuisset, neque illum approbasset si id cognovisset. Obstaret tamen semper error substantialis, ut puta, si Episcopus approbasset Caium credendo illum esse Titium. *D' Annib.* (*l. c.*).

1868. *Ut gesta per delegatum valeant, sufficitne si delegatio concessa fuerit in absentia, etsi delegatus ipse notitiam concessionis vel non adhuc habuerit, vel solum a tertia persona, (quae casu id resciverit) de eadem certior factus fuerit?* Distinguendum:

1869. I. Si delegatio facta fuerit generaliter per legem, statutum, vel constitutionem; tunc sufficit si lex ipsa promulgata fuerit; et actus valerent etsi forte ignorando se habere facultatem quis procederet. Sanchez (*De Matr. III.* XXVI. 3).

1870. II. Si data fuerit personae particulari; tunc subdistinguendum. Si Superior motu proprio, vel ad instantiam non personae illius sed alterius, delegasset; tunc gesta non valerent nisi delegatus prius recepisset litteras delegationis vel ab internuncio destinato et misso ab ipso delegante communicationem habuisset. Delegans enim tunc censetur non habere intentionem communicandi facultatem, nisi ope sermonis sui ad delegatum directi et perventi, prout in aliis quoque casibus, v. g., promissionis, donationis etc. naturaliter contingit. Sanchez (*l. c.* 6) et Lugo (*De Contract. XXIII.* 70-73), De Angelis (*I.* XXIX. 5) etc. Credendum tamen non esse necessarium quod sic delegatus facultatum ei concessarum speciem cognoscat; sed sufficere si acceptet quidquid demum in litteris contineatur. Casum habes in Episcopo, cui S. Sedes facultates pro variis casibus communicaverit; et ille litteras receperit sed non legerit.

1871. Si autem ad instantiam delegati ipsius nuntium mittentis Superior facultatem concessisset; tunc Sanchez (*l. c.*) docet, a momento responsi affirmativi, quod nuntio ipsi datum fuerit, delegationem valere. Ratio est quia delegatus tunc per nuntium sicut petit ita etiam acceptat; unde delegatio iam perfecta est. (*Cf. Scavini I.* 237). Peccare tamen posset delega-

tus si, de facultate vel prorogatione obtenta adhuc non tutus, ad actum procederet.

1872. III Si facultates adnexae fuerint officio et sic transeant ad successorem; tunc (etsi de facultatibus particularibus et non per legem communicatis ageretur) crederem, gesta per successorem iuxta easdem valere, quamvis ille de iisdem notitiam non habuisset.

1873. IV. Si tamen facultates fuissent concessae (prout ordinarie evenit) sub conditione ut non valeant, nisi actu concessionis exprimatur facultate apostolica procedi; tunc ex hoc capite notitia delegationis exigeretur.

1874. *Quid de officio delegati?*

I. Delegatus imprimis nequit alium subdelegare, nisi in casibus supra recensitis; nisi scilicet 1° facultas adnexa fuerit eius officio pastorali ad modum privilegii perpetui (*n.* 1857); aut 2° delegatus fuerit ad universalitatem causarum in sensu explicato (*n.* 1858); aut 3° ab ipso delegante facultatem subdelegandi obtinuerit; aut 4° delegatio respiciat solum aliquem articulum praeparatorium seu non iurisdictionalem (*n.* 1863).

1875. Plures dicunt delegatum a Principe (quo nomine nedum Summus Pontifex sed etiam Sacrae Cougregationes veniunt) posse subdelegare eà solum de causa quia a Principe delegationem obtinuit. At vero doctrina ista reiicitur a multis aliis (inter quos D'Annibale *I.* 68. *not.* 20); et dato quod vera esset, certe plurimis exceptionibus (unde in praxi fere ad nihil reduceretur) subiicitur; qua de re vide Scavini (*I.* 367).

1876. II. Nequit praetergredi limites delegationis suae; eius enim auctoritas ultra voluntatem, et concessionem delegantis extendi non potest. Sed quid si delegatus non servaret ea, quae pro licito exiguntur, ut puta, si delegatns ad assistendum matrimonio, illi non praemissis denunciationibus vel extra Ecclesiam assisteret? Illicite quidem, sed valide ageret, nisi delegans clausulam vere significantem conditionem sine qua non apposuerit. *D'Annib.* (*I.* 74). Difficultas est in determinando quandonam clausula tamquam stricte conditionalis habenda sit. Dicunt, verba *si, dummodo*, et *ea conditione ut,* in sensu verae conditionis esse recipienda; sed hoc non semper verum est, quandoquidem verba ista aliquando in sensu improprio (scilicet pro simplici monitione quoad licitum) adhibentur (*Sanchez De Matr.* XXXIII. 2). Dicunt etiam, ablativum absolutum pro vera conditione esse intelligendum; sed hoc pariter pluribus exceptionibus subiicitur. Etsi itaque ex huiusmodi verbis (tamquam

de se conditionalibus) regula plus vel minus sumi possit, regulae magis tutae sunt sequentes: 1° Si clausula a delegante apposita illud ipsum praescribat quod iure communi praescribitur, quin aliquid addat vel immutet; tunc in sensu iuris communis ipsius intelligi debebit; unde pro valido vel pro solo licito accipienda erit, secundum quod in iure pro valido vel pro solo licito accipitur. Sic clausula *praemissis denuntiationibus* pro solo licito, et clausula *servata forma Tridentini* (quae interdum apponitur quando matrimonium revalidandi facultas conceditur) pro valido adhibetur. Ratio est quia dum aliquid tacite inest et iam subintelligitur, eius expressio nihil novi operatur, nisi qui loquitur aliud clare significet (*Sanchez l. c.* 3). 2° Si clausula verbis de se conditionalibus a delegante apposita non adesset in iure communi, vel adesset quidem sed delegans alio modo et cum additione aliqua momentosa illam expressisset, tunc pro conditione stricte dicta accipienda foret. Exemplum dant si delegans ad dispensationem concedendam dixisset: — Si per solertem inquisitionem inveneris non adesse impedimentum aut vera esse exposita etc. — Sanchez (*l. c.* 3. 4). Excipe nisi ex adiunctis mentem fuisse delegantis loquendi de solo licito colligeretur; ut notat et explicat idem Sanchez (*l. c. n.* 2). Cf. De Angelis (*I.* XXIX. 7), D'Annibale (*I.* 74), Scavini (*III.* 897) etc.

1877. III. In dubio an delegatio ad talem vel talem casum extendatur, illa interpretari poterit late si pro personis indeterminatis pro bono publico ei concessa fuerit, quia tunc censetur favorabilis; secus vero si pro casu particulari ei data fuisset, nisi forte principaliter in sui ipsius gratiam (quod non praesumitur nisi probetur) illam obtinuisset. Salmant. (*XI.* v. 53) et Sanchez (*De Matr. VIII.* n. 1-6), qui alia minutiora notat.

1878. *Quandonam cessat officium delegati?* Cessat 1° Finito negotio; 2° Lapsu temporis designati; 3° Cessante causa finali delegationis; 4° Revocatione aut renunciatione facultatis; 5° Morte delegati ipsius; 6° Morte delegantis. Sed haec sunt explicanda.

1879. *Quomodo cessat finito negotio?* Si delegatio facta fuisset pro negotio determinato, cessat eo expleto sive bene sive male, sive valide sive invalide (dummodo tamen servata fuerit forma iuris, v. g., assistendo matrimonio invalide quidem sed adhibitis testibus et in forma Tridentini), sive etiam definiendo non esse locum procedendi; quod tamen ultimum non currit circa rescripta S. Poenitentiariae pro foro conscientiae

directa ad Confessarium Oratoris; si enim poenitens ab uno Confessario executionem rescripti obtinere non potuisset, nedum alium inquirere, sed etiam ab eodem, qui postea sententiam mutaverit, executionem ipsam obtinere posset. De Angelis (*I.* xxix. 8) et D'Annib. (*I.* 75. *not.* 56), qui nonnulla alia notatu digna observat.

1880. *Quomodo cessat lapsu temporis designati?* Haec designatio apponi solet in rescriptis *iustitiae*, scilicet ut sententia intra tale vel tale tempus feratur, ne partes ex mora damnum subeant (Vide De Angelis *l. c.*). In rescriptis *gratiae* apponi non solet. Saepe tamen apponitur quoad facultatem audiendi confessiones, quae saepe ad annum vel ad sex menses limitatur. Tempore autem expleto, notandum quod facultas cessat quidem *re integra*, scilicet negotii executione (et in casu confessione) nondum incoepta; durat vero *re non integra*, donec scilicet negotium incoeptum ad finem protrahatur. D'Annibale (*I.* 75 *not.* 64).

1881. *Quomodo cessat cessante causa finali delegationis?* Casus esset si data fuisset iurisdictio ad absolvendum a voto Sempronium ut Caiam defloratam duceret, et Caia decessisset. D'Annibale (*I.* 75).

1882. *Quomodo cessat revocatione?*

I. Delegans revocare potest delegationem etiam *re non integra* (etsi scilicet delegatus negotium incoeperit), dummodo tamen talis revocatio tunc in illius praeiudicium non redundet.

II. Delegatus quoque subdelegans potest subdelegationem revocare. Sed hac de re vide De Angelis (*l. c.*).

III. Revocatio, ut valeat, debet esse legitime intimata, ita ut scilicet non qualiscumque revocationis notitia sufficiat, sed exigatur ut delegatus ab ipso delegante sive viva voce, sive per litteras, sive per internuntium ad hoc destinatum revocationis intimationem receperit. Gesta igitur tempore intermedio valent. Sanchez (*De Matr. III.* xxx. 13).

1883. *Quomodo cessat renuntiatione delegati?* Haec quoque renuntiatio valet solum a momento quo deleganti vel eius nuntio directe communicata fuerit. *D' Annib.* (*I.* 75).

1884. *Quomodo cessat morte delegati ipsius?* Cessat (etiam re non integra) si delegatio fuerit personalis; secus si fuerit *facta dignitati*; tunc enim ad successorem in eadem dignitate transit. De Ang. (*l. c.*).

1885. *Quomodo cessat morte delegantis?*

I. Morte delegantis, illius etiam cessatio ab officio per re-

nuntiationem, depositionem aut translationem; non vero excommunicatio aut suspensio ab eodem contracta, intelligitur. De Angelis (*I.* III. 10).

II. Delegatio ad modum gratiae factae (iuxta dicta *n.* 1865) non expirat morte delegantis.

III. Delegatio ad modum gratiae faciendae, vel ad modum simplicis commissionis, etsi ad universitatem causarum, (iuxta dicta *n.* 1866), morte delegantis communiter cognita, *re integra* expirat (mandatum enim expirat morte mandantis); *re non integra* (iuxta mox supra dicta *n.* 1880) non expirat. Ita communissime. Notandum quod gratia conditionalis non censetur facta nisi conditione verificata; unde, si ante illius verificationem concedens moriatur, expirat. Ferraris (*v. Gratia ut est etc. n.* 27).

IV. Delegatio expirat morte delegantis, si ad eius vitam concessa fuerit. Hoc tamen non accidit in sequentibus casibus: 1° si delegatio nomine non Pontificis sed S. Sedis (quae nunquam moritur) concessa fuerit, prout accidit in rescriptis S. Poenitentiariae pro foro interno quamvis sint in forma commissoria; et idem dic si ad beneplacitum ipsius S. Sedis concessa fuisset; 2° Si delegans dixisset: — *Donec aliud ordinavero* —; imo etiam 3° si dixisset *ad beneplacitum nostrum;* qua de re vide dicta (*n.* 88).

ARTICULUS XV.

DE DISPENSATIONE.

Agendum est de dispensationis 1. natura; 2. obiecto; 3. auctore; 4. causis requisitis ut dispensatio sit licita, valida, debita; 5. interpretatione; 6. subiecto; 7. cessatione.

§ I.

De dispensationis natura.

1886. *Quid est dispensatio?* Est exemptio a lege derivans a legislatore ad modum actus transeuntis, qui scilicet vel tractum successivum (quasi quotidie repeteretur) non habet, vel cessat cessante causa; ut melius *n.* 1889 explicabitur.

1887. *Distinguiturne ab irritatione voti aut iuramenti iam emissi?*

Irritatio huiusmodi fit ab habentibus potestatem dominativam (quae competere potest etiam privatis et longe diversa

est a legislativa), sive super alterius voluntatem (prout contingit in Praelatis Regularibus respectu subditorum, propter votum obedientiae; et in Patribus-familias respectu filiorum impuberum); sive super materiam voti (prout contingere potest in maritis, uxoribus, heris etc., si forte de re eorum iurium turbativa uxor, maritus, famulus etc. votum fecissent); tunc enim, votum emittendo, subintelligitur conditio: *nisi Praelatus, nisi Pater, nisi maritus etc. contradixerit.* Haec itaque irritatio distinguitur a dispensatione, quae a Legislatore fieri debet. Idem dic de *relaxatione* debiti, quae a creditore fiat. Duo tamen notanda sunt: 1. Irritationes et relaxationes huiusmodi quoad effectum (auferendi obligationem) perinde sunt ac dispensationes; 2. Sublatio autem obligationis, non vulnerando legem sed solum auferendo eius materiam et destruendo fundamentum obligationis ab homine positum, peragitur.

1888. *Distinguiturne ab irritatione voti, iuramenti, vel etiam matrimonii rati, quae a Legislatore legitime fiat?* In casu isto vera dispensatio (propter interventum Legislatoris) accidere dicitur. Et ex hoc patet quod dispensatio duplici modo intervenire potest. Primus est quando Legislator eximit aliquem a lege directe (v. g., dispensando illum a lege ieiunii). Secundus est quando Legislator irritum reddit actum ex quo subditus obligationem contraxerat; et sic illum a lege eximit quidem, sed indirecte et consequenter; illius materiam scilicet, et fundamentum ab homine positum, auferendo (ut supra).

1889. *Dispensatio confunditurne cum privilegio?* Cum privilegio *praeter legem* certe non confunditur, quia dispensatio est semper contra legem, seu implicat exemptionem a lege. Cum privilegio *contra legem* pariter (stricte loquendo) non confunditur, quia dispensatio directe vel respicit unicum actum (v. g. solvendo ab impedimento matrimonii, a voto, a matrimonio rato etc.); vel respicit quidem tractum successivum, sed ita ut ordinarie cessare debeat cessante causa (unde in definitione dicitur quod conceditur *ad modum actus transeuntis*); dum e contra privilegium semper tractum successivum (perinde ac si in dies repeteretur) et permanentem (ita scilicet ut ex se non cesset cessante causa) respicit. Quia tamen privilegium *contra legem* in se continet dispensationem, et interdum difficile est distinguere an de mera dispensatione an vero de privilegio agatur, ideo aliquando haec nomina confunduntur. Sed pro praxi in hoc non refert immorari. Cf. Suarez (*De Leg. VI.* x. 13).

1890. *Dispensatio distinguiturne a commutatione?* Distin-

guitur, quatenus dispensatio exemptionem a lege, commutatio autem iniunctionem vel acceptationem alterius operis respicit; quia scilicet, sive actu ipsius dispensationis sive postea, dispensatus, loco prioris obligationis vel oneris, aliquid offerre vel peragere debeat. De facto autem dispensatio saepe commutationem commixtam habet.

1891. *Distinguiturne a declaratione?* Declaratio accidit quando persona auctoritate praedita aliquem tutum reddit quod a lege observanda excusetur; ut puta, si confessarius vel medicus dicat te non teneri ad ieiunium etc. Huiusmodi declarationes dici quidem solent dispensationes, sed improprie.

1892. *Distinguiturne a licentia?* Licentia intervenit quando lex permittit ut aliquid fiat sub conditione ut, v. g., a Praelato, licentia petatur. Licentia itaque non est exemptio a lege, et proinde a dispensatione longe dissidet. Interdum tamen qui vere dispensat licentiam dare dicitur, sed improprie.

1893. *Distinguiturne ab indulgentia, a tolerantia, a permissione?* Proprie loquendo, indulgentia est remissio poenae quam quis iam meruit; tolerantia consistit in non apponendo impedimento alteri etsi forte ille male agat; permissio supponit actionem non esse impediendam quia iam sit ex se honesta. In his itaque de dispensatione nihil est. Interdum tamen haec verba improprie sumuntur.

1894. *Distinguiturne a ratihabitione, ab epicheia, et ab abrogatione vel derogatione legis?* Utique. Ratihabitio est consensus futurus quo superior vel alter approbat aliquid post factum; dispensatio autem ante factum et per Legislatorem intervenire debet. Epicheia est exceptio iam in ipsa lege interpretative inclusa; unde cum dispensatione nihil commune habet. Denique abrogatio vel derogatio legis in toto vel in parte legem ipsam pro tota societate in perpetuum destruit; quod pariter a simplici dispensatione longe dissidet.

1895. *Quotuplex potest esse dispensatio?* 1. Potest concedi *iure ordinario* aut *iure delegato;* 2. Potest esse *certe necessaria* vel *ad cautelam;* 3. *Debita,* aut *libera;* 4. *Absoluta* vel *conditionata;* 5. *Expressa;* aut *tacita* si nempe ex facto superioris (v. g. videntis et non contradicentis) eius consensus argui debeat; 6. *Personalis,* aut *localis,* si nempe Superior personas particulares, ubique sint; aut subditos solum in territorio dispenset; 7. *Totalis* aut *partialis.* Partialis esset, v. g., si quis per Episcopum dispensaretur ab irregularitate pro solis Ordinibus minoribus; 8. *Directa et immediata,* vel *indi-*

recta et mediata; secundum quod Superior per se talem vel talem dispensat; aut persona dispensatur sive quia pertineat ad Communitatem cui dispensatio concessa est, sive quia obtinuerit vel utcumque habeat facultatem ut alter ei dispensationem applicare possit; 9. *Obreptitia* vel *subreptitia* (sed hoc opportunius explicabitur infra).

§ II.

De dispensationis obiecto.

1896. *Quotuplex esse potest dispensationis obiectum?* Dispensatio pro obiecto habere potest quemlibet onerosum legis effectum; scilicet 1. obligationem (illam auferendo, et faciendo de illicito licitum); 2. inhabilitationem vel actus nullitatem (faciendo de inhabili habilem, et de invalido validum); prout in dispensationibus ab irregularitate vel ab impedimentis matrimonii accidit; 3. poenam non adhuc incursam (eximendo, v. g., a mulcta, a censura *ferendae sententiae* etc.). Dixi *non adhuc incursam;* secus enim non de dispensatione, sed de condonatione vel absolutione ageretur. Idem dic de tributis, taxis etc.

§ III.

De dispensationis auctore.

A.

Exponuntur quaedam generalia.

1897. *Quisnam potest dispensare?* Qui habet auctoritatem iurisdictionalem sive ordinariam sive delegatam.

1898. *Quisnam dispensat auctoritate ordinaria?* 1. Legislator in lege sua. 2. Eius successor. 3, Eius superior, cuiusmodi esset Summus Pontifex quoad leges alicuius Episcopi aut Synodi sive nationalis, sive provincialis, sive diocesanae.

1899. *Quisnam dispensat auctoritate delegata?* Qui est delegatus *a iure* vel delegatus *ab homine.* Scilicet

Delegatio potest esse *a iure;* et contingit quando per legem facta est facultas inferiori dispensandi in quibusdam legibus Superioris seu in iis quae ad Superiorem (v. g., Pontificem) spectarent. Exemplum habes in pluribus facultatibus Episcopo-

rum et Regularium dispensandi a quibusdam legibus pontificiis, votis, iuramentis etc. Tunc autem dicitur *delegata generaliter*, vel etiam *quasi ordinaria*.

Delegatio potest esse *ab homine;* et contingit quando Superior huic vel illi inferiori dispensandi concedit facultatem; quae interdum officio et interdum personae adnecti potest. Tunc autem *simpliciter* vel *specialiter delegata* appellatur.

B.

De potestate dispensandi in summo Pontifice.

1900. *Quid de potestate dispensandi in Summo Pontifice?* Distinguendum est inter potestatem dispensandi in legibus divinis et in legibus ecclesiasticis.

1901. *Quid de potestate dispensandi in legibus divinis?* Recolendum quod non agitur hic de potestate interpretandi, sed vere dispensandi (dum scilicet obligatio, attentis quoque circumstantiis, subsisteret, et nihilominus Pontifex dispensat).

Loquendo itaque de vera dispensatione, oportet distinguere inter obligationes iuris quidem naturalis divini, sed fundamentum habentes in facto hominis, cuiusmodi sunt contractus, vota, iuramenta etc.; et obligationes, quae fundamentum istud minime habent, cuiusmodi est, v. g., obligatio non blasphemandi, non occidendi, non tacendi peccata in confessione etc.

Quoad obligationes huius secundi generis, certe Pontifices nunquam dispensarunt, et Theologi communius (contra aliquos) docent dispensare non posse. *Cf. Aertnys* (*I.* 183).

Quoad obligationes autem primi generis (quae, ut dixi, in facto hominis fundantur) certissimum est quod Pontifex (excepto matrimonio consummato fidelium; scriptum est enim, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*) dispensare potest, prout reapse dispensat. Ratio est quia magna adest necessitas ut Ecclesia in rebus istis dispensare valeat; Christus autem non defuit Ecclesiae suae in necessariis, et proinde talis facultas certe inclusa fuit in verbis: « Tibi dabo claves regni coelorum; « et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis ». Vide alia argumenta apud Ballerini (*Op. theol. I.* 294-306).

1902. *Quales sunt casus practici, in quibus Pontifex dispensare potest et solet in lege divina, sensu supra explicato?* Dispensare potest et solet

I. In votis, etiam solemnibus. Ratione autem voti, in lege divina; ratione solemnitatis, iure ecclesiastico dispensat.

II. In iuramentis (secluso casu iuramenti a tertio acceptati; et libere emissi. *S. Lig. III.* 192).

III. In sponsalibus.

IV. In matrimonio rato et non consummato fidelium.

V. In matrimonio etiam consummato infidelium, dummodo 1. post susceptum Baptismum consummatum non fuerit; 2. interveniant causae necessitatis, de quibus agit Mansella (*I. IV. A. III. n.* 17-20).

1903. *Quid de potestate Pontificis dispensandi quoad residentiam Episcoporum, vel ut simplex Sacerdos possit esse Minister Confirmationis?* Etsi obligatio residentiae Episcoporum et necessitas Ordinis episcopalis quoad ministrum Confirmationis sint de iure divino; tamen certum est ex traditione quod Christus Dominus facultatem dispensandi seu potius licentiam concedendi his in casibus Pontifici concessit.

1904. *Potestne Pontifex dispensare in legibus non solum ecclesiasticis sed etiam Apostolicis?* Affirmative. Hinc Pontifices dispensare possunt, v. g., in ieiunio quadragesimali; in ieiunio naturali Communioni praemittendo; in observatione Dominicae pro Sabbato; et in ordinatione bigamorum. Aliud esset de legibus divinis promulgatis ab Apostolis, v. g., circa materiam et formam Sacramentorum vel sacrificii Missae etc., in quibus Pontifices dispensare nequeunt.

C.

De potestate dispensandi in Episcopis.

1905. *Quibus in casibus possunt Episcopi dispensare?* Interdum facultate ordinaria, interdum facultate quasi ordinaria, et interdum facultate specialiter delegata dispensare possunt.

1906. *Quibus in casibus Episcopus dispensare potest facultate ordinaria?* Hoc modo dispensare valet in legibus propriae dioecesis sive synodalibus sive simpliciter episcopalibus (et quidem independenter a Capitulo). *S. Lig. I.* 190.

1907. *Quibus in casibus Episcopus dispensare potest facultate quasi ordinaria?* 1° In legibus Concilii provincialis pro dioecesi sua, dummodo non sint Concilio ipsi specialiter reservatae (*S. Lig. l. c.*); 2° In quibusdam votis et iuramentis; 3° Saepe

etiam in legibus pontificiis; 4° In casibus urgentibus. Sed haec sunt explicanda.

1908. *Quibus in votis potest Episcopus dispensare?* Nequit dispensare in votis solemnibus, sed solum in simplicibus; imo ab his quoque excipienda sunt sequentia, quae Papae reservantur; scilicet

I. Votum castitatis perpetuae et perfectae; non vero votum castitatis coniugalis, aut temporaneum, aut non nubendi, aut virginitatis strictae sumptae. Dico *stricte sumptae:* communius enim fideles virginitatem pro castitate perfecte et perpetuo servanda accipere solent, ut notat Ballerini (*I. n.* 333. *q.* 3. *not.* 6).

II. Votum ingrediendi Religionem, seu Ordinem Religiosum votorum solemnium; non vero votum dandi nomen piae Congregationi votorum simplicium; ut patet ex responso S. Poenit. apud Gury (*II.* 180. *q.* 4).

III. Votum alicuius ex tribus peregrinationibus: ad limina Apostolorum: ad Ierusalem: ad S. Iacobum Compostellae.

N. B. Ut, votum Rom. Pontifici reservetur, oportet ut sit absolutum; non vero sufficeret si esset conditionatum (etsi conditio verificata fuisset), aut disiunctivum aut poenale; quod enim reservatur, perfectum in suo genere esse debet, unde vota quae ex perfecto erga rem promissam affectu non procedunt, reservari non censentur. *Gury* (*I.* 333. *q.* 3).

IV. Vota simplicia (castitatis, obedientiae et paupertatis) quae hodie emittuntur ante professionem religiosam. Haec etiam Pontifici reservantur. *S. Congr. super statum Regular.* 12 *Iun.* 1858 (*apud Lucidi II.* IV. *n.* 143).

V. Vota quae emittuntur cum obligatione perseverantiae in piis Congregationibus votorum simplicium a S. Sede approbatis. (*Cf. Lucidi II.* V. *n.* 351, et *S. Lig. III.* 255. *in fin.*).

1909. *Quid de facultate Episcopi dispensandi a iuramentis?* Dispensare possunt a iuramentis omnibus, etsi adhibita fuissent ad confirmandum votum reservatum; tunc enim votum quidem sed non iuramentum foret reservatum. S. Lig. (*III.* 259). Excipi debet tantummodo casus, in quo (ut supra innui) iuramentum libere emissum a tertio acceptatum fuisset. Dixi *libere emissum;* iuramenta enim, quae metu aut fraude extorta fuissent, utique ab Episcopo dispensari possent. (*Gury II.* 125. III).

1910. *Quid de facultate Episcopi dispensandi in legibus pontificiis?* Auctoritate quasi-ordinaria dispensare potest 1. quoad aliquas irregularitates, et quoad interstitia; 2. quoad nonnulla

quae matrimonium respiciunt; 3. quoad diversos alios casus. Sed haec sunt explicanda.

1911. *Quid potest Episcopus circa irregularitates, et interstitia?* I. Dispensare potest 1. Ab irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario). Patet ex *Cap.* Liceat (*Trid. XXIV.* vi), et vide Scavini (*III.* 590. *not.* 3. 4). 2. Ab irregularitate orta ex defectu natalium; sed ab ista, solum pro Ordinibus minoribus, et pro beneficio simplici, pro quo non exigitur Ordo sacer; quale est etiam Canonicatus in Collegiata, non vero in Cathedrali. Caeterum pro Ordinibus Maioribus suscipiendis ab hac irregularitate dispensare nequiret, quamvis esset occulta. Dixi *suscipiendis;* si enim de iisdem Ordinibus iam susceptis ageretur, plures magni nominis Theologi docent, Episcopum ab eadem irregularitate (quae Ordinum exercitium impediret) dispensare posse. *Cf. Lig.* (*VII.* 428-431). 3. A bigamia similitudinaria (quae contingit in eo qui, post votum solemne, matrimonium attentavit et consummavit); qua de re vide Scavini (*III.* 586).

II. Dispensare potest ab interstitiis non solum quoad minores sed etiam quoad maiores ordines, dummodo (quoad ordines maiores) Sabbato quatuor temporum ordinatio peragatur. Indultum enim suscipiendi ordines *extra tempora* vel ante aetatem canonicam S. Sedi reservatur. *Cf. S. Lig.* (*VI.* 974. 975).

1912. *Quid de Episcopi facultate dispensandi circa ea quae matrimonium respiciunt?* Imprimis, seclusis casibus valde urgentibus (de quibus infra), dispensare nequit ab ullo impedimento dirimente (nisi specialem obtinuerit facultatem). Sunt qui dicunt Episcopum posse dispensare in impedimentis dubiis non solum dubio iuris (pro quibus iam non exigitur dispensatio), sed etiam dubio facti. At vero si dubium esse vere grave recurrendum esset ad S. Sedem saltem ad cautelam, (quum de valido agatur) prout reapse fieri solet. Cf. Scavini (*III.* 904).

Praescindendo itaque ab impedimentis dirimentibus, distinguere oportet inter matrimonium adhuc celebrandum, et iam celebratum.

Quoad matrimonium adhuc celebrandum dispensare nequit ab impedimentis impedientibus 1. sponsalium; 2. mixtae religionis (si nempe unus sponsus catholicus et alter haereticus esset); 3. voti reservati (iuxta supra dicta *n.* 1908). Quoad alia, quae sive aliter impedimenti impedientis naturam habeant, sive utcumque solum pro licito exigantur, utique dispensare potest. Hinc valet dispensare 1. a publicationibus (*Trid.*

XXIV. 1); sed solum pro persona sibi subdita; non vero quoad aliam quae diversae esset dioecesis, eiusque Episcopus pro illa publicationes exigeret. *Gury* (*II.* 740); 2. a tempore feriato (ut scilicet tempore Adventus vel Quadragesimae matrimonium *sine solemnitatibus* celebrari possit): 3. a benedictione nuptiali (ut scilicet sine Missa, et, v. g., horis vespertinis matrimonium celebretur).

Matrimonio autem celebrato, Episcopus (probabilius) dispensare potest ab impedimento petendi debitum coniugale quod ortum fuerit sive 1. propter affinitatem ex commercio carnali coniugis cum consanguineis alterius coniugis durante matrimonio contractum; 2. propter votum castitatis (etiam perpetuae et perfectae) quod emissum fuerit ante matrimonium, vel etiam propter votum castitatis quod emissum fuisset postea, dummodo non fuerit castitatis perpetuae mutuo utriusque coniugis consensu emissum S. Lig. (*VI.* 986. 987) et Gury (*II.* 125).

1913. *Quales sunt diversi alii casus, in quibus Episcopi in legibus Pontificiis dispensare possunt?* Imprimis dispensare possunt in legibus pontificiis quidem sed particularibus pro dioecesi, quae (quoad dispensationes) perinde habentur ac si essent dioecesanae (nisi Pontifex dispensationem sibi expresse reservaverit). *Ballerini* (*Op. theol. I.* 287. 3). Caeterum distinguendum est inter dispensationem pro tota dioecesi aut solum pro casibus particularibus. Pro tota dioecesi (secluso casu urgentissimo) dispensationes certe concedere nequeunt. (*Cf. S. Lig. III.* 1032. *V.* 2). Loquendo autem de casibus particularibus, dispensare possunt 1. in ieiuniis (*S. Lig l. c.*); 2. ab operibus servilibus die festo (*S. Lig. III.* 288); 3. a recitatione horarum canonicarum ad breve tempus (*Scavini II.* 43) et pariter quoad abstinentiam a carnibus (*S. Lig. I.* 190); 4. ad faciendum sacrum hora una ante auroram vel post meridiem in quibusdam casibus extraordinariis (*S. Lig. VI.* 344); 5. ad celebrandum in domo privata pariter pro casu extraordinario v. g., alicuius infirmi etc. (*S. Lig. VI.* 359). 6. Ut Missa, quae celebrari deberet in tali aut tali Ecclesia vel altari, alibi celebretur. Ita S. Lig. (*Vi.* 329), qui tamen innuit rem istam esse valde dubiam. Certum est autem quod Episcopus absque speciali facultate ad Missarum reductionem procedere nequit (*S. Lig. VI.* 331). 7. Denique quaedam regulae generales dari possunt; scilicet Episcopi dispensare valent I° si lex pontificia dicat impersonaliter *donec dispensetur;* haec enim dictio, inutilis

esset si dispensationem pontificiam significaret. Excipe tamen nisi stylus curiae aut consuetudo dictionem ipsam aliter intellexisset. *Cf. Ballerini* (*Op. theol. I.* 287). II° Si consuetudo ferat ut in talibus vel talibus casibus Episcopi dispensent, quae consuetudo iuxta diversa loca varia esse potest. Porro *consuetudo iurisdictionem confert.* III° In rebus levioribus et frequenter occurrentibus. Hoc enim necessarium est. (Excipe nisi in quibusdam rebus huiusmodi, consuetudo esset ut ad S. Sedem recursus fieret) *Ballerini* (*l. c.*). IV° In dubio an casus indigeat dispensatione (*S. Lig. I.* 192), quando dubium sit solum iuris, vel de solo licito agatur (*Cf. n.* 1912). Aliqui dicunt Episcopum dispensare posse toties quoties Pontifex dispensationem sibi expresse non reservaverit; sed haec regula tamquam omnino falsa reiici debet; reservatio enim dispensationis non oportet ut exprimatur, sed per se subintelligitur; *eius enim est solvere cuius est ligare.* Cf. Ballerini (*l. c. n.* 288).

1914. *Quid de quasi-ordinaria facultate Episcopi dispensandi in casibus urgentibus?*

I. Casus urgens intelligitur quando ex una parte magna adest necessitas dispensandi, et ex alia recurrendi ad S. Sedem tempus et modus non suppetit. Neque casus urgentia evanesceret si ope telegraphi recurri posset ad S. Sedem, quae profecto dispensationes telegraphicas concedere non solet. (*Cf. De Occasionariis Ed. IV. n.* 133).

II. Stante casus urgentia, Episcopi nedum in legibus pontificiis sed etiam in votis S. Sedi reservatis dispensare valent. Sic enim exigit bonum commune, atque ita docent Theologi passim cum S. Lig. (*I.* 190).

III. Oportet autem et sufficit ut causa sit ita gravis ut S. Sedis consensus praesumi debeat; facilius enim in quibusdam casibus, difficilius in aliis, et interdum nullo modo (prout ab impedimento clandestinitatis) talis consensus praesumi poterit. Regula autem quod S. Sedes non soleat concedere talem vel talem dispensationem non semper attendi debet; ex eo enim quod S. Sedes recuset dispensationem dum adest tempus et modus satis commode declinandi actum (v. g. matrimonium), non sequitur quod illam recusare intendat etiam quando circumstantiae in casu stricto ita urgeant, ut actus ipse sine provocatione malorum gravissimorum iam nullo modo impediri valeat. *Cf. De Occasionariis* (*l. c.* 134).

IV. Practice casus urgens magis attendendus est necessitas contrahendi matrimonium, aut illud iam contractum (propter

periculum incontinentiae formalis si coniuges iam sint in mala fide) revalidandi; qua de re agendum erit explicatius suo loco; et vide S. Lig. (*VI.* 1122. 4123).

1915. *Quid de facultatibus Episcoporum dispensandi iure specialiter delegato?*

I. Quaenam sint facultates huiusmodi, pendet a concessionis tenore, qui proinde attente considerari debet.

II. Interdum concedi solent facultates, quas Episcopi iure etiam quasi-ordinario habent, si apud Theologos dubium aliquod supersit. Tunc autem concessio intelligenda erit *ad cautelam.*

III. Inspiciendae erunt conditiones, v. g., an sint ad annum, vel triennium, vel quinquennium etc.; an sint subdelegabiles; an valeant pro solo foro conscientiae, an vero etiam pro foro externo etc. Sed de his alibi sermo redibit.

D.

De potestate dispensandi in Vicariis Capitularibus.

1916. *Potestne Vicarius Capitularis dispensare in iis omnibus in quibus potest Episcopus?* Affirmative; facultatem scilicet habet dispensandi in iis omnibus in quibus Episcopus dispensare potest auctoritate 1. ordinaria, 2. quasi ordinaria; non vero in iis in quibus solum auctoritate specialiter delegata dispensare poterat; nisi forte delegatio non ad Episcopum praecise, sed ad Ordinarium delegata fuisset; Vicarius Capitularis enim utique Ordinarius est. (Cf. Ferraris v. *Vicarius Capitularis n.* 1-32, et Scavini *III.* 32 *et* 818. *not.* 3). Non ita pridem quaestio fiebat an Capitulum facultates aliquas sibi reservare valeret; sed hodie iam certum est nullam reservationem fieri posse, ut patet ex Const. *Romanus Pontifex* Pii IX (apud Vecchiotti *I.* 82).

E.

De facultate dispensandi in Vicariis Generalibus.

1917. *Quid de facultate dispensandi in Vicariis Generalibus?* Recolendum quod Vicarius Generalis potest habere 1. mandatum generale sive absolutum sive restrictum; 2. mandatum speciale. *Mandatum generale absolutum* consistit in iis omni-

bus facultatibus iurisdictionis (non vero Ordinis, etsi Vicarius ipse episcopali dignitate insignitus esset) quae de iure vel consuetudine concedi intelliguntur eo ipso quo quis Vicarius Generalis constituitur. Restrictum vero contingit quando Episcopus restrictiones facit, quas tamen nec sine gravi causa nec multum facere potest; secus enim Vicarius Generalis esset de nomine sed non de facto, et perinde esset ac si Episcopus non haberet Vicarium Generalem, qui consequenter iurisdictione ordinaria tunc non gauderet. *Mandatum speciale* contingit quando Episcopus sive ab initio (in instrumento constitutionis Vicarii) sive postea Vicario suo concedit tales vel tales facultates, quae in generali mandato minime comprehensae censentur. *Cf. De Angelis* (*I.* XXVIII. 12). An autem mandatum speciale dari possit formula generali (dicendo, v. g., do tibi omnes facultates, illis quoque comprehensis quae mandatum speciale exigunt); vide Ferraris (*V. Vicarius Ep. n.* 84).

In solo mandato generali (et a fortiori in restricto), quaedam negotia gravissima (quae enumerat Zitelli *Apparatus C. V. A. I*) non comprehenduntur, et nequidem officia gratiosa comprehendi censentur, cuiusmodi sunt (ut docent Canonistae) dispensationes. Vi itaque dicti mandati, Vicarius Generalis neque a votis, neque a iuramentis, neque ab irregularitate aliqua, neque a recitatione officii, neque ab aliis legibus dispensare valet. *Reiff.* (*I.* XXVIII. 85), *Vecchiotti* (*I* 70), *Ferraris* (*n.* 67), *Scavini* (*II.* 43), *S. Lig.* (*III.* 256) *etc.* Huic regulae tamen duae exceptiones fieri debent. Prima est si, ex consuetudine generali aut particulari, Vicarius Generalis aliquam dispensationem concedere possit; qua de re exemplum praebent in dispensatione a publicationibus matrimonii. *S. Lig.* (*VI.* 1007), *Ferraris* (*l. c.* 60), *Reiff.* (*l. c.*), *Scavini* (*III.* 815) *etc.* Secunda est si Episcopus longe abesset nec facile interpellari posset; tunc enim, sicut dimissorias pro clericis ordinandis concedere (*Ferraris l. c.* 64), ita etiam ab interstitiis dispensare posset. (*Lucidi I.* II. 122; *Giraldi II.* CI. 3; *Scavini III.* 815 etc.). Tunc autem a fortiori in rebus minoris momenti dispensationes concedere valeret; nec pro his (si quid opinor) attendendum erit si forte satis commode ad Episcopum scribere posset; ipsa enim frequentia casus difficultatem induceret.

De mandato speciali an possit Vicarius talem vel talem dispensationem concedere, ex tenore mandati ipsius diiudicandum erit. Hoc autem nedum expressum sed etiam tacitum esse potest, et facile contingit in rebus minutioribus, et frequenter

occurrentibus, ut puta, si, sciente et non contradicente Episcopo, passim circa ieiunium, circa opera servilia etc. dispensaret. *Reiff.* (*l. c.* 85).

F.

De potestate dispensandi in Regularibus.

1918. *Regulares vota solemnia habentes quomodo dispensandi facultatem habent?* Distinguendum est inter facultatem dispensandi cum suis, et cum saecularibus.

1919. *Quomodo dispensare possunt cum suis?* Praelati regulares erga suos subditos et famulos intra claustra perpetuo degentes iurisdictione quasi-episcopali gaudent; unde illos a recitatione officii divini, a ieiunio, ab abstinentia a carnibus, a votis non reservatis, ab irregularitatibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario); imo insuper ab irregularitate tam ex bigamia vera, quam ex defectu lenitatis (scil. ex iudicio sanguinis) orta, dispensare possunt. Gury (*II.* 175. 176. *I.* 332).

1920. *Quomodo dispensare possunt cum saecularibus?*

I. Haec facultas ex privilegio competit imprimis Regularibus mendicantibus atque aliis eorundem privilegiis communicantibus (*S. Lig. VI.* 1127).

II. Illam exercere valent solum pro foro interno et ex delegatione obtenta a propriis Provincialibus (*S. Lig. VI.* 1127. et *Gury I.* 332. *not. b. et II.* 176. VI. 3). Plures autem censent quod actu confessionis dumtaxat illam exercere valeant; cuius contrarium probabilius esse docet Sanchez (*De Matr. VIII.* XVI. 11).

III. Dispensare autem possunt 1. a votis et iuramentis S. Sedi non reservatis; 2. Ab impedimento petendi debitum coniugale propter incestum, aut propter votum castitatis (etiam perpetuae) quod sive ante sive post matrimonium fuerit emissum (iuxta sensum supra explicatum n. 1912); 3. Probabiliter etiam ob eodem voto reservato si detegeretur in casu urgenti, dum scilicet ad proximum matrimonium omnia sunt parata; 4. Ab irregularitatibus ex delicto occulto. Paucis: dispensare possunt sicut Episcopus, sub hac differentia quod ipsi (iuxta plures) solum actu sacramentalis confessionis tali facultate uti valent, ut dixi. *Cf. S. Lig.* (*VI.* 1128), *et Gury* (*II.* 175. IV. 784. *not. b*).

IV. Non solum Regulares mendicantes, sed etiam alii (v.

g., Patres Societatis Iesu, et Benedictini) iisdem vel similibus facultatibus fruuntur; qua de re vide Sanchez (*l. c.*).

1921. *Religiosi pertinentes ad pias Congregationes ab Ecclesia approbatas; aut Generalissae earundem Congregationum possuntne ad veri nominis dispensationes devenire?* Quoad Generalissas, negative prorsus; foeminae enim iurisdictionis ecclesiasticae tamquam incapaces habentur. *Cf. Lucidi* (*II. n.* 333). Quoad alios quoque religiosos, negative generatim; sed pro his privilegium aliquod speciale adesse posset (*Gury II.* 176. vi. 3).

G.

De facultate dispensandi in Parochis.

1922. *Habentne Parochi facultatem dispensandi?* Ipsi ordinarie solum docent et declarant; sed interdum licentias concedunt, et interdum vere dispensant.

1923. *Quid de licentiis?* Licentia intervenit quando Parochiani hoc vel illud facere possunt; sed, ad evitandum periculum ne nimiam libertatem sibi sumant, vel ne scandalum sequatur, lex aut consuetudo exigit ut a Parocho licentiam petant. Casus accidit speciatim in quibusdam operibus servilibus diebus festis publice peragendis in aliquibus circumstantiis. Suarez (*De Rel. II.* xxxiii. 3)

1924. *Quid de veris dispensationibus?*

Non pro tota paroecia, sed pro hoc vel illo parochiano parochi dispensationes aliquas concedere possunt. S. Ligorius (*III.* 1032. 3) scripsit: « Parochi dispensare in ieiuniis iure consuedinis certe possunt ». Interdum autem praesente Episcopo (scilicet quamvis Episcopus facile interpellari posset), et interdum solum quando, urgente necessitate, Episcopus adiri nequeat, dispensare valent.

1925. *Quinam sunt casus practici, in quibus Parochi dispensare valent, etiam praesente Episcopo?* Respondet S. Lig. (*III.* 288): « Etiam praesente Episcopo, parochi ex consuetudine possunt dispensare in minutis et frequentibus necessitatibus; in iis tamen rebus tantum, in quibus ex consuetudine introductum est ipsos dispensare ». Veniendo autem ad particularia, 1. concedere possunt ut in alia Ecclesia aliqui praecepto paschali satisfaciant; 2. dispensare valent personas particulares quoad ieiunium, nedum pro uno vel altero die, sed

indeterminatim (*S. Lig. III.* 1032. 3); 3. quoad abstinentiam a carnibus aliisque cibis vetitis ; sed hoc (nisi ageretur de declaratione pro personis iam sufficienter per se excusatis) solum pro aliqua circumstantia vel ad tempus (*Gury Cas. consc. I.* 109); 4. quoad opera servilia diebus festis, speciatim ruri (*S. Lig. III.* 288 *et Suarez De Rel. II.* xxxiii. 2); 5. quoad auditionem Missae diebus iisdem. Sed haec omnia semper intellige, ut supra; scilicet solum pro casibus particularibus vel ad tempus.

1926. *Quinam sunt casus practici, in quibus parochi dispensare quidem possunt, sed solum si Episcopus adiri nequeat?* Sic dispensare valent in gravioribus urgente necessitate. (*D' Annibale I.* 208). Casus verificatur praecipue in Matrimonio; scilicet 1. Si talis ac tanta urgeret necessitas illud sine mora et hic et nunc celebrandi omissis denunciationibus, ut illas praetermittendi Episcopus ipse (si adiri posset) facultatem concedere teneretur (*S. Lig. VI.* 1007); 2. Si ipso mane, quo matrimonium, omnibus iam paratis, celebrari debet, impedimentum dirimens occultum et ortum ex causa probrosa detegeretur. Hoc admitti posse videtur etiam quoad impedimentum publicum, si forte (quod admodum difficile erit) ex dilatione tunc quoque gravissima mala secutura essent; qua de re vide dicta *De Occasionariis* (*n.* 135. 136). Plures tamen censent quod in his casibus Parochus non proprie dispensaret, sed solum declararet quod lex sive impediens sive dirimens matrimonium in iis circumstantiis epickeam subiret et per se cessaret. *Cf. S. Lig.* (*VI.* 613 *et* 1007), *Sanchez* (*III.* x. 27), *Salmant.* (*IX.* viii. 83) *etc.*

H.

De facultate dispensandi in Confessariis.

1927. *Habentne Confessarii ullam dispensationes concedendi facultatem?* Praescindendo a Regularibus (ut supra), negative. Excipe tamen 1. casum Confessarii Monialium, si forte in aliquo Monasterio adesset consuetudo ut Confessarii aliquas, etiam veri nominis (v. g., circa ieiunium aut aliquid quod paupertatis votum respiceret), dispensationes concederent ; 2. Casum in quo Confessarii (prout alicubi usuvenit) haberent facultatem delegatam ab Episcopo dispensandi, v. g., quoad ieiunium vel abstinentiam a carnibus diebus vetitis, aut quoad petitionem debiti coniugalis perpetrato incestu etc.

§ IV.

De causis requisitis ut dispensatio sit licita, et valida:

1928. *Ut dispensatio sit licita, exigiturne semper causa iusta, cognita et sufficiens?* Affirmative; quamvis enim modo expediat et modo etiam oporteat ut dispensationes concedantur; tamen, si absque causa proportionata concederentur, rectus ordo (cui leges consulunt) detrimentum pateretur et leges dissiparentur; atque insuper, si sic dispensationes aliquibus concederentur et aliis non, acceptationi personarum et quaerelis aditus aperiretur. Causa autem debet esse cognita; secus enim temere et imprudenter procederetur. *Ballerini* (*Op, theol. I.* 173).

1929. *Superior, qui sine causa dispenset, peccatne leviter, an vero graviter?* Decisio pendet a circumstantiis. Circumstantiae quae peccatum mortale facile inducerent, sunt speciatim sequentes: 1. Si lex esset valde momentosa et in viridi observantia; 2. Si usus dispensationis vel ipsa dispensatio notabile scandalum ingereret; 3. Si ad aliquos dispensandos oporteret ut alii magis gravarentur (prout evenire posset in tributis vel in conscriptione militari); 4. Si dispensatio in grave praeiudicium spirituale dispensati ipsius redundaret; 5. Si ex dispensatione malae consequentiae, pericula, vel damna gravia, utcumque sequerentur; 6. Si Superior frequenter sine causa ad dispensationes procederet; 7. Si dispensator esset delegatus et sic (ut mox videbimus) dispensationes ipsae sine causa concessae invalidae forent. *Cf. Ballerini* (*Op. theol. I.* 274). Tunc autem Superior dispensationes ita perperam concessas sub gravi revocare teneretur.

1930. *Quaenam sunt iustae dispensandi causae?*

I. Imprimis nec sufficit incommodum consuetum (nisi aliqua alia ratio superaddatur), nec exigitur causa quae iam ex sese ad excusandum certe sufficeret.

1931. II. Causa dispensandi potest esse *intrinseca* et *extrinseca.* Intrinseca est quando subiectus versatur in speciali difficultate legem observandi (v. g., propter periculum incontinentiae in voto, debilitatem in ieiunio etc.), vel non expediat ut ille legem observet (ut puta, si officium recitando, vel aliam legem observando bona maiora exequi non posset). Extrinseca contingit quando subiectus posset quidem sine provocatione alicuius malae consequentiae legem observare, sed extet

ratio propter quam expediat ut Superior illum dispenset. Exemplum habes in dispensationibus, quae conceduntur propter eleemosynam seu taxam solvendam; vel merita specialia (virtutis, scientiae, existimationis, nobilitatis, laborum etc.) personae; vel duritiem cordis atque ad evitanda mala maiora (v. g. matrimonium civile, concubinatum etc.); vel occurrente occasione publicae laetitiae vel in qua expediat ut Superior ipse ostendat specialem benignitatem, aut personas erga religionem vel rempublicam bene affectas reddat. Sed quid de dispensationibus quae dicuntur *sine causa?* Ita appellantur, non quia proprie sine causa Superior dispenset, sed quia causam non exprimit (prout aliquando contingit, si causa mere extrinseca fuerit). Interdum autem Superior dicit: *Ex certis rationabilibus causis*, quae expressio in idem recidit. Cf. Vecchiotti (*III.* § 112).

1932. III. Ad decidendum an talis vel talis causa (sive intrinseca sive extrinseca) sufficiat, prima regula desumitur ex consuetudine prudentum; unde dispensatio concedenda vel deneganda erit, secundum quod in loco consuetudo sit ut in circumstantiis expositis concedatur vel denegetur. Si autem, propter raritatem casus vel interventum alicuius circumstantiae extraordinariae, ex consuetudine nihil percipi possit; tunc Superior specialem prudentiam et considerationem adhibere debebit, et aliquod lumen habere poterit ex monitis sequentibus. 1. Causa tamquam sufficiens haberi poterit, si sit ita gravis ut iam fere sufficiat ad excusandum, vel dubium sit an dispensatio exigatur (et multo magis si aperte per se sufficeret, unde non de dispensatione, sed de sola licentia vel declaratione ageretur). 2. In dispensatione concedenda non bonum privatum tantummodo, sed etiam bonum publicum respici debet; et bene contingere potest quod causa esset sufficiens attento bono petentis, sed propter bonum publicum tamquam insufficiens haberi debeat. Exemplum habes in voto solemni castitatis, cuius dispensatio denegaretur quamvis eo ligatus in periculo incontinentiae imo et damnationis versaretur. Hinc quaedam leges ita firmae retinendae sunt, ut nullam dispensationis spem admittant. 3. Leges, quae ad coercenda magna et extraordinaria delicta latae fuerunt, difficile dispensationem admittunt. Exemplum habes in impedimento criminis interveniente coniugicidio, et in irregularitate ex homicidio voluntario (*Cf. Pagell. casuum S. Poenit. n.* 12). 4. Difficile pariter sufficit causa delictuosa quae ad facilius obtinendam dispensationem apposita

fuerit. Exemplum habes in graviditate ad hunc finem procurata (*Cf. Instruc. S. C de Prop. Fid. super dispens. matrim.* 9 *maii* 1877 *n.* 8). 5. Causa gravior in gravioribus exigitur, et minor in levioribus sufficit. Exemplum habes in impedimentis matrimonii, unde facilius in gradibus remotioribus et difficilius in propinquioribus dispensatio conceditur. 6. Aliud est si de dispensatione generali quoad totum populum, et aliud si de dispensationibus particularibus; et de his postremis aliud est si de actibus publicis (v. g., de operibus servilibus die festo publice exercendis) et aliud si de actibus privatis vel occultis; item aliud si de una vel altera vice, aliud vero si de tempore diuturno agatur. 7. Causa maior requiritur quoad leges quae sint in viridi observantia, et minor sufficit in aliis. 8. Iudicium de sufficientia causae efformari debet, rem in complexu considerando. Hinc dispensatio dari potest facilius a ieiunio ecclesiastico, et difficilius a ieiunio naturali Eucharistiae susceptioni praemittendo (qui enim ieiunium servare nequit necessitatem Eucharistiam sumendi minime habet); et plures causae quae singillatim non sufficerent, simul iunctae sufficere possunt.

1933. IV. *Quid si Superior versaretur in dubio an causa dispensandi esset sufficiens vel ullo modo subsisteret?* Si casus resolvi nequeat adiiciendo conditionem *si vera sint exposita* (vel quid simile), aut considerando intervenire casum perplexitatis (ita ut Superior timeat male facere tam si dispenset, tam si dispensationem deneget); si, inquam, casus sic resolvi nequeat; tunc Theologi communius distinguunt secundum quod Superior dubitet an causa ullo modo subsistat, vel an (dum causa certe subsistit) illa ad dispensandum sufficiat. In primo casu dicunt dispensationem denegari debere, et in secundo (ad angustias, scrupulos et haesitationes in re adeo frequenti evitandas) concedi posse. S. Lig. (*I.* 178). Tunc itaque causa dubie sufficiens tamquam absolute sufficiens consideranda erit.

1934. *Causa sufficiens, quae exigitur pro licito, exigiturne etiam pro valido?* Distinguendum est inter dispensantem in lege propria vel antecessoris vel inferioris, et dispensantem in lege Superioris altioris.

1935. Dispensatio in lege propria vel antecessoris vel inferioris, si absque causa ulla vel sufficienti concedatur, est quidem illicita (ut vidimus), sed valida; obligationis enim vinculum a voluntate legislatoris pendet. Probatur exemplo patris, qui praecepisset filiis omnibus se domum recipiendi prima hora noctis, et postea sine causa aliquem ex illis ab hoc

praecepto exemisset. Nunquid enim ille foris remanendo inobedientiam committeret? (*Ballerini Op. theol. I.* 272). Imo valeret dispensatio, etsi de illa non concedenda iuramentum aut votum emissum fuisset; tunc enim peccaret quidem Superior contra iuramentum aut votum dispensando, sed subditus liber remaneret, et sic dispensatio effectum haberet. Hoc tamen semper intelligendum erit si Superior vere intentionem habuisset dispensandi sine causa; non vero si a petente deceptus fuisset, et multo magis si expresse dixisset, v. g., *si ita sit*, vel *si vera sint exposita* etc.

1936. Aliter loquuntur Theologi de dispensatione, quae in lege Superioris altioris concedatur; et dicunt quod quando dispensatio, ob causae deficientiam vel cognitam insufficientiam, in superiore altiore esset illicita, in superiore subordinato esset invalida. Ratio est quia, ut ait Suarez (*De voto VI*, XVII. 3), « Non dispensat (superior subordinatus) ut dominus, sed ut « minister, qui non potest excedere commissionem suam...... « Sicut inter homines procurator remittens domini debita sola « voluntate (*vel donans*) nihil faceret, et mandatarius exce« dens fines mandati non operatur valide ». Hoc certe verum est quoad dispensationes advertentur sine causa sufficienti concessas; praesumi enim nequit, quod Superior inferiori concesserit facultatem dispensandi quomodolibet, atque etiam per fas et nefas leges dissipando.

1937. *Quid si Superior in lege Superioris altioris in dubio de sufficientia vel existentia causae dispensationem concederet?* Supponendum est imprimis dispensationem concedi absolute, non vero sub conditione v. g. *si talis vel talis causa in tali gradu existat*, vel (quod tamen nunquam dici solet) *si in dubio isto causa sit sufficiens* (relinquendo sic petentem in dubio an dispensationem obtinuerit). Dicit etiam S. Lig. (*I.* 192) dispensationem non valere si facultas dispensandi data fuisset ad modum commissionis pro casu particulari, causa verificata, si reapse illa non satis adesset. Loquendo autem de dispensationibus concessis absolute ab habentibus facultatem generalem dispensandi, si dubium versetur solum circa sufficientiam causae; mihi placet sententia Sanchezii (*Dec. IV.* XLV. 10) dicentis: « Credendum est facultatem Superiorum esse in hoc « dubio (de sufficientia causae); id enim petit bonum et suave « Ecclesiae regimen: esset enim multis scrupulorum occasionibus « exposita potestas, si ad solas causas certas extenderetur, et « vix auderent Superiores dispensare ». Et in hoc consentit

etiam S. Lig. (*I.* 192) inquiens: « Tunc dispensans non obli« gatur ad examen de plena sufficientia causae ».

1938. A fortiori valida mihi videtur dispensatio si talis Superior firmiter credidisset causam esse sufficientem, dum reapse sufficiens non esset. Sic profecto docent Theologi plurimi. Equidem dissentit S. Lig. (*III.* 251) ; sed nec huius sententiae cohaerentiam video, nec illam sequendi obligatio aderit. Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* 311).

1939. Si autem causa non iam esset insufficiens sed deesset omnino, tunc Theologi communiter admittunt, quod, non obstante dubio vel erronea certitudine Superioris, dispensatio (quamvis ab ipso Summo Pontifice in voto aut iuramento concessa fuisset) invalida esset. Rationem adducunt quia, quum agatur de casu rarissimo, recta Ecclesiae gubernatio non petit eam potestatem, sicut petit quando constat de causa et de sola eius sufficentia dubitatur. Sanchez (*l. c.*) et Baller. (*l. c.* 310).

1940. *Quid si subditus, cui a Superiore subordinato concessa fuit dispensatio, versaretur in dubio aut certe conspiceret causam dispensationis nullatenus subsistere?* In dubio praesumendum esse pro Superiore atque adeo pro validitate dispensationis mihi certum videtur, et consentit S. Lig. (*III.* 351). Exceptio forsan fieri posset si Superior iam esset diffamatus tamquam imprudens et in concedendis dispensationibus plus aequo facilis. Si autem subditus evidenter conspiceret nullam omnino causam adesse, tunc certe dispensatione obtenta uti nequiret. Ballerini (*l. c.* 310).

1941. *Valetne dispensatio, quae temere et sine cognitione causae a Superiore subordinato concessa fuisset, si revera causa subsisteret?* Affirmant communius cum S. Lig. (*I.* 181), quia valor dispensationis non pendet a cognitione causae, sed ab existentia illius, sicut valet electio capacis ad beneficium, licet capacitas ignoretur ab electore.

1942. *Valetne dispensatio tacita? Et quandonam intervenit?* Valet certe; et intervenit 1. Si Superior, sciens quomodo res se habeant, aliquid praeceperit vel concesserit subdito, quod sine dispensatione fieri aut valere nequiret; v. g., si Pontifex concederet Beneficium irregulari, dum tamen certe constet de tali irregularitate illum habere notitiam; 2. Si Superior ita videat et taceat ut ex circumstantiis praesumi debeat quod iam sit contentus. Hoc tamen difficile est, saepe enim non de consensu, sed de prudentia, de dilatione correctionis ad tempus opportunius, de tolerantia ad vitanda mala maiora, aut etiam de ne-

gligentia vel pusillanimitate Superioris ipsius agitur. Quis enim dixerit, v. g., quod Episcopus, videns subditum irregularem celebrare, statim intendat illum dispensare ab irregularitate, quia statim illum non corrigat? Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* 329).

1943. *Valetne dispensatio metu gravi concessa?* Metus incussio posset esse iusta; si nempe Superior inique illam concedere recusaret, et subditus iustam accusationem (v. g., de gravi illius crimine) ei minitaretur. Sed supponendo etiam metum fuisse iniustum, dispensatio valeret; ex una parte enim metus non tollit voluntarium, et ex alia nulla lex talem dispensationem irritam reddit. Excipe nisi vel causa dispensandi in Superiore subordinato deesset; vel Superior ore dumtaxat et ficte, non autem animo (quod tamen non praesumitur), illam concessisset. Posset autem Superior (uti patet) illam revocare. S. Lig. (*I.* 184).

1944. *Quid praeterea exigitur ut dispensatio sit valida?* Oportet ut non sit vitiosa, seu (ut dicunt Canonistae) non laboret vitio sive *formae*, sive *personarum*, sive *precum*. (Hoc autem de quibuslibet rescriptis verum est).

1945. *Quandonam interveniret vitium formae?* Quando rescriptum appareret apocryphum aut substantialiter adulteratum etc., qua de re vide Vecchiotti (*I.* § 53).

1946. *Quandonam interveniret vitium personarum?* Quando persona sive concedens sive impetrans esset ad concedendum vel impetrandum inhabilis.

1947. A parte concedentis inhabilitas interveniret, si concessio limites eiusdem potestatis excederet; ubi notandum quod dispensatio ab illegitimis natalibus, quae a Principe laico concessa fuisset, quoad effectus civiles quidem, non vero quoad ecclesiasticos (scilicet ad tollendam irregularitatem circa Ordines et Beneficia) valere posset.

1948. A parte impetrantis inhabilitas intervenire posset propter excommunicationem, etiam occulte contractam (*Vecchiotti l. c.* § 51). Haec tamen inhabilitas valde restringitur; oportet enim 1. ut agatur de rescripto papali (de quo solo loquuntur Canones *C. I. De rescript. in VI°*); non vero de dispensatione concessa ab Episcopo, etsi facultate a S. Sede obtenta illam concesserit; tunc enim etiam de rescripto papali minime ageretur et odia sunt restringenda (*De Angelis I.* III. 3). Quia autem in rescriptis papalibus apponi solet absolutio ab excommunicatione (etsi solum ad effectum, scilicet unice ut rescriptum validitate non careat, eadem postea censura reviviscente),

ideo exigitur 2. ut impetrans in excommunicatione per annum continuum (etsi interdum quatuor menses sufficiant) insorduerit; in hac enim circumstantia absolutio praedicta (ex Regula Cancellariae LXVI) locum non habere censetur (*Cf. De Ang. l. c.*). Sed quid si rescriptum concederetur in negotio individuo duabus personis, quarum una capax esset suscipiendae gratiae, et alia incapax, prout accidere potest in dispensationibus matrimonialibus? De Angelis (*l. c.*) docet, rescriptum tunc pro utroque valere, ne scilicet ex malitia unius pars innocens plectatur, aut facultate impetrandi rescriptum privetur.

1949. Valetne rescriptum quod quis petat pro alia persona non mandante et de petitione ista nihil sciente? Respondet De Angelis (*l. c.*) iure consuetudinario receptum esse id valide fieri posse, et quidem quoad rescripta nedum gratiae (v. g. pro dispensatione), sed etiam iustitiae (ad lites).

1950. *Quandonam interveniret vitium precum?* Si in petitione *subreptio* vel *obreptio* locum haberet. Subreptio in reticentia rei necessario manifestandae; obreptio autem in expressione falsitatis substantialis (ut mox explicabitur) consistit. Defectus huiusmodi a parte sive illius qui dispensationem obtinere vult; sive confessarii aut cancellarii aut procuratoris (vulgo *agentis*) supplicem libellum scribentis; idque sive bona sive mala fide accidere potest. Sed haec sunt declaranda.

1951. *Quid de subreptione? Quaenam scilicet reticentiae dispensationem subreptitiam et invalidam reddunt?* Hoc accidit in sequentibus casibus:

I. *Si occultentur ea, de quibus in particulari lex aliqua pro valido ut manifestentur decernat* sive explicite sive implicite. Hoc autem decerneret implicite, si diceret, v. g., *sine spe dispensationis*, vel *nunquam dispensetur* etc. Exemplum habes in Trid.° (*XXIV. de refor. matr. V.*) dicente: « Si quis « intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere prae« sumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendae ca« reat ».

1952. II. *Si occultentur ea, quae, sive ex consuetudine Principis sive ex stylo Curiae Romanae, necessario exprimenda sunt.* Exemplum habes in necessitate exprimendi, v. g., in dispensationibus matrimonialibus an matrimonium iam fuerit contractum etsi bona fide, vel an omissae fuerint proclamationes, vel an copula (quae adducatur pro motivo dispensationis) vel ipsa matrimonii celebratio sub spe dispensationem facilius obtinendi perpetrata fuerit etc. Idem dic quoad petitionem sa-

natoriae pro Missis non celebratis, si animo illam obtinendi Missae celebratae non fuerint. (*Scavini III. IV.* 264). Et in materia beneficiaria si quis beneficium peteret, et alio beneficio aut vicariâ perpetuâ aut (quod in idem recidere videtur) pensione perpetua iam frueretur, id exprimere deberet. Vide alia in Glossa (ad C. *Super litteris* de Rescriptis *v. Litteras dedissemus*).

Ratio est quia, subsistentibus circumstantiis n. 1° et II° indicatis, ius intendit ut dispensatio non concedatur, seu concessa non censeatur, nisi Pontifex circumstantias easdem explicite cognoscat.

1953. Inter ea, quae ex stylo Curiae necessario exprimenda sunt, notari debet praecipue *casus in quo ad matrimonii* (*pro quo recurritur*) *valorem et liceitatem exigeretur duplex dispensatio et una tantummodo peteretur;* omnia quippe impedimenta manifestari debent; et dispensatio invalida foret, etsi expressa fuissent ea omnia quae valori et reticitum fuisset aliquid quod liceitati dumtaxat obstaret et dispensatione indigeret. De veritate huius doctrinae dubitari nequit (*cf. Instruct. S. C. de Prop. Fid.*), et vide rationes apud Suarez (*De Leg. VI.* xxiv. 3. 9) et Sanchez (*VIII.* xxiii. 2). Hinc si impedimentum *crimen* esset ex duplici capite (adulterium et coniugicidium cum promissione matrimonii), vel si consanguinitas esset duplex (ex parte tam patris quam matris), vel si praeter consanguinitatem adesset quoque affinitas, aut aliud impedimentum sive dirimens, sive tantummodo impediens (v. g., ex voto, mixta religione etc.); haec essent declaranda. Oporteret tamen ut vere plura impedimenta subsisterent; quod probabiliter non contingeret, v. g., si plures filios Berthae in Baptismo tenuisses, tunc enim (iuxta multos) non plures cognationes spirituales contraxisses. (Ballerini *Op. theol. I.* iii. 349). Sic etiam ex copula licita (matrimoniali) et illicita (antematrimoniali) cum eadem persona habita non duplex sed unica (cum eiusdem consanguineis) affinitas contrahitur. *Acta* (*X.* 295).

Advertenter dixi *ad matrimonii pro quo recurritur etc.;* nihil enim vetat quominus habens votum castitatis velitque ab eo solvi propter periculum incontinentiae, illius dispensationem petat, atque obtineat; postea autem (nullo facto verbo de voto isto) aliam pro ducenda consanguinea dispensationem exposcat; neque obstaret (ut ait Suarez *De Leg. VI.* xxiv. 4) si, dum primam dispensationem petiit, de secunda dein petenda cogitasset. Cf. Sanchez (*VIII.* xxiii. 4).

Hanc autem necessitatem exprimendi vincula omnia, ut valide obtineatur dispensatio a vinculo uno, ultra dispensationes matrimoniales non extendi ad alios casus universaliter, docet Suarez; qui proinde censet pluribus irregularitatibus irretitum obtinere posse dispensationem prius ab una et postea ab alia (*l. c.* 10), et affectum votis castitatis et religionis, prius a voto religionis et postea a voto castitatis (non tamen viceversa) dispensationem obtinere posse (*l. c.* 7).

1954. Sedulo autem notari debet quod quando dispensatio est subreptitia et proinde invalida, talis remanet etsi non mala sed bona fide reticentia contigerit; ignorantia enim supplere nequit ea quae lege exiguntur, neque profecto lex ista solum poenalis est; idque diserte declarat S. C. Prop. Fid. (*Instr. super disp. Matrim.* 9 *Maii* 1877. *n.* 16). Subreptitia et invalida est etiam quamvis Princeps, cognita quoque illa veritate, quae reticita fuit, nihilominus dispensaturus fuisset; ille enim intendit dispensare sub conditione quod nihil de iure exprimendum reticitum fuerit, unde in casu dispensationem non concessit; aliud est autem quod fecit et aliud quod fecisset. Patet a simili ex impetratione beneficii, quae esset invalida si qui illud obtinuit reticuisset se possidere beneficium aliud, etsi foret ita tenue ut nihilominus Pontifex gratiam ei concessisset. Sanchez (*De Matr. VIII.* XXI. 13-16).

1955. Doctores multi dant etiam aliam regulam, et dicunt dispensationem esse subreptitiam si reticitum fuisset aliquid, quo cognito Princeps gratiam nullo modo, aut solum sub quibusdam vel diversis conditionibus esset concessurus. At vero Sanchez (*l. c.* 18) docet regulam istam sic absolute prolatam subsistere non posse, et merito. Titius, v. g., petit dispensationem ab irregularitate et beneficium; sed tacet alium Superiori valde familiarem beneficium ipsum desiderare et mox esse petiturum; aut tacet tale vel tale crimen (non tamen inducens inhabilitatem ad beneficia obtinenda) se commisisse; tacet, inquam, ita ut, si Superior haec sciret, certo certius gratiam denegaturus esset. Nunquid idcirco dispensatio et beneficii collatio invalida esset? Minime sane. Imo cl. D'Annibale (*I.* 215) aperte docet sufficere duas regulas praedictas (n. 1951 et 1952 indicatas), et regulam istam praeter illas nihil efficere; secus enim nulla fere gratia esset tuta et certa; quod alii plures observant, et ipse Sanchez (*l. c.* 19) in conclusione idem sentire videtur; explicando enim quibus in casibus haec regula valere debeat, scripsit: « Id prudentis arbitrio iudicandum...

« Prudens autem hoc arbitrabitur *attento communi Curiae stylo,* « *et Principis consuetudine attentis aliis similibus rescriptis* ». Sed nonne tunc in regulas praefatas iam incidimus? Ex hac doctrina inferes

1956. I. Petens dispensationem ab irregularitate quia occidit clericum, probabiliter non oportet ut explicet an occisus laicus an vero clericus fuerit; irregularitas enim ex homicidio non vero ex sacrilegio oritur, neque ex stylo Curiae aut consuetudine constat quod haec circumstantia exprimenda sit. Idem dic si plures homines occidisses, vel ter quaterve nupsisses; probabiliter enim non exinde plures irregularitates aut bigamias contraxisses, et sufficeret si dispensationem propter homicidium vel bigamiam peteres. Ballerini (*Op. theol. I.* III. 349).

1957. II. Si gratia alia vice petita et denegata fuisset, in nova petitione denegationem ipsam indicare non oporteret. Ita docent communiter. Cf. D'Annibale (*I.* 215. *not.* 7). Excipe nisi prima petitio a Superiore ordinario reiecta, et secunda ad Superiorem delegatum directa fuisset; prout si quis, habita repulsa a Dataria Apostolica, ad Poenitentiariam (quae etiam, ex delegatione Datariae, in foro externo pro pauperibus dispensare potest) recurreret.

1958. III. Nulla quoque adesset obligatio exprimendi quod prius aliae dispensationes diversae speciei obtentae fuissent; unde qui nunc petit dispensationem a voto piae peregrinationis non oportet ut significet quod prius ab aliis votis, vel a recitatione divini officii, vel a ieiunio etc. dispensationem obtinuisset; et qui nunc petit ut dispensetur ab interstitiis non tenetur exprimere quod prius dispensationem ab irregularitate obtinuerit. Imo ordinarie ne oportet quidem ut exprimatur quod dispensatio eiusdem speciei alia vice obtenta fuerit; idque verum est non solum si prima invalida fuisset; vel tu ea usus non fuisses; sed probabiliter etiam si valida atque ad effectum deducta fuisset, ut docet D' Annibale (*l. c.*).

Hinc qui petit dispensationem a ieiunio quadragesimae non tenetur exprimere se anno praecedenti eandem dispensationem obtinuisse; et idem dic de illo qui postquam dispensatus fuit ad ducendam consanguineam, ea mortua dispensari petat ut aliam consanguineam ducere possit. Dixi *ordinarie;* haec regula enim nonnullas patitur exceptiones. Scilicet excipitur 1. Si dispensatio redundet in damnum tertii: ut puta, si quis dispensatus fuisset a solvendis decimis pro vinea, vel a dependentia ab Ordinario pro aliquo casu, nunc (tacitis his dispensationibus) peteret di-

spensationem a solvendis decimis pro agro, vel a subiectione Ordinarii pro aliis casibus. Excipitur 2. Si quis obtinuisset dispensationem a voto castitatis sed haec restricta fuisset ad primum matrimonium; tunc enim si, mortua coniuge, et reviviscente voto, aliam ducere vellet, primam dispensationem significare deberet; sensus quippe novi rescripti esset de primo matrimonio dum in casu esset secundum. Excipit Suarez 3. si beneficiatus obtinuisset dispensationem a residentia sine amissione fructuum, v. g., ad quinquennium, et postea peteret aliam dispensationem, v. g., pariter ad quinquennium immediate subsecuturum, tacita prima; tunc enim perinde esset ac si de decennio ageretur, pro quo causa longe maior et cognitio de integro casu in dispensante exigeretur. Excipitur 4. Si de impedimento iterum orto ex eodem (non diverso) delicto res esset, ut puta, si quis obtinuisset dispensationem ab impedimento criminis, et in novo matrimonio idem crimen commisisset, unde, v. g., occiso primo et secundo coniuge, tertium (cum eodem impedimento) ducere vellet; tunc enim huiusmodi recidivitatem significare deberet; in iure quippe scriptum est: « Remissionem « veniae minime nisi semel commissa non habeant » (*L.* 3. *de Episc. audien.*). De his omnibus cf. Suarez (*De Leg. VI.* XXIII) et Sanchez (*De Matr. VIII.* XXII). Idem dic si, postquam quis pro Missis non celebratis sanatoriam obtinuisset, postea pro nova sanatoria (primam reticendo) recurreret. Imo quoad Missas, si (secluso quoque delicto) peteretur reductio, de alia reductione, quae forte prius obtenta fuisset, mentio semper necessaria foret. Scavini (*III.* 264).

1959. *Quid si quis, obtenta dispensatione ad ducendam consanguineam, postea (matrimonio non celebrato eaque vivente) peteret dispensationem ad ducendam aliam consanguineam?* Tunc primam dispensationem aut illius renuntiationem significare deberet; secus enim sequeretur quod utraque dispensatione pro lubitu uti posset; imo unusquisque posset multas dispensationes hoc modo obtinere; quod abnormissimum atque a stylo Romanae Curiae alienissimum est. Cf. Suarez (*l. c.* 19-21).

1960. *Quid si quis petiisset dispensationem, sed reticuisset obstare ex alio capite ius tertii iam acquisitum, prout contingeret si quis petiisset atque obtinuisset dispensationem ad ducendam Liviam consanguineam; sed reticuisset sponsalium obligatione se cum Bertha detineri?* In hoc casu rescriptum non valeret; ita tamen ut valere possit, si postea tertius iuri suo renuntiet. *D'Annibale* (*l. c.*). — Et de subreptione iam satis.

1961. *Quid de obreptione? Quaenam scilicet falsitates in petitione insertae dispensationem vel gratiam obreptitiam et invalidam reddunt?* Canonistae et Theologi dant regulas sequentes:

I. Non quaelibet falsitates, sed illae dumtaxat quae substantiales, seu de stylo curiae aut consuetudine vitiantes rescriptum censentur, gratiae concessionem invalidam reddunt; quod in narratione falsi, ut puta, si unum impedimentum pro alio (scilicet quid pro quo *), aut si gradus remotior pro propinquiori v. g. si tertius gradus consanguinitatis pro secundo (non autem viceversa) exponeretur; maxime vero in expositione causae falsae (si motiva sit) contingere potest. Tunc autem invalida est dispensatio sive a summo Pontifice, sive a quovis alio, petatur.

1962. II. Causae aliae sunt *motivae* (seu finales, aut principales); aliae vero *impulsivae* (seu secundariae). Causa motiva est quae (etsi esset sola) sufficit ut Superior ad gratiam (sive sic et simpliciter, sive tali vel tali modo) concedendam se determinet; impulsiva autem efficit tantummodo ut libentius, aut citius et facilius gratiam concedat. Sic, v. g., ad concedendam dispensationem a voto castitatis, causa motiva esse solet periculum incontinentiae, impulsiva autem pietas vel nobilitas personae esse poterit. Ad iudicandum autem in casibus particularibus an haec vel illa causa tamquam motiva vel solum impulsiva haberi debeat, stylo et consuetudini (non vero coniecturali intentioni Superioris, attenta, v. g., eius indole plus vel minus benigna aut rigida) standum erit; secus enim (ut bene observat D' Annibale *I.* 216. *not.* 9) omnia essent incerta et continuis scrupulis obnoxia. Attamen si ad gratiam obtinendam adducta fuisset unica causa, et haec esset de illis quae solum ut impulsivae habentur; tunc, si gratia concederetur, causa illa tamquam motiva haberi deberet; et idem dic si, adductis pluribus causis impulsivis dumtaxat, gratia obtenta fuisset; tunc enim ex illarum (sive omnium sive aliquarum) complexu causa motiva constituta fuisset. An autem ad illam constituendam omnes exigantur, an vero aliquae sufficiant, hoc pariter ex stylo aut communi aestimatione diiudicari debet.

1963. III. Si unica causa fuisset adducta et illa esset falsa, tum dispensatio semper corrueret. Si plures causae adductae

* Quid pro quo (iuxta Suarez *l. c. 16*) exponeretur etiam si quis, obtenta dispensatione a voto cum quibusdam oneribus, postea (reticendo hanc dispensationem et fingendo se voto adhuc esse ligatum) peteret ab eodem dispensationem absolutam.

fuissent, et aliquae essent verae, aliae vero falsae; tunc, ad dispensationis valorem, oportet et sufficit ut, si adductae fuerint causae motivae, una saltem ex illis sit vera; si autem adductae fuerint solum causae impulsivae, oportet ut vel omnes sint verae, vel saltem talis earum complexus verus sit qui ad gratiam concedendam certe sufficere soleat. Nec obstat quod in rescripto dicatur: *si vera sint exposita;* haec enim clausula solum ad existentiam motivi sufficientis refertur. Cf. D' Annib. (*l. c. not.* 9).

1964. IV. Contingere potest quod dispensatio partim valeat et partim non valeat; si nempe duo petita fuissent, et causa quoad unum vera et quoad aliud falsa fuisset. Exemplum habes si quis petiisset dispensationem a voto adducens cum veritate periculum incontinentiae, simulque ab impedimento consanguinitatis falso adducens consobrinae (quam ducere vellet) paupertatem. Ille si quidem uxorem ducere poterit sed non consobrinam. (*D' Annib. l. c. not.* 10).

1965. V. Nihil prodest si bona fide falsitas intercesserit, nisi qui rescripsit illam cognoverit et nihilominus gratiam (quam concedere potuerit) concesserit. Nihil prodest etiam si aliae causae iustissimae adfuissent, sed expressae non fuissent (D'Annibale *l. c.* 118).

1966. *Quid si reticentia veri aut narratio falsi in re, quae caeteroquin nullo modo aut non ex toto rescriptum invalidum redderet, non ex simplicitate, et ignorantia, sed ex vera fraude et malitia intervenisset?* Supposita malitia, rescriptum semper evadere invalidum docent plures cum Vecchiotti (*I.* § 52) et De Angelis (*I. III.* 4), ex C. XX. *Super litteris* (*De Rescript.*) dicente: « In suae perversitatis poenam nullum ex illis litteris « commodum consequantur; et ita videlicet quod delegatus « (postquam sibi super hoc facta fuerit fides) nullatenus de « causa cognoscat ». At vero Sanchez (*VIII.* XXI. 74-78) et D' Annibale (*I.* 216) aliique censent hanc legem locum habere solum post sententiam iudicis (quum agatur de poena), aut si rescripti executor fraudis commissae notitiam tempestive habuerit; prout reapse lex ipsa (uti patet) iam innuit expresse.

1967. *Dispensatio valetne a momento quo conceditur?*

I. Si sub conditione concessa fuerit, tunc antequam conditio verificetur effectum habere nequit, ut manifestum est. Idem dic si Superior dilationem aliquam statuerit.

II. Videndum an dispensatio in forma simpliciter *gratiosa*, aut *commissoria* concessa fuerit. Est in forma simpliciter gra-

tiosa, quando Pontifex per se ipsum ita gratiam concedit, ut alterius interventum pro executione non exigat; ut puta, si in rescripto dicatur: *Sanctitas sua benigne annuit pro petita facultate.* Est in forma commissoria, quando Pontifex alteri, v. g., Episcopo, committit ut dispenset vel concedit ut dispensare possit. Manifestum est autem quod dispensatio; si sit in forma commissoria, antequam delegatus illam concedat, valere nequit.

III. An autem dispensatio valere possit antequam dispensatus eiusdem notitiam vel communicationem habuerit; hoc pendet ab intentione dispensantis. Si directa fuerit praecise ad conscientiam illius, ut scilicet possit quietâ conscientiâ facere vel omittere ea, quae, seclusa dispensatione, fieri vel omitti non posse cognoscat; tunc certe intentio dispensantis erit ut dispensatio non valeat antequam dispensatus ipse illius notitiam habeat (*Suarez De Leg. VI.* xi. 8). Si vero non ad hoc praecise, sed, v. g., ad tollendam inhabilitatem aut actus invaliditatem (v. g., irregularitatem, impedimentum matrimonii etc.), utique tunc intentio Superioris esse potest ut dispensatio inscio quoque dispensato effectum habere valeat. Sed hoc melius declarabitur infra (*n.* 1985).

1968. *Quo tempore oportet ut causa vere subsistat? Quando supplex libellus scribitur? An vero quando Princeps rescribit? An vero quando Commissarius rescriptum executioni mandat?* Quum tota ratio, cur causa debet esse vera, eo tendat ut dispensatio sine causa non concedatur; oportet et sufficit ut causa vera existat dum gratia conceditur. Non itaque oportet ut sit vera quando supplex libellus scribitur; sed, si concessio fuit in forma gratiosa, quando Princeps rescribit; si autem fiat in forma commissoria, quando Commissarius dispensat, existere et vera esse debet. Hinc si mulier, quae nondum excesserat 24 aetatis annum, petierit dispensationem matrimonialem *ob aetatem provectam,* si dispensatio post illum expletum concessa fuerit, valet. E contra si illam petiisset ad prolem legitimandam, si dispensatio, prole mortua vel non adhuc concepta, data fuerit, non valet. D'Annibale (*I.* 217), Berengo (*n.* 130) aliique passim.

1969. *Dispensatio redditurne invalida si, postquam concessa fuerit, cesset causa adducta?* Interdum affirmative et interdum negative. Decisio pendet a voluntate dispensantis, qui saepe intendit ut dispensatio perduret etsi causa adducta cessaverit. Hinc si, adductâ causâ paupertatis, dispensatio matrimonialis obtenta fuisset, perduraret etsi postea (matrimonio non adhuc

celebrato) inopinate magnus thesaurus inventus fuisset. Dixi *inopinate;* si enim quis pauper quidem esset, sed sciret quamprimum magnam haereditatem sibi esse adventuram; tunc substantiale vitium precum non deesset. Haec tamen melius explicabuntur infra (*n.* 1999-2003).

1970. *Quid si dispensatio petita quidem fuisset, sed Pontifex motu proprio illam concedere dixisset? Obstaretne tunc subreptio vel obreptio?* Canonistae dicunt tunc subreptionem non obstare; bene vero obstare obreptionem. Cf. D' Annibale (*l. c.* 218).

1971. *Quid in dubio an rescriptum subreptione vel obreptione laboret?* Tunc valida censenda est dispensatio facta, quum in dubio iura faveant valori actus; unde effatum: « In « dubio standum est pro valore actus ». Ita S. Lig. (*I.* 185. *III.* 251. *VI.* 1132), D' Annibale (*I.* 218) aliique.

§ V.

De obligatione dispensandi.

1972. *Subsistente causa dispensandi teneturne Superior dispensationem concedere; an vero potest etiam illam denegare?*

I. In multis casibus dispensatio est vere debita et obligatoria sive *ex iustitia* (legali), sive ex charitate et misericordia. Est debita ex iustitia 1. Si *iure ipso* nedum permittatur sed praecipiatur; 2. Si praecipiatur *ab homine;* ut puta, si Pontifex Episcopo vel Confessario iniungat ut talem vel talem personam dispenset; 3. Si dari debeat *ex officio*, si nempe abstinendo a dispensatione malum publicum vel spirituale privatum adeo magnum secuturum esset, ut vulneri, quod (dispensando) legi infligitur, valde praevaleret. Superior enim ex officio bono publico, et necessitatibus (spiritualibus, si sit Superior ecclesiasticus) providere tenetur. Equidem Princeps subditis suis providet per leges; sed, quia ex una parte exceptiones (maxime omnes) in legibus indicari nequeunt, et ex alia saepe oportet ut subditis proprio consilio ab illis se eximendi libertas non relinquatur, necesse est prorsus ut etiam per dispensationes et licentias Princeps ipse provideat. Est autem dispensatio debita *ex charitate et misericordia* quando, ea seclusa, gravia vel gravissima mala temporalia subditis imminerent. Suarez (*De Leg. VI* xviii. 22).

1973. II. Huiusmodi autem obligatio, sive propter ius acqui-

situm, sive ad obviandum periculo incontinentiae et damnationis aeternae, sive ad succurrendum aliis magnis necessitatibus speciatim publicis, utique sub gravi urgere potest. Sic ratione publicae necessitatis contingere potest quod sub gravi dispensare oporteat, v. g., ab interstitiis (pro necessitate Ecclesiae), ab impedimentis matrimonii (v. g., ne sequantur concubinatus et matrimonia mere civilia), ab abstinentia a carnibus diebus vetitis tempore pestis etc.

1974. III. Si autem adsit quidem causa sed non in tali gradu ut necessitas dispensandi vere subsistat, unde rectus ordo sinat ut dispensatio concedatur vel non concedatur; tunc dispensatio ipsa licita quidem vel etiam expediens, sed non debita et obligatoria dici poterit; atque Superiori illam aliquibus concedere et aliquibus denegare integrum erit. Hinc communiter dicitur quod dispensatio aliquando *gratia* et aliquando *debitum* est.

§ VI.

De interpretatione dispensationis et facultatis dispensandi.

1975. *Quandonam interpretatio locum habere potest?* Solum in dubio; si enim, v. g., consuetudo sensum determinasset, tunc interpretatio locum habere nequiret.

1976. *Quaenam hoc in puncto sunt regulae principales?* Sunt duae:

I. Dispensatio ordinarie interpretari debet stricte, quia censetur odiosa (propter vulnus quod legi infligit).

II. Facultas dispensandi ordinarie interpretari debet late, quia censetur favorabilis (propter favorem dispensaturo concessum sine vulnere legis; Princeps enim talem facultatem concedens nullam legem vulnerat, sed suae potestatis partem alteri communicat). S. Lig. (*I.* 187) aliique communiter.

Hinc dispensatio ab irregularitate ut quis beneficium obtinere possit (in dubio) intelligitur de simplici; facultas autem concessa alicui dispensandi ab irregularitate quoad beneficium (in dubio) intelligi potest etiam de curato. Sanchez (*De Matr. VIII.* n. 8).

1977. *Prima regula (de dispensatione stricte interpretanda) habetne exceptiones, et quales?* Quum dispensatio interdum evadat favorabilis, haec regula sequentes habet exceptiones:

1. Si fuerit inserta in corpore iuris seu data ad modum le-

gis; aut si generaliter, vel utcumque pro bono communi concessa fuerit.

2. Si concessa quidem fuerit personae particulari, et pro bono particulari, sed ita ut vel omnino debita, vel *motu proprio* Principis concessa fuerit. S. Lig. (*I.* 195). Cf. supra dicta (*n.* 1651).

Regula itaque strictae interpretationis valet solum pro dispensationibus ordinariis, scilicet particularibus, pro bono particulari, non stricte debitis, atque ad instantiam concessis.

1978. *Regula secunda (de potestate dispensandi late interpretanda) habetne exceptiones?* Unicam subit exceptionem; si nempe potestas dispensandi ad modum commissionis pro casu particulari data fuerit alicui sine intentione favorem ei concedendi; tunc enim huiusmodi potestatis concessio ad mandatum reducitur, quod ultra intentionem et voluntatem mandantis protendi nequit, nec dubium mandatarii quidquam supplere potest.

Potestas itaque dispensandi latam interpretationem subit I. si sit ordinaria vel delegata generaliter pro bono publico; 2. si (etsi fuerit delegata pro casu particulari) in favorem et commodum delegati ipsius concessa fuerit, quod (ut aiunt Salmant. *XI.* v. 53) non praesumitur nisi probetur. Cf. Sanchez (*De Matr. VIII.* II).

1979. *Potestas delegata dispensandi, si modo generali concessa fuerit, extenditurne etiam ad ea quae sunt iuris naturalis et divini, si delegans in iis quoque dispensandi ordinariam potestatem habeat?* Affirmative respondet Sanchez (*l. c.* 5), dummodo non agatur de iis, quae specialiter reservantur, aut in quibus nemo praeter Summum Pontificem unquam dispensavit. Hinc in generali potestate facultas quidem dispensandi a iuramentis et votis non reservatis, non vero a votis solemnibus aut reservatis vel a matrimonio rato, includitur.

§ VII.

De subiecto dispensationis.

1980. *Quaenam est regula suprema ad decernendum quisnam esse possit subiectus dispensationis?* Videndum an quis dispenset in lege propria, an vero in lege aliena. In lege propria subiectus esse potest quicumque ea lege ligatur, sive subditus sive non subditus (*cf.* *n.* 1700). In lege aliena oportet

insuper ut legislator (aut eiusdem delegatus subdelegare valens), sive expresse delegando sive utcumque annuendo, contentus sit ut alter sua lege ligato dispensationem concedat. Sic Episcopi (et in quibusdam etiam Parochi) proprios subditos interdum a votis et iuramentis, nec non a legibus Pontificiis, voluntate Dei et Pontificis dispensare possunt facultate quasi-ordinaria et subdelegabili (ut supra vidimus).

1981. *Advenae, vagi et peregrini possuntne obtinere dispensationes a superioribus loci ubi degunt?* Certe ab iisdem dispensari nequeunt a legibus propriae patriae, et possunt a legibus loci ubi degunt (quatenus iisdem afficiantur). Dubium itaque restringitur ad vota et iuramenta, atque ad leges communes Ecclesiae, v. g., quoad ieiunium, abstinentiam a carnibus et operibus servilibus, irregularitates occultas etc. Quid itaque dicendum? Episcopi et Parochi certe dispensationem concedere valent *advenis*, qui in loco quasi domicilium habent; et proinde sunt subditi. Ita communissime. Cf. Acta (*II.* 671. *ad* 4).

Vagis etiam (qui nullibi domicilium habent) quando in eorum territorio morantur dispensationem concedere possunt; secus enim illi a nemine dispensari valerent; quod supponi nequit. Scavini (*I.* 235).

Sed quid de *peregrinis?* Doctrina communis est quod peregrini (quum non sint subditi) solum a propriis Superioribus dispensari possint. Illi quidem (aiunt) absolvuntur a peccatis etiam extra dioecesim ex tacito consensu propriorum Episcoporum (ut patet ex consuetudine), quia bonum Ecclesiae id exigit; sed haec ratio (dicunt) quoad dispensationes non viget. Attamen plures contra sentiunt. Gury (*I.* 115. *q.* 3), D'Annibale (*I.* 72 *et* 209), Lehmkuhl (*I.* 164) docent Episcopum peregrinos quoque (intervenientibus causis necessitatis vel utilitatis) dispensare posse; idque quoad votum (urgente necessitate) admisit etiam Suarez *De Rel. VI.* VI. XI. 11 (saltem donec peregrinus nequeat ad Episcopum suum recurrere); et S. Lig. (*III.* 262. *I.* 158), etsi sententiae contrariae subscribat, tamen opinionem istam fassus est censeri merito probabilem, ita ut scilicet Episcopi, quoad vota, iuramenta, et communes Ecclesiae leges, peregrinos quoque probabiliter dispensare possint. Ego censeo rem hanc pendere a praesumpto consensu proprii Superioris. Si, attentis circumstantiis (v. g., si peregrinus esset valde distans a suo Superiore, vel si ageretur de rebus occultis aut minutioribus) praesumi debeat peregrini Superiorem consentire ut ab alio dispensetur; tunc (maxime quia doctrina

benigna, tacente Ecclesia, a tot probatis Auctoribus probabilis censetur) dispensatio valebit, iuxta dicta de iurisdictione probabili (*n.* 1837). Si autem dictus consensus (ex oppositis circumstantiis) praesumi non posset, tunc peregrinus ad proprium Superiorem pro dispensatione remitti deberet.

Caeterum in praxi 1. iuvat reminisci quod Regulares (in quibusdam casibus iuxta dicta *n.* 1920) auctoritate apostolica dispensare possunt eos etiam qui ex alienis dioecesibus ad eos recurrunt; 2. bene erit si Missionarii (maxime dum in Dioecesis confiniis degunt) Sacrae Poenitentiariae facultatibus se muniant.

1982. *Potestne Episcopus dispensare cum Regularibus exemptis?*

I. Potest certe si Pontifex expresse in aliquo casu id Episcopo concesserit: aut si Regulares (quod dicunt verificari in mendicantibus) privilegium haberent obtinendi dispensationes etiam ab Episcopo loci.

II. Potest ex praesumpto consensu Ecclesiae 1. si Regularis ad proprios Superiores (qui dispensationem concessuri essent) recurrere nequiret; 2. Si Regularis repulsam *evidenter* iniustam a Superiore proprio habuisset. Cf. Mazzotta (*l.* IV. *q. I. C.* 3° *q.* 4ª) et Lehmkuhl (*I. n.* 165).

Ratio est quia finis exemptionis eo solummodo tendit ne Episcopi sive praecipiendo sive dispensando regularem disciplinam turbent; non vero ut Regulares ex propriis privilegiis et exemptionibus detrimentum subeant, et in peiori conditione aliorum fidelium constituantur.

1983. *Potestne Episcopus dispensare subditos suos etiam si extra Dioecesim versentur?* Privatim affirmative. Cf. *n.* 1843 et Mazzotta (*l. c. q.* 5°). Idem dic si Episcopus ipse extra Dioecesim esset. Hoc tamen intellige si dispenset auctoritate ordinaria aut quasi-ordinaria. Si enim ageretur de dispensandis subditis auctoritate specialiter delegata, tenor concessionis considerari deberet. Tabella S. Poenitentiariae (quoad Episcopos) dicit: « Pro grege vobis commisso et infra fines Dioecesis « tantum ».

1984. *Quid si subditi dispensati extra dioecesim migrarent?* Si dispensatio sit *localis* (prout quando Episcopus dispensat subditos omnes in sua Dioecesi vel in designata Dioecesi parte) tunc pro extra morantibus non valebit. Secus si sit *personalis*. Localis enim restringitur ad locum; personalis autem sequitur personam.

1985. *Potestne inscius, vel etiam invitus, esse subiectus dispensationis?*

Quod dispensatio possit impetrari, atque a Superiore concedi, etiam pro inscio vel invito, dubitari nequit; imo Superior obligare potest subditum reluctantem ut (v. g., breviarium non recitando, carnes diebus vetitis manducando, Ordines sine interstitiis suscipiendo etc.) dispensatione utatur. Ordinarie tamen intentio Superioris non erit ut dispensatio valeat nisi subiectus de illa certior evaserit (*cf. n.* 1967. III) illamque acceptaverit, ita ut proinde dispensatio pro inscio petita detur sub conditione *si sit placita et grata*. Cf. Ballerini (*Op. theol. I.* III. 339), qui notat praxim esse S. Poenitentiariae non concedendi dispensationes pro inscio nisi petatur ab eiusdem confessario vel coniunctis intra quartum gradum; atque insuper dispensationem sic obtentam (v. g., ad revalidandum matrimonium) effectum non habere nisi a subiecto (nisi scilicet saltem ab uno coniuge) acceptetur. Sed hoc suo loco melius declarabitur.

1986. *Quid de scienter petente dispensationem sine causa?* Peccat, quia provocat Superiorem ad peccandum (Ballerini Op. theol. *l. c.* 273); idque verum esset quamvis Superior bona fide materialiter tantummodo peccaret. Si tamen dispensatio, sine causa concessa, valida esset (iuxta dicta *n.* 1935), subditus peccasset quidem illam petendo; sed ea utendo, contra legem non peccaret. Dixi *contra legem;* peccare enim posset si ex usu dispensationis damnum proprium aut alienum (v. g., scandalum) obventurum esset. Ballerini (*l. c.* 275).

1987. *Quid si subiectus esset dubius de valore dispensationis sive obtinendae sive iam obtentae?*

Quoad *petitionem*, si subditus bona fide procedat et causam (sicut sincere credit) exponat, certe non peccat dispensationem petendo et Superioris iudicio se remittendo. Peccaret autem si in petitione mendacium aut fallaciam aliquam immisceret.

Quoad *usum dispensationis* sic in dubio obtentae, responsio patet ex supradictis (*n.* 1940 *et* 1971); generatim scilicet praesumendum est pro Superiore et pro valore actus; hoc enim ad turbationes et conscientiae angustias evitandas, nec non ad rectam gubernationem nimis necessarium est. S. Lig. (*III.* 251).

1988. *Potestne adesse obligatio petendi dispensationem?* Affirmative; si nempe ex una parte casus indigeat dispensatione, et ex alia quis velit ponere opus lege interdictum; et multo magis si quis ex aliqua necessitate sibi vel aliis consulendi dispensationem petere deberet.

1989. *Quid in dubio an casus indigeat dispensatione?* Distinguendum inter dubium iuris et dubium facti. In dubio iuris, si nempe solida probabilitate iudicandum sit quod casus in lege non comprehendatur et proinde obligatio non subsistat; tunc (propter doctrinam probabilismi iam practice securam) nulla dispensatio necessaria erit. Idem dic quamvis ageretur de valore actus (v. g. matrimonii) et casus esset de illis in quibus (stante opinionum probabilitate) suppleat Ecclesia. In dubio autem facti (ut puta, si quis de consanguinitate vel affinitate dubitaret), vel in dubiis iuris, quae ad dictam solidam probabilitatem non pertingerent, dispensatio *ad cautelam* necessaria esset.

1990. *Dixisti dispensationem esse petendam si quis, ex aliqua necessitate sibi vel aliis consulendi, illam petere deberet. Quandonam verificatur casus iste? Et nonne tunc lex iam ex seipsa corruit?*

Necessitas consulendi sibi ipsi ope dispensationis contingeret, v. g., si quis propter votum castitatis in nimio periculo incontinentiae et damnationis aeternae versaretur. Necessitas autem illam obtinendi respectu aliorum, contingeret, v. g., in Episcopis aliisque qui ex officio deberent subditis suis aliqua dispensatione Pontificia consulere. Item si quis ad prolem legitimandam aut aliquod magnum scandalum vel damnum aliorum avertendum dispensatione aliqua indigeret. Denique si quis ad illam petendam se obligasset; qua de re vide *Praxis* (*Ed. II*ª. *n.* 2034).

1991. Neque semper verum est quod, supervenientibus causis gravibus aut gravissimis, lex ita epicheiam subeat ut iam per se cesset. Saepe enim nihilominus dispensationis petitio necessaria est, etsi tunc Superior ut plurimum dispensare nedum possit, sed (ut alibi declaravi) praecise teneatur. Ratio autem talis necessitatis petendi tunc quoque dispensationem multiplex esse potest; scilicet sive quia ex una parte casus sit rarus (vel non adeo frequens), et ex alia vel nimium hallucinationis periculum subsistat vel agatur de valore actus, vel rei gestae memoria in publicis regestis inscribi debeat; sive quia utcumque non expediat ut arbitrio personarum particularium decisio relinquatur.

1992. *Quid si casus urgeret, et dispensatio peti nequiret?* Iam dixi quod in casus urgentia potestas dispensandi ad Superiorem subordinatum (*cf. n.* 1914 *et* 1926) ut plurimum devolvitur. At vero si ne ad illum quidem recurri valeret; tunc videndum an urgentia talis ac tanta esse omnino videatur, ut

dispensatione interpretativa uti liceat, interpretando scilicet voluntatem Superioris et credendo non solum quod in casu illo dispensaturus esset, sed etiam quod illius interpretativa voluntas sit ut in eo casu (stante impossibilitate petendi dispensationem) sine petitione dispensationis ad actum procedi possit; quod certe contingeret si dispensatio tunc ex iustitia vel ex misericordia debita esset. Ita docet Suarez (*De Leg. VI.* XXIII. 33).

1993. *Quid si dispensatio debita fuisset, et nihilominus Superior illam denegasset?* Dispensatio denegata nihil valet; ut enim dicit Suarez (*l. c.*) non sufficit ut fuerit petita, sed exigitur ut fuerit obtenta. Attamen in hypothesi quod vere debita fuisset ex misericordia et maxime ex iustitia; si denegatio a Superiore subordinato provenisset, recurri posset ad Superiorem altiorem. Si autem casus urgeret atque ex dilatione grave nocumentum subsecuturum esset, tunc (etsi difficile) dispensatio interpretativa n°. praeced. indicata locum habere posset. Si vero denegatio ab ipso Superiore Supremo provenisset, tunc interpretativae quoque dispensationis effugium deficeret, et sic lex prorsus sicut antea remaneret; Superioris enim denegatio quamvis iniusta, legem nullo modo infirmat. Tunc itaque id unum superesse posset ut non vi dispensationis sed vi epichejae prorsus necessariae (et a quavis dispensatione independentis) ex se ipsa lex deficeret, dicente Suarez (l. c.): « Si sit Princeps « Supremus qui denegat dispensationem quae iudicatur debita, « standum est iudicio seu voluntati eius, nisi nocumentum tam « grave immineat, ut non possit lex humana obligare cum « tanto discrimine, quia extra hanc necessitatem lex non re- « laxata per dispensationem semper obligat ». Et S. Lig. (*I.* 179) subdit: « Denegata tamen (etiam iniuste) dispensatione, « nequit subditus agere contra legem, nisi talis causa urgeat, « ut eum extrahat a lege ».

1994. *Potestne ipse dispensator esse subiectus dispensationis, ita scilicet ut qui potest dispensare alios semetipsum quoque dispensare valeat?* Loquendo imprimis de dispensatione in lege Superioris altioris, scilicet in votis aut iuramentis, aut (si agatur de Superioribus subordinatis) in legibus Pontificiis,

I. Conveniunt Theologi quod qui potest dispensare alios directe, potest dispensare se ipsum indirecte (*cf. n.* 1895); scilicet 1. dispensando universam communitatem, ad quam (ut caput) ipse quoque pertinet; 2. dando alicui subdito (v. g., proprio Confessario) facultatem dispensandi, ab eoque dispensationem petendo. Patet ex praesumpto consensu Superioris altioris;

secus enim Superior, qui recepit facultatem dispensandi alios (propter difficultatem recurrendi ad Superiorem altiorem), in peiori conditione subditorum suorum versaretur. Sanchez (*De Matr. VIII.* nr. 23).

II. Conveniunt pariter quod, si ageretur de simplici licentia, (prout usuvenit in Regularibus qui nequeunt e monasterio egredi aut pergere ad concionandum, sine licentia Superioris subordinati, v. g., Prioris aut Provincialis); tunc ipse Superior subordinatus licentiam sibi ipsi concedere potest. Ratio est ut supra; et patet etiam ex consuetudine. Sanchez (*l. c. I*).

III. Loquendo autem de veri nominis dispensatione directa, praetermitto quaestionem (minime practicam) de Romano Pontifice, de quo plurimi (contra aliquos) docent quod (intellige semper ex iusta causa) possit directe et immediate dispensare seipsum etiam in votis et iuramentis. Loquendo itaque de Episcopis, Praelatis regularibus, Parochis aliisque habentibus facultatem quasi-ordinariam vel delegatam dispensandi alios in legibus Superioris altioris; distinguere oportet inter facultatem dispensandi restrictam ad quasdam personas, et facultatem dispensandi modo generali concessam. In primo casu certe non est cur loquamur de facultate dispensandi seipsos sicut nec alios ultra personas designatas. In secundo autem decisio pendere deberet ab intentione praesumpta Superioris altioris, qui modo generali facultatum concessit. Equidem videretur esse satis quod indirecte (scilicet a proprio confessario, ut supra) dispensatio obtineri possit, et non esse praesumendum quod Superior altior inferiori facultatem (utique periculosam) semetipsum dispensandi concedere intenderit; et speciatim si ille posset etiam commode ad Superiorem recurrere, maxime vero si de rebus rarissime occurrentibus et valde momentosis (v. g., de irregularitate, voto etc.) ageretur. Atque ita sentiunt reapse Theologi plures (*cf. Sanchez l. c.* 4. 5). Nihilominus alii docent quod Episcopi aliique inferiores possunt, etiam immediate et directe, dispensare semetipsos, quia secus in peiori conditione subditorum suorum versarentur. Equidem haec ratio valde inanis mihi videtur. Attamen Theologi plurimi, etiam primi subsellii (inter quos Sanchez, Laymann etc.), doctrinam istam tenent, et ipse S. Ligorius rotunde scripsit (*I.* 183): « Habens facultatem « generalem dispensandi potest etiam secum dispensare directe « et immediate...... Hinc bene sibi dispensare potest in votis, « iuramentis, ieiunio etc. ». Hinc doctrina ista magna probabilitate extrinseca certe fulcitur, et hodie vere communis est. Ex

hoc autem Ballerini (*Op. theol. I.* III. 325) sic concludit: « Cum« que communis sit haec doctrina, eo ipso licet ea uti in praxi; « quia in materia iurisdictionis probabilis tantum sententia cer« tam parit iurisdictionem ». Vide supra (*n.* 1837).

1995. *Sed poteritne legislator dispensare semetipsum in lege propria?* Recolendum quod legislator ad legem propriam servandam non vi legis ipsius praecise, sed vi legis naturalis (quatenus non convenit ut caput a membris discrepet, et Superior malum exemplum praebeat) teneri potest. Hinc ex iusta quidem causa legislator seipsum a lege sua dispensare poterit; non autem eâ seclusâ; propter commixtionem enim legis naturalis (atque adeo Superioris altioris), dispensatio sine causa invalida esset. Laymann (*I.* IV. XXII. 31).

§ IX.

De dispensationis cessatione.

1996. *Quo sensu agitur hic de dispensationis cessatione?* Agitur de dispensatione plene concessa, seu (ut aiunt) fulminata; non vero de casu in quo in forma commissoria concessa fuerit, et commissarius illam adhuc non fulminaverit. Iam vidimus quod tunc cessare potest cessatione causae (*n.* 1968), atque etiam interdum morte delegantis (*n.* 1885).

1997. *Dispensatio cessatne morte Legislatoris qui illam concessit?* Negative; agitur enim de gratia facta. Excipe nisi (in dispensatione habente tractum successivum) dispensans dixerit: *Donec vixero;* imo excipe quoque si dixisset: *Ad beneplacitum nostrum*, aut *Donec mihi placuerit,* aut *Ad meum arbitrium*, dummodo de dispensatione odiosa agatur. Recole dicta (*n.* 88).

1998. *Quot modis igitur cessare potest dispensatio?* 1. Eveniente termino aut verificata conditione resolutiva, iuxta dicta (*n.* 1810); 2. Cessante causa; 3. Revocatione dispensationis; 4. Renuntiatione dispensati. De primo modo nihil addere oportet; sed alii modi sunt explicandi.

1999. *Quid de cessatione dispensationis, cessante causa?*

I. Imprimis, cessante causa, dispensatio non cessat 1. si causa cessasset solum in parte atque ita ut, quod remanet adhuc ad dispensandum sufficeret; ut puta, si obtenta dispensatione ex causa legitimandae prolis, et scandali vel damni reparandi, proles quidem ante matrimonium mortua fuisset, sed scandalum

et damnum reparandum adhuc subsisteret. Scavini (*I.* 240 *not.* 1). 2. Si dubium esset an causa ita cessasset, ut quod de illa remanet non amplius sufficeret. S. Lig. (*I.* 196). 3. Si dispensatio ad actum irrevocabilem (v. g. Ordinem Sacrum vel Matrimonium) iam de facto deducta fuisset.

2000. II. Sed quid si ex una parte causae adductae cessassent omnino, et ex alia usus dispensationis adhuc non interfuisset (matrimonio, v. g., non adhuc contracto), vel talis usus tractum successivum haberet (prout v. g., in ieiunio, recitatione breviarii etc. contingeret) ?

Notandum I. quod, etsi cessaverint causae adductae, subsistere vel supervenire possunt aliae, ob quas expediat vel oporteat ut dispensatio in suo robore servetur. Patet autem ex praxi quod hoc intervenire solet quando agitur de dispensationibus quae actum indivisibilem proxime secuturum respiciunt (v. g. celebrationem matrimonii, susceptionem Ordinis Sacri, receptionem Beneficii etc.). Causae huiusmodi sunt, v. g., malae consequentiae quae oriturae essent si, omnibus iam paratis, omnia abrumpi deberent; adde expensas iam toleratas pro rescripti assecutione etc. ; unde in his casibus, scilicet in dispensationibus impedimentorum matrimonii, irregularitatum, vel pro obtinendis beneficiis, consuetudo (optima interpres) est ut, non obstante causarum adductarum cessatione etiam totali, dispensatio perduret. Idem dicunt de dispensatione voti castitatis *ob periculum incontinentiae,* si forte, primo matrimonio morte coniugis dissoluto, aliae nuptiae (etsi dictum periculum cessasse videretur) iniri vellent. Idem dicunt a fortiori si ageretur de Beneficio et causae cessassent postquam Beneficium ipsum iam collatum fuisset. Ballerini (*Op. theol. III.* 358).

2001. Notandum 2. quod S. Sedes quando intendit ut dispensatio duret solum perdurante causa, id exprimere solet, prout accidit in dispensationibus circa ea quae tractum successivum habent, v. g., abstinentiam a carnibus, recitationem breviarii etc. Solet etiam exprimere quando vult ut dispensatio pro voto castitatis (propter motiva diversa a periculo incontinentiae) ad primum matrimonium restringatur. Et certe qui obtinuisset dispensationem a voto ad ducendam virginem a se defloratam, aliam ducere nequiret. S. Lig. (*I.* 196).

2002. Quae cum ita sint, iam circa dispensationes obtentas a S. Sede per consueta rescripta nullum dubium superesse potest ; et dici debet standum esse rescripto, et dispensationem non cessare cessante causa, nisi hoc expressum fuerit ; obligatio

enim legis semel ablata reviviscere nequit nisi legislator id decernat, et votum semel dispensatum nisi iterum renovetur obligare nequit.

2003. Dubium remanere potest circa dispensationes concessas sive a Pontifice vivae vocis oraculo, sive ab Episcopo vel alio Superiore, quin de circumstantia cessationis causae aliquid dictum fuerit. At vero existimo tunc quoque, duas regulas similes praedictis esse servandas. Prima est quod dispensatio pro re tractum successivum habente corruit, si causa sufficiens iam certe cessaverit; perseverantia enim dispensationis tunc redderetur irrationabilis et illicita, quod a mente Superioris alienum esse praesumendum est. Altera quod dispensatio pro actu indivisibili proxime secuturo non corruit, etsi causae adductae certe cessaverint; quia mens Superioris esse censetur ut dispensatio ipsa valeat quantum licite et convenienter praetendi possit ut valeat; quod utique verificaretur in hypothesi iuxta praxim S. Sedis. Cf. Suarez (*De Leg. VI.* xx. 15) et Ballerini (*Op. theol. III.* 359 *et seqq.*).

2004. *Quid de cessatione dispensationis per revocationem dispensantis?*

I. Praescindendo a casu in quo dispensatio deducta fuerit ad actum immutabilem (*n.* 1999); et supponendo quod vel solum concessa fuerit facultas dispensandi; vel dispensatio fulminata quidem, sed non adhuc ad actum deducta fuerit; vel denique (etsi ad actum deducta) respiciat rem quae tractum successivum habeat (*n.* 2001) vel utcumque revocationem patiatur (*n.* 2000 *in fin.*); utique tunc revocatio locum habere potest; sed aliter et aliter; distinguendum est enim secundum quod dispensatio in lege propriae iurisdictioni subiecta vel in lege Superioris altioris concessa fuerit.

2005. II. Si dispensatio concessa fuisset in lege propria vel inferioris, tunc revocari potest, licite ex causa rationabili, et valide semper (*S. Lig. I.* 197); quando enim subditus non est per se et necessario excusatus, in potestate Principis est illum (qui prius a vinculo legis solutus fuit) iterum legi subiicere seu legem ipsam in statum pristinum restituere, ut sicut alios illum quoque obliget. Ad summum Princeps teneri posset ad restituendum id quod subditus pro compositione solvisset. Sanchez (*De Matr. VIII.* xxIII. 13). An autem dispensationis revocatio sine causa rationabili leve vel grave peccatum constituat, pendet a circumstantiis, v. g., scandali, damni etc.

et maxime si in dedecus Inferioris dispensationes ab eo concessae, sine causa rescinderentur. *Salmant.* (*De leg.* 97-98).

2006. III. Si dispensatio concessa fuisset ab inferiore in lege Superioris altioris (ut puta, si Episcopus legitime dispensasset in lege pontificia); tunc revocatio dispensationis sine legitima causa certe nedum illicita sed etiam invalida esset. Supposita autem iusta causa dispensationem revocandi, an valeat revocatio, disputant Theologi; quod enim in facultate dispensandi facultas etiam dispensationem revocandi (et sic lege aliena subditum iterum ligandi) includatur, aliqui negant; alii autem (v. g. Suarez *De Leg. VIII.* XXXVII. 15, Sanchez *De Matr. VIII.* XXXIII. 12, Salmant. *De Leg. n.* 99, S. Lig. *I.* 197. etc.). affirmant, quia utraque facultas ad rectum regimen necessaria est. Quum simus autem in materia iurisdictionis et probabilitas iurisdictionem suppleat, sententiam istam ad praxim deduci posse fatendum erit. Casus autem esset, v. g., si Episcopus ab irregularitate aliquem dispensasset, et postea certior evadens de malis moribus illius, dispensationem revocaret. S. Lig. (*l. c.*) censet id esse verum non solum si iure quasi-ordinario, sed etiam si ex speciali commissione inferior dispensasset. Sed (quum commissarii huiusmodi nedum Episcopi sed etiam Parochi et simplices Confessarii esse possint) valde alienum a mente Pontificis esse videtur quod in facultate dispensandi facultas etiam dispensationem revocandi (quae valde imprudenter exerceri posset) inclusa credi debeat. Cf. Sanchez (*VIII.* XXXII. 4).

2007. *An possit adesse obligatio dispensationem revocandi?* Affirmative; scilicet 1. Si absque iusta causa concessa fuisset; 2. Si postea aliquid momentosum interveniret, unde pro bono publico (vel etiam privato dumtaxat) oporteret ut dispensatio revocaretur. S. Lig. (*I.* 197).

2008. *An revocatio dispensationis possit esse implicita?* Affirmative; ut puta, si Princeps iuberet fieri id cuius obligationem per dispensationem prius abstulisset; vel etiam si Pontifex, concessa dispensatione, v. g., ut quis Caiam consanguineam ducere posset, memor huius dispensationis eidem (matrimonio non secuto) concederet ut aliam consanguineam (Caia vivente) ducere valeret; non enim credendum esset quod optionem ducendi alterutram pro suo libitu (iuxta dicta *n.* 1959) ei reliquisset. Suarez (*De Leg. VI.* XX. 9) et Sanchez (*De Matr. VIII.* XXII. 19).

2009. *Quid de cessatione dispensationis per renuntiationem dispensati?*

I. Renuntiatio dispensationis potest esse expressa et tacita. Tacita interveniret si dispensatus non equidem verbis sed indiciis manifestis renuntiationem suam ostenderet, ut puta, si, obtenta dispensatione ad ducendam consanguineam, illam non duceret sed Ordines sacros susciperet vel professionem religiosam emitteret. Ex solo non-usu dispensationis, vel ex petitione novae dispensationis (ob dubium de valore primae, vel ad obtinendam gratiam magis amplam) non ita facile renuntiatio iudicabitur; bene vero iudicabitur facilius ex actibus contrariis, quales sunt supradicti, et essent quoque, v. g., si quis, obtenta dispensatione ad ducendam talem vel talem mulierem, illâ non ductâ, peteret dispensationem ad ducendam aliam, aut (cum vel sine dispensatione) revera duceret aliam, aut votum castitatis emitteret, aut rescriptum statim laceraret etc.

II. Renuntiatio non sufficit, nisi a Superiore fuerit acceptata, ut patet ex supra dictis (*n.* 1822. *IV*); unde ante talem acceptationem bene poterit quis renuntiationis suae poenitere, atque iterum dispensatione obtenta uti; neque (secus ac in privilegio *n.* 1823. 1925) renuntiatio unquam acceptari censetur ipso iure, aut praescriptioni (etsi decennium vel tempus diuturnius decurrat) locus datur (*Salmant. XI.* v. 102). Hinc dispensatus ad ducendam consanguineam, si, eâ non ductâ, aliam duxisset, istâ mortuâ consanguineam illam ducere poterit; impedimentum enim iam ablatum non nisi voluntate Pontificis iterum exurgere potest. Item dispensatus ab aliquo impedimento matrimoniali, si postea matrimonio non contracto votum castitatis emisisset, posset matrimonium illud contrahere valide, imo (obtinendo dispensationem a voto) etiam licite; votum enim impedimentum iam ablatum non restitueret. Cf. Suarez (*De Leg. VI.* xx. 8-11).

III. Si dispensatio in forma commissoria concessa fuisset, tunc eiusdem renuntiatio non ab executore sed a delegante acceptari deberet. Sanchez (*De matr. VIII.* xxxii. 11).

IV. Unicus datur casus, in quo non exigitur ut Superior renuntiationem acceptet; si nempe dispensatio obtenta fuisset a voto, et dispensatus votum renovaret. Sanchez (*l. c.* 3).

ARTICULUS XVI.

DE LEGIS CESSATIONE.

2010. *Potestne quaelibet lex cessationi subiici?* Facto hominis vel hominum cessare nequeunt leges divinae, sive naturales sive positivae. Hoc ad solum Deum pertinere potest, qui reapse leges caeremoniales veteris testamenti abrogavit.

2011. *Cessatio legis humanae distinguiturne ab eiusdem epickeia, dispensatione et suspensione?* Utique, quia epickeia iam inde ab initio in lege subintelligebatur; dispensatio est particularis vel temporanea ex speciali voluntate Principis; suspensio est generalis quidem sed temporanea eo quod ad tempus ob aliquam causam (sine necessitate dispensationis) lex suspensa remanere debeat. Cessatio autem supponit legem praeexistentem, et est generalis et de se perpetua.

2012. *Quotupliciter lex cessare potest?* Imprimis ab intrinseco et ab extrinseco.

2013. *Quomodo cessat ab intrinseco?*

I. Si accipi deberet tamquam dispositio transitoria ex ipsa intentione legislatoris attentis eius verbis, vel attenta causa finali, qua cessante totaliter, utique dispositionem ipsam cessare credendum esset. Hinc iussum non egrediendi ab urbe tempore belli, solvendi tributum ad pontem aedificandum etc., finito bello, aedificato ponte, per se cessaret. Dixi *cessante totaliter;* ieiunium enim, v. g., quod ad belli et terraemotus finem obtinendum indictum fuisset, bello cessante, minime cessaret si terraemotus adhuc perduraret.

II. Si lex (propter circumstantiarum mutationem) ex iusta evasisset iniusta, ita ut vel ei obtemperare iam amplius non liceret, vel nimis dura et moraliter impossibilis aut inutilis (intellige respectu totius aut quasi totius communitatis; *Suarez V.* IX. 5) effecta fuisset. *

* Quaestionem, quae ad Caput de causis excusantibus vel eximentibus potius spectaret, Theologi hic instituunt, et quaerunt *an, cessante fine legis non generaliter sed solum pro personis particularibus, pro his cesset legis obligatio?* Conveniunt omnes, pro illis quoque obligationem cessare si finis legis cesset *contrarie,* ita scilicet ut (durante iustitia legis quoad alios) pro iis iniusta vel nimis dura evaderet. Si vero pro iis finis legis cesset solum *privative* seu *negative,* si nempe pro iisdem lex inutilis evasisset; tunc nihilominus legis vinculo subiecti remanerent. Ego autem sic responderem: Equidem lex nunquam ad peccatum obligare potest. Item ad grave atque extraordinarium incommodum leges ordinarie non obligant (iuxta dicta *n. 1751*

2014. *Quot modis lex cessare potest ab extrinseco?* Cessare potest 1. voluntate expressa legislatoris. 2. per consuetudinem contrariam. Haec autem cessatio potest esse totalis ita ut tota lex destruatur, et tunc dicitur *abrogatio* (vel revocatio vel abolitio); et potest esse partialis, ita ut solum in parte lex destruatur; et tunc *derogatio* appellatur. Intervenire potest etiam legis *irritatio*, sed haec distinctio parum deservit; contingit siquidem irritatio (sive totalis sive partialis) quando Legislator ordinis superioris, (v. g. Pontifex) legem latam a Legislatore ordinis inferioris (v. g., Principis saecularis, vel Episcopi) sive totaliter sive partialiter annullat.

2015. *Abrogatio legis estne semper licita et valida?*

I. Ut sit licita semper exigitur causa sufficiens, ita tamen ut non sit necessarium quod lex ita noxia vel inutilis evasisset ut iam per se et ab intrinseco cessasset; sed sufficit, si, subsistente adhuc illius utilitate, eiusdem abrogatio magis utilis censeatur. Suarez (*De Leg. VI.* XXVI. 6. 8); qui tamen notat valde caute procedendum esse antequam lex aliqua (speciatim a brevi tempore lata) abrogetur.

II. Valida tamen esset abrogatio, quamvis sine causa sufficienti a Legislatore (non vero si a delegato contra interpretativam sui Principis voluntatem) perageretur; utcumque enim subditi liberi remanerent, atque inobedientes non amplius essent. Suarez (*l. c.* 10).

2016. *Quot modis contingere potest abrogatio vel derogatio voluntate expressa Legislatoris?*

et seqq.). An autem, ratione solius inutilitatis pro individuo, obligatio cesset, negandum est ordinarie. In lege condenda adest quidem semper finis principalis (v. g., in prohibitione librorum periculum spirituale legentium; in lege de publicationibus matrimoniorum, periculum ne matrimonia cum impedimentis aut parentibus iuste dissentientibus, contrahantur). Equidem fines huiusmodi principales plus vel minus in personis particularibus deficere solent; sed ordinarie hoc non sufficit ut ipsae a legis obligatione liberae evadant. Ut plurimum enim alia motiva secundaria (v. g., necessitas uniformitatis, periculum hallucinationis, vel scandali, vel ne lex suo robore enervetur etc.) efficiunt ut obligatio ad eos quoque extendatur ad quos motivum principale nullatenus extenderetur. Exemplum habes in praedictis legibus prohibitionis librorum, publicationum matrimonii etc.; unde practice bona est regula Theologorum statuentium quod, cessante legis fine (principali) *privative* dumtaxat in personis particularibus, obligatio in iisdem minime cessat. Si tamen daretur casus, in quo nec finis principalis nec fines secundarii ad illum extendi possent, utique tunc obligatio, utpote prorsus inutilis atque irrationabilis, subsistere nequiret, sed verae exceptioni vel epicheiae iam inde ab initio in sensu legis extanti locus daretur. Cf. Sanchez (*De Matr. II.* XXXVII. *3*).

Primus modus est si Princeps explicite nominet legem praecedentem, illamque abrogationi vel derogationi directe subiiciat.

Secundus est si condat novam legem generalem priori (pariter generali) contrariam, et cum ea incompatibilem; tunc enim, quum praesumatur quod illam cognoscat (Princeps enim dicitur habere omnes leges in scrinio pectoris sui), facto ipso illam abrogat; nec oportet ut illam nominet et clausulas abrogatorias vel derogatorias adiiciat. Oportet tamen ut secunda lex cum prima componi omnino nequeat; unde exigitur ut ambae sint generales (ut dixi) atque oppositae; si enim una generalis et alia particularis esset; tunc illa tamquam regula et ista tamquam exceptio intelligi deberet. Hoc autem verum est tum quando lex particularis respicit aliquam circumstantiam de qua lex generalis nihil dicat (unde v. g. leges generales circa testamenta non derogant aliis quae de testamentis privilegiatis loquuntur; *Reiff.* *l.* n. 496); tum quando lex particularis respicit aliquem locum; unde lex generalis statuta particularia locorum, vel leges pro iisdem conditas, vel locorum ipsorum consuetudines, minime abrogat. Ad illas tamen abrogandas sufficerent clausulae abrogatoriae generales dicendo, v. g., *non obstantibus constitutionibus particularium locorum*, vel *non obstante quacumque consuetudine contraria* etc. A fortiori autem lex generalis non abrogat privilegia (qua de re vide dicta *n.* 1815-1817).

2017. *Quot modis consuetudo contra legem accidere potest?* Multipliciter; et praecipue 1° mala fide, dum scilicet subditi inique prorsus legem iustam non acceptant, vel iam acceptatam non observant; 2° ex ignorantia vel errore, sive quia legis notitiam non habuerint, sive quia (v. g., decepti a viris doctis) totaliter vel partialiter ab illa observanda se esse excusatos erronee crediderint; 3° rationabiliter prorsus, si nempe lex propter mutatas circumstantias iam vere obligare cessaverit; vel (Principe sive expresse sive tacite sive interpretative consentiente) subditi opus praeceptum in aliud melius vel aequale commutaverint; ut puta, si in aliqua Dioecesi facto pueris catechismo diebus dominicis, aliis diebus festis praetermitteretur, sed haec omissio, consuetudine catechismum ipsum tradendi tempore quadragesimali, abunde compensaretur.

2018. *Consuetudines suntne omnes legitimae?* Negative; multae enim sunt illegitimae, et tunc abusus seu corruptelae appellantur. Abusus autem a peccato formali, aut saltem (supposita ignorantia et bona fide) materiali seiungi nequeunt.

2019. *Quomodo dignosci poterit an consuetudo aliqua sit legitima vel illegitima?* Videndum imprimis an agatur de lege humana vel divina. Contra leges divinas (sive naturales sive positivas) consuetudo nunquam potest esse legitima; Deus enim hominibus leges suas immutandi auctoritatem non concessit. Mutatio tamen circumstantiarum interdum efficere potest, ut aliqua lex divina modo obliget et modo non obliget. Contingere potest etiam quod determinatio modi satisfaciendi alicui legi divinae relicta fuerit Ecclesiae. Hinc sub his respectibus subinde in legibus divinis quoque consuetudo mitior succedere potest rigidiori. Exemplum habes in operibus servilibus, quae diebus festis variam consuetudinem iuxta diversa tempora et loca, admittere possunt.

2020. *Contra leges humanas* (*sive civiles sive ecclesiasticas*) *possuntne introduci consuetudines quae sint vel evadant legitimae?* Affirmative.

Patet I° Ex sensu communi, atque ab ipsis Legislatoribus. Iustinianus (*L. XXXII. § 1. ff de Leg.*) dixit: « Rectissime « illud receptum est, ut leges non solum suffragio Legislatoris, « sed etiam tacito consensu omnium, per desuetudinem abro- « gentur ». Et Gregorius IX (*C. XI. de consuet.*) subiunxit: « Licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, « non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo de- « beat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legiti- « me praescripta »; unde hic Pontifex etiam admisit valorem consuetudinis contra legem (utique etiam ecclesiasticam) si fuerit rationabilis et legitime praescripta.

2021. Patet II° Quia consuetudo interdum nihil aliud est quam signum aut tacita interpretatio legis iam (sine ulla subditorum malitia) per se cessantis (ut supra innuebam); interdum vero, sive quia sit aeque bona ac lex, sive quia ex una parte absque provocatione maiorum malorum auferri nequeat, et ex alia ius naturale et divinum illaesum remaneat, comitem habet Principis consensum, qui potest esse 1. *expressus*; 2. *tacitus* si nempe Princeps videat, atque (ex intentione permittendi ut sua lex corruat) taceat; 3. *legalis*, quatenus scilicet in generali voluntate Principis hoc etiam includitur, ut approbet ius commune (atque adeo etiam praedictam legem circa consuetudines), neque maiora mala provocare velit.

2022. Patet III° ex D. Thoma (1.° 2.ae *XCVII. ad* 2) dicente: « Cum tales casus multiplicantur propter aliquam mutationem « hominum, tunc manifestatur per consuetudinem quod lex

« ulterius non est utilis, sicut etiam manifestaretur si lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit, nisi forte per hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patriae....; difficile enim est consuetudinem multitudinis removere ». Et postea (ad 3) subdit: « Si multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem a superiori potestate positam removendi, tamen ipsa consuetudo in tali multitudine praevalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere; ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo introduxit ».

2023 *Quid exigitur ut consuetudo contra legem humanam sit legitima?* Hoc in puncto exponere oportet quid dicant Auctores, et deinde determinare quid dicendum sit.

2024. *Quid dicunt Auctores?* Innixi praedictis Gregorii IX verbis dicunt consuetudinem (ut sit legitima) esse debere legitime praescriptam et rationabilem; sed in his duabus dotibus interpretandis minime sunt concordes et confusissime loquuntur.

2025. *Quid dicunt de prima dote consuetudinis, quod nempe sit legitime praescripta?*

Plures distinguunt inter leges civiles et ecclesiasticas. Dicunt autem quod pro civilibus decem, et pro ecclesiasticis quadraginta anni sufficiunt et exiguntur. Suarez (*De Leg. VII.* XVIII. 12), Hostiensis etc.

2026. Alii, etiam quoad leges ecclesiasticas, dicunt exigi et sufficere decennium; sed limitant dummodo lex non fuerit recepta et nunquam obedientiam obtinuerit. Cf. S. Lig. (*I.* 159).

2027. Alii hanc limitationem reiiciunt, et dicunt decennium sufficere, quamvis de lege ab initio recepta ageretur. Bened. XIV (*De Syn. XIII.* v. 4), Lugo (*De Iust. VII.* 94), Lessius (*II.* VI. 47), S. Lig. (*l. c.*), De Angelis (*I.* IV. 7), etc.

2028. Alii distinguunt secundum quod consuetudo legi deroget per viam *praescriptionis* (scilicet Principe nihil sciente), et per viam *conniventiae* (scilicet Principe sciente et tacente). In primo casu decennium exigunt; sed in secundo tempus longe brevius sufficere posse censent. Benedictus XIV (*De Syn. XIII.* v. 3) scripsit: « Nullum temporis spatium esse necessarium, quando Legislator scit suam legem non recipi, et, cum commode possit eiusdem observationem urgere, dissimulat tacetque neque in trangressores animadvertit; tunc quippe post

« paucos actus a Superiore toleratos, praesumitur quod idem « per hanc ipsam conniventiam suam legem tacite revocet, « nolitque ea obstringere communitatem cui displicet ». Idem sentit Suarez (*l. c.* 17), qui tamen magis accurate loquitur et dicit: « Consuetudinem non praescriptam aliquando sufficere « ad derogandam legem si Princeps sciat consuetudinem, *et « ipsa talis ac tanta sit ut moraliter sufficiat ad iudicandum « Principis consensum* »; postea autem (*n.* 18) subdit, temporis determinationem arbitrio prudentum tunc esse relinquendam. Equidem hi Auctores loquuntur de consuetudine contra legem non acceptatam; sed alii idipsum admittunt etiam in casu legis receptae. Lessius (*II.* VI. 45) scripsit: « Verius esse « non requiri certum tempus ut consuetudo possit legem tollere.... sciente Principe et non se opponente.... Hinc sequitur « saepe fieri ut paucis annis lex abrogetur per consuetudinem, « *etiamsi ante recepta fuerit* ». Idem dicit Lugo (*l. c.* 92).

2029. Alii, agentes de consuetudine derogante legi per viam praescriptionis, dicunt quidem exigi saltem decennium; sed ita ut, decennio etiam non completo, lex remanere possit abrogata quoad obligationem in conscientia; et eo solo sensu decennium exigi, ut illo decurrente Princeps possit corrigendo et puniendo suam legem sustinere, quin legem novam condendi necessitatem habeat. Lessius (*l. c.* 46), Salmant. (*De Leg. VI.* 13), S. Lig. (*I.* 107. 139) etc.

2030. Alii denique (pariter agentes de consuetudine per viam praescriptionis legi derogante) sentiunt, nullum tempus determinari posse, et modo plus exigi modo minus sufficere; aliud enim est si actus a lege considerati v. g., singulis diebus vel hebdomadis, et aliud si solum singulis annis vel singulis trienniis vel decenniis accidant; item aliud est si de re magni momenti et praeiudicii, et aliud si de re leviori agatur. Hinc dicunt iudicio prudentum in quovis casu decisionem relinqui debere. Cf. Vecchiotti (*I.* § 28), S. Lig. (*I.* 107), Pichler (*I.* IV. 10) etc.

2031. *Quid dicunt Auctores de secunda dote consuetudinis, quod scilicet debet esse rationabilis?*

Rationabilitas ista considerari potest 1. in se; 2. quoad conscientiam subditorum; 3. quoad Principem.

2032. Multi itaque, considerando consuetudinis rationabilitatem in se, varias dant regulas; scilicet non omnes aequali modo loquuntur.

Aliqui dicunt solum, consuetudinem esse rationabilem si neque iure divino neque naturali contraria sit, neque expresse

a iure reprobata, neque in legislatoris contemptum invecta fuerit. Cf. Bened. XIV (*De Syn. XIII.* v. 5).

Alii longe communius exigunt insuper ut neque sit communi utilitati perniciosa, neque ecclesiasticae disciplinae nervum infirmet, neque indecentiam vel deformitatem (etsi lege naturali non praecise vetitam) includat. Cf. Pichler (*I.* iv. 7), Schmalzgrueber (*I.* iv. 7), Reiffenst. (*I.* iv. 34), Sporer (*Suppl. Dec. I.* 305), De Angelis (*I.* iv. 6), Vecchiotti (*I.* § 28), Pallottini (*v. Lex.* 127) etc.

2033. Alii, considerando consuetudinis rationabilitatem quoad conscientiam subditorum, iterum dividuntur in sententias oppositas.

Multi, ut consuetudo rationabilis esse possit, bonam fidem necessariam esse contendunt, et quamvis aliqui ex istis admittant incipere posse mala fide (et sic ab initio posse esse irrationabilem); attamen illam (per vim praescriptionis) legem destruere non posse docent, nisi bona fides successerit et quidem ita ut toto tempore ad praescribendum necessario perduraverit. Lessius (*II.* vi. 46), Laymann (*De Leg. XXIV.* 11) aliique apud Schmalzgrueber (*I.* iv. 25).

Plures e contra huiusmodi bonam fidem minime necessariam esse contendunt, adeo ut Suarez (*VII.* xviii. 24) scripserit: « Licet omnes actus facti contra legem ante completum tempus « praescriptionis, vel ante sufficienter praesumptam volunta- « tem tacitam Principis (conniventis), fuissent mali; nihilo- « minus tandem, completo tempore vel indicio (conniventiae), « abrogaretur lex ex vi iuris, vel tacitae voluntatis Principis, « quae iusta est, licet actus subditorum mali fuerint ». Cf. Schmalz. (*l. c.*), Lugo (*De Inst. VII.* 96), De Angelis (*I.* iv. 7), D' Annibale (*I.* 167) etc.

2034. Alii autem considerando consuetudinis rationabilitatem in Principe, quatenus scilicet rationabile sit necne ut Princeps (seu ius) illam permittat; dicunt consuetudinem esse irrationabilem, quando, omnibus perpensis, ratio condescendendi non inveniatur, atque adeo illicitum sit Principi illi condescendere; e contra autem esse rationabilem si, pariter omnibus perpensis (inter quae venire potest consideranda etiam durities et malitia populi reluctantis), Princeps debeat aut saltem possit legis suae cessationi consentire et consuetudinem permittere. Cf. Suarez (*VII.* xviii. 20), et Vecchiotti (*I.* § 28), qui dicit: « Sanchez (*De Matr. VII.* iv. 14) et Reiffenstuel (*De Consuet.* « § *II. n.* 33) eam consuetudinem rationabilem dicunt, quae

« potest esse obiectum legis iustae, derogantis legi iam exi-
« stenti ». Et Ballerini (*Op. theol. De Leg.* 38. 8) subiungit: « Cum ad consuetudinem quamcumque requiratur consensus « legislatoris, non potest reddi licitum ac rationabile consue- « tudine, quod licitum legislatoris voluntate et approbatione « reddi non potest ». Quandoquidem (ut ait Suarez *l. c.* 20) « Non est praesumenda prava voluntas in Principe ».

2035. Alii denique, considerando rem istam quam maxime obscuram atque implicatam esse, dicunt prudentis iudicis arbitrio decernendum, utrum consuetudo aliqua rationabilis, an vero irrationabilis sit. Cf. Pallottini (v. *Lex.* 126) et Salmant. (*De Leg. VI.* 14).

2036. *Quid igitur concludendum?* Meo sensu, statuenda sunt sequentia:

I Donec perdurat scandalum; donec scilicet sanior pars populi seu personae timoratae conscientiae, legem observant et de transgressoribus scandalizantur: non est cur de legis cessatione et de consuetudine legitima quae legem destruxerit verba faciamus.

2037. II. Si e contra ne personae quidem bonae conscientiae legem observent, et de actibus legi oppositis iam nemo scandalizetur; tunc, si ex consuetudine contra legem invecta, nullum damnum, nulla deformitas, nullae malae consequentiae sequantur; iam pro consuetudinis ipsius legitimitate in conscientia unusquisque stare poterit. Exemplum habes si consuetudo propter aliquam compensationem aliamve circumstantiam particularem esset bona aeque ac vel magis quam lex (Vide supra *n.* 2017). Sic Mediolanenses non ieiunant primis quatuor diebus quadragesimae, sed supplent ieiunando diebus Rogationum.

2038. Dixi *in conscientia;* si enim tempus longaevum non adhuc praeteriisset, consuetudo non ita legitima evasisset ut Princeps (in illius notitiam deveniens) non amplius reclamare et punire posset (iuxta dicta *n.* 2029). Eo autem reclamante, utique consuetudo interrumperetur, et subditi obedire deberent; nec opus esset ut Princeps ipse novam legem conderet.

2039. III. Si consuetudini contra legem bona fide quidem omnes obsecundarent, sed ex una parte attentis illius malis consequentiis, vel damnis, vel deformitate etc.; et ex alia, attenta facilitate obtinendi obedientiam, non bene se gereret Princeps condescendendo; tunc consuetudo ipsa tamquam abusus et corruptela consideranda esset. (Cf. supra dicta *n.* 2034).

Huiusce generis consuetudinum (seu abusuum) innumerabilia habemus exempla. Nonnulla refero.

2040. *Quoad parochos.* Consuetudo habendi sermonem ad populum diebus dominicis tantummodo, illumque praetermittendi aliis diebus festivis de praecepto (*Acta IX.* 465). Item illum omittendi in Cathedrali quia in illa adsunt aliae conciones (*Acta XV.* 324. *ad* VII). Item non praedicandi personaliter (*Lucidi I.* III. 312). Omittendi doctrinam christianam aliquo mense, v. g., ob dierum brevitatem vel quia tunc pauci pueri concurrunt (*Lucidi II.* IX. 101). Item non tradendi vel non dirigendi illam personaliter (*Acta XV.* 325. *ad* IX). Consuetudo non deferendi corpora defunctorum ad Ecclesiam antequam sepulturae tradantur (*Acta XII.* 318).

Quoad Canonicos. Consuetudo non applicandi Missam conventualem pro benefactoribus, vel praestandi in choro solam praesentiam personalem neque se adiungendo Mansionariis in cantu (*Bened. XIV. Const. Cum semper oblatas*). Consuetudo (v. g., ratione frigoris) interveniendi cum habitu communi sine veste talari, vel sine superpelliceo et bireto (*S. R. C. Decr.* 3199 *et Acta XII.* 207). Consuetudo percipiendi distributiones quotidianas in absentia extra casus iure permissos vel etsi Canonicus elata voce (etsi posset) non cantet (*Reiffenst. III.* IV. 173. *et Acta XIII.* 553). Consuetudo qua Canonici absint a choro ad celebrandam Missam, nisi propter commodum populi et de licentia Praefecti chori (*Acta l. c.*). Consuetudo cogendi novum Canonicum ad parandum convivium aliis Canonicis. (*S. C. C. apud Giraldi I.* XXXVI. 104).

Varii casus. Consuetudo non deferendi habitum clericalem (*Bened. XIII. Const.* Catholicae Eccl.) — Admittendi ad professionem religiosam, non facto novitiatu in locis consuetis (*Urbanus VIII. Const.* Religiosos) — Non observandi clausuram quoad monasteria sive monialium sive religiosorum (Cf. *Giraldi l. c. nn.* 75. 89. 97). — Non observandi legem Benedicti XIV circa necessitatem duarum sententiarum conformium ut matrimonii vinculum ratione impotentiae solutum habeatur *Acta X.* 504). Permittendi ut laici, in defectu clericorum, pluvialia induant in sacris functionibus (*Acta. Index* 2^{ae} *dec.*).

2041. *Quid in dubio an consuetudo sit sufficienter rationabilis, atque adeo an per ipsam lex abolita fuerit?* Suarez (*VIII.* VI. 15) dicit quod si consuetudo esset antiqua et ab omnibus tranquille servata, iam dubium sperni deberet, quandoquidem praesumptio pro illa militaret. S. Lig. autem (*III.*

290) ulterius progreditur, et hic quoque recurrit ad principia probabilistica, inquiens: « Ad excusandum sufficit probabilis « consuetudo; sufficit enim, ut dicunt Salmant. (*De Leg. VI.* « 8), dictum unius doctoris eximii, etiam moderni, qui con- « suetudinem asserat »; idemque dicit *l. c. n.* 112. *q.* 3° *Secunda.* Aliud tamen esset si de dubio a solida probabilitate seiuncto ageretur. Cf. Salmant. (*XI.* vi. 14) et Reiff. (*I.* iv. 41-43).

2042. *Potestne dari consuetudo, quae deroget etiam legibus Concilii Tridentini?* Excluso casu consuetudinis generalis iam a S. Sede cognitae et tacite approbatae, difficile hoc accidere potest. Ratio autem repeti debet non tam a clausulis in Tridentino ipso insertis contrarias consuetudines reprobantibus, quam ex praxi admodum constanti S. Sedis consuetudines huiusmodi reprobandi; quae praxis aequivalere videtur declarationi, qua Summus Pontifex monet se velle Tridentinas leges inviolatas servari, et se minime consuetudinibus contrariis consentire. Cf. Acta (*XIII*, 553. *not.*). Excipe nisi de mutatione leviori et consueta ageretur, vel nisi propter mutatas alicubi circumstantias, aliquam ex huiusmodi legibus iam amplius illuc subsistere non posse iam evidenter constaret. Acta (*IV.* 26) et De Angelis (*I.* iv. 12).

2043. *An lex generalis deroget consuetudinibus vel statutis particularibus locorum, quae ante ipsam aderant?*

Quoad leges pontificias (seclusa clausula specialiter derogante), negative. Patet ex Bonifacio VIII (Cap. *Licet* de Const. in VI°) dicente: « Quia Romanus Pontifex locorum specialium » consuetudines et statuta, cum sint facti et in facto consistant, « potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, » per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse cavea- « tur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare ». Oportet tamen ut, quod consuetudo vere adsit atque sit particularis, concludenter probetur. Cf. Vecchiotti (*I.* § 67). Oportet etiam ut sive ex multitudine harum consuetudinum sive ex aliis indiciis praesumendum non sit quod Pontifex eas abrogare intenderit. *Scavini* (*I.* 247).

Quoad leges episcopales aut dioecesanas, affirmative; praesumitur enim quod Episcopi consuetudines etiam particulares in ipsorum territorio (quod non adeo extensum esse solet) cognoscant. *Scavini* (*l. c.*).

Affirmative pariter (apud nos) quoad leges in codice civili contentas (*Legge transit. per l' attuaz. del nuov. cod.* 1866

A. 18). Excipe tamen locales consuetudines commerciales, quae iuri communi praevalent. (*Cod. comm. A*. 89).

2044. ***Quid si in lege adsit clausula*** non obstante quacumque consuetudine? ***Haec clausula derogatne omnibus consuetudinibus particularibus tam antecedentibus quam subsequentibus?***

R. I. Hac clausula Pontifex significat se velle ut lex sua exceptionibus non enervetur atque ubique modo uniformi vigeat, et hac de causa contrarias consuetudines particulares, quae forte alicubi subsistant, (quamvis in se tolerabiles viderentur) suppressas esse decernit. Consuetudines itaque antecedentes certo certius hac clausula supprimuntur. Duo tamen sunt advertenda. 1. Si aliqua consuetudo contraria in rationibus specialibus adeo momentosis fundaretur, ut nedum tolerabilis sed omnino toleranda et permittenda esset; tunc illa comprehendi non posset. 2. Consuetudines sive *immemorabiles* sive *centenariae* in clausula generali praedicta non comprehenduntur, sed particulari mentione indigent. *Scavini* (*l. c.*).

II. Quoad consuetudines in posterum subsecuturas, meo sensu, sic distinguendum est:

Clausula valet certe etiam contra illas, si tales futurae sint ut eisdem condescendere non expediat; idque verum erit multo magis si Pontifex expresse interdixerit ne in posterum ulla consuetudo contra legem valere possit, aut decreverit consuetudinem contrariam tamquam irrationabilem vel tamquam abusum aut corruptelam esse habendam; quod tamen semper limitandum esset dummodo circumstantiae a Legislatore non praevisae rei statum mutaturae non sint, ut statim explico.

Non valebit autem clausula contra consuetudines in posterum subsecuturas, si propter circumstantias expediat ut approbentur, vel si expresse aut tacite iam approbatae fuerint. Idque verum esse potest quamvis in prima lege tamquam corruptelae et abusus reprobatae fuissent; ut enim mox innuebam, bene contingere valet quod, mutatis circumstantiis, consuetudo quae prius irrationabilis atque intolerabilis erat, postea rationabilis et nedum tolerabilis sed prorsus toleranda et permittenda evadat. Cf. Palao (*Tr. III. D*. III. *P*. IV. § II. 6.-10).

Sed de Legibus iam satis.

APPENDIX I.

NOVISSIMA DOCUMENTA AUTHENTICA CIRCA MODUM CONSULENDI CONSCIENTIAE EORUM QUI IN ITALIA BONA ECCLESIASTICA EMERUNT VEL REVENDIDERUNT VEL AFFRANCAVERUNT ETC.

I.

Facoltà concesse ai Vescovi, circa la composizione sui beni ecclesiastici.

2045. Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate Ordinario N. N. ad annum duraturam facultatem communicat Christifideles

1.° qui ecclesiae bona immobilia aut census aut iura sine eiusdem ecclesiae venia alienata acquisierunt;

2.° vel acquisierunt et postea vendiderunt;

3.° vel acquisierunt per emphyteusim;

4.° vel acquisierunt per emphyteusim et postea affrancaverunt;

5.° qui ut patroni vindicarunt beneficia ecclesiastica et capellanias;

6.° qui redemerunt legata pia;

7.° vel affrancaverunt canones et iura irredimibilia;

8.° qui decimas non solverunt:

9.° et horum omnium haeredes et quoscumque successores, quoties ob aliquam ex praedictis causis gubernio aut tertiis venditoribus solverunt, aut solvere debent non ultra triginta libellarum millia, et si de decimis sermo sit, dummodo debitum hanc summam non superet, et si agatur de emphyteusi aut alio simili contractu, dummodo canon seu praestatio, iuxta legem civilem computata, respondeat capitali summae quae itidem non excedat triginta libellarum millia; de intelligentia Ordinariorum, si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias repraesentant aliorumque interesse habentium, ad compositionem quae, considerato eorumdem fundorum seu iurium valore reali, pretio emptionis, actuali oratorum statu et eo in quo ipsi oratores cum damno ecclesiae ditiores facti sint, ratione praecipue habita onerum piorum si quae adsint, aliisque omnibus perpensis adiunctis, aequa videatur, de speciali gratia

admittendi. Ordinarius vero, quando agitur de fundis, in quibus aliqua sita est ecclesia, vel de rebus mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione qua tenentur faciendi sub directione Ordinarii pro tempore quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam ad usus profanos adhibendi, et has obligationes debitis modis notificandi suis haeredibus et successoribus. Nullum tamen documentum peractae compositionis tradat; quod si illud omnino exigatur, Episcopus per se poterit in scriptis id tantum declarare, eos omni obligatione conscientiae erga ecclesiam ratione fundorum, canonum etc. etc. exemptos et solutos esse.

2046. Per has litteras eidem Ordinario fit potestas hac ipsa ratione providendi etiam illis qui huiusmodi bona et iura acquirere, vendere, affrancare, vindicare et redimere postulabunt, etsi agatur de decimis, subducta computatione quae supra pro canonibus et praestationibus statuta est. Quin exinde praeter oratores eorumque haeredes et successores alii releventur; et quod ad patronos attinet, dimisso prorsus iure patronatus, et quin laesa censeantur iura investitorum si adsint.

2047. Praeterea eadem sacra Poenitentiaria praelaudato Ordinario facultatem concedit, sive per se, sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo ad hoc specialiter subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam ut supra se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas exinde quomodolibet inciderint, Apostolica Auctoritate absolvendi cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali, meliori quo fieri poterit modo, prudenti iudicio absolventis.

2048. Pecuniae summas ex compositione acceptas ipse Ordinarius quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum ad quas de iure pertinent, investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat.

2049. Circa fundos vero, seu iura quorum valor excedit triginta libellarum millia, recurrendum erit in casibus particularibus ad S. Sedem. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 24 Ianuarii 1890.

F. Segna *S. P. R.*

V. Luchetti S. P. Subs.tus

II.

Schiarimenti sulle predette facoltà.

E.mo Principe,

2050. Il sottoscritto Vescovo di C., affine di avere una sicura norma di condotta nell'avvalersi delle facoltà concessegli *ad annum*, con data del 24 Gennaro 1890, da cotesto Sacro Tribunale, circa la composizione sull'acquisto de' beni di Chiese, umilmente sommette all'E. V. i seguenti dubbii, supplicando perchè gli sieno risoluti:

I. Come dovrà regolarsi il Confessore, chiamato da un moribondo, che abbia fatto illecito acquisto di beni ecclesiastici, quando la composizione sui medesimi sia cosa difficilissima e piena di pericoli?

II. Quando la composizione non si possa subito effettuare, basta la promessa di farla al più presto, perchè un penitente possa essere assoluto dalle censure?

III. Quando sui fondi acquistati dal Demanio gravino dei pesi, l'offerta da farsi all'ente ecclesiastico che ha diritto su quei fondi, deve necessariamente esser tale da bastare per tutti i prefati pesi? E ciò, quand'anche il compratore non abbia fatto lucro sull'acquisto, ma perdita; ovvero si trovi in considerevoli dissesti finanziarii?

IV. Quando chi, dopo aver acquistato illecitamente un fondo di Chiesa, l'ha rivenduto, e non vi ha riportato lucro di sorta, lo si può assolvere, senza richiedere altro?

V. Chi ha svincolati i beni di una cappellania, potrà bastare che metta nelle mani del Vescovo una somma, donde si possano adempiere i pesi?

VI. E nel caso di una risposta negativa al dubbio precedente, può bastare la detta somma, almeno in quei luoghi, nei quali, per esimere la eredità dalle tasse governative, solevasi, nel passato secolo, tutta o quasi tutta l'eredità vincolare con pii legati, e con cappellanie, trasmettendosi così ai proprii eredi, con leggerissimi pesi?

VII. Chi non potesse, o non volesse comporsi, dopo tale svincolo, e volesse tenere i beni della Cappellania secondo la primitiva istituzione, con farne adempiere i pesi da chi vi sia chiamato, potrebbe ricevere l'assoluzione?

VIII. Nel caso precedente, può il Vescovo ridurre i pesi

medesimi, perchè il patrono sia compensato delle spese fatte per lo svincolo?

Che ecc.

2051. Sacra Poenitentiaria Ven.li in Ch.to Patri Episcopo scribenti ad proposita dubia respondet:

Ad I. Urgendam esse prudenter, et quoad fieri potest, compositionem: et si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit, vel ob alias rationabiles causas, satis esse si eam aegrotus haeredibus imponat, aut serio promittat se eam initurum si convaluerit.

Ad II. Affirmative, dummodo seria sit promissio, et interim removeatur scandalum.

Ad III Satis provisum per indultum circa compositionem.

Ad IV. Dummodo venditor, de quo in dubio, naturam ecclesiasticam fundi emptori non celaverit, et venditione nullum causae piae praeiudicium intulerit, absolvi posse, remoto, si adsit, scandalo, et imposita ei obligatione monendi emptorem, si fieri potest, ut consulat et ipse conscientiae suae.

Ad V. Rem diiudicandam esse in singulis casibus particularibus, iuxta normas Ordinariis traditas in indulto circa compositionem: praecipue vero efficiendum ut quoad fieri potest salva sint pia onera.

Ad VI. Rem remitti prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii, qui, in casibus particularibus, ad ea quae animadvertenda proponuntur in indulto compositionis, addere poterit quae in dubio proponuntur.

Ad VII. Affirmative, si stet institutioni capellaniae: hortandum tamen esse ut perpetuitati capellaniae cavere studeat; et nisi aliter id fieri queat, etiam per compositionem.

Ad VIII. Si agatur de iis qui, praehabita Ecclesiae venia, bona de quibus agitur vindicarunt et affrancaverunt, neque aliter compensari queant, Ordinarium posse reductionem temporaneam onerum impertire. Si vero agatur de iis qui nondum Ecclesiae veniam assequuti sunt et nunc eam petant, Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, facultatem facit Ordinario C. eamdem reductionem ad tempus et ad effectum, de quo supra, impertiendi.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 21. Martii 1890.

R. *Card.* Monaco *P. M.*

Hip. Can. Palombi *S. P. Secr.*

III.

Altre dichiarazioni sulle dette concessioni.

2052. L'arcivescovo di T., avendo conosciuto che le antiche facoltà *circa contractus initos de bonis Ecclesiae,* e l'altra *circa patronos* non sono più necessarie, perchè comprese nell'ultima rimessa *circa compositiones,* ha sommesso alla S. Peuitenzieria i seguenti dubbii per la opportuna soluzione:

I. La composizione è obbligatoria per tutti i compratori di beni ecclesiastici, oppure è libera in modo tale che si possa anche non fare?

II. Se non tutti sono disposti a farla, spesso per mancanza di mezzi, costoro si possono assolvere, e con quali condizioni?

III. Se si possono assolvere colle dovute condizioni, in forza di quali facoltà, giacchè in quella *circa compositiones*, si dà facoltà solo per coloro che si compongono?

2053. « Sacra Poenitentiaria Ven.li in Ch.to Patri Archie-
« piscopo scribenti ad proposita dubia respondet:

« Ad I. Emptores, detentores etc. hortandos esse ut ad com-
« positiones deveniant, cum hac ratione, prae ceteris, facilior
« illis exhibetur modus suae conscientiae consulendi.

« Ad II. Eos absolvi posse, qui nihil habent quo se compo-
« ponant, dummodo serio promittant se, cum primum poterint,
« ad compositionem deventuros, remoto interim scandalo.

« Ad. III. Provisum in praecedentibus.

« Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 21 Martii 1890.

« R. *Card.* Monaco *P. M.*

« Hip. *Can.cus* Palombi *S. P. Secr.* »

IV.

Ulteriori schiarimenti sulle medesime concessioni.

2054. L' Arcivescovo di T. propose gli altri seguenti dubbii alla S. Penitenzieria sulle novelle facoltà *circa compositiones*, supplicando che gli fossero risoluti.

I. Gl' *interesse habentes* si devono interrogare in iscritto, o si può anche *oretenus?*

II. Se trattasi di Monasteri di Monache o Capitoli, si devono raccogliere *capitulariter* per decidere e dare il voto, o basta anche interrogarli individualmente tutti o la maggior parte.

III. I membri delle Comunità o dei Capitoli, che s' interrogano sia *capitulariter*, sia *individualiter*, si possono obbligare al secreto con qualche censura *ipso facto incurrenda?*

IV. I possessori e compratori che potrebbero fare la composizione, ma non vogliono, sia perchè turberebbe i loro interessi, sia per altre ragioni, ma sono *parati standi mandatis Ecclesiae*, si possono assolvere?

V. Nell' ipotesi affermativa, con quali condizioni?

VI. Nell' ipotesi negativa, come debbono essere trattati, specie *si tempus urget?*

2055. « Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, « Ven.li in Ch.to Patri Archiepiscopo scribenti respondet:

« Ad I. Ordinarius agat prout tutius et prudentius in singulis « casibus in Domino iudicaverit expedire.

« Ad II. Affirmative ad primam partem dubii: secus recur- « rendum esse in casibus particularibus.

« Ad III. Negative.

« Ad IV. Ii qui iam subscripserunt notis conditionibus hor- « tandi sunt ut se componant: ii vero qui nondum huiusmodi « conditionibus subscripserunt, ad compositionem prudenter « urgendi sunt.

« Ad V. Provisum in praecedenti.

« Ad VI. Provisum per responsionem iam praelaudato Ar- « chiepiscopo datam die 21 Martii h. a. ad dubium secundum.

« Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 14 Maii 1890.

« R. *Card.* Monaco *P. M.*

« Hip. *Can.cus* Palombi *S. P. Secr.* »

V.

Nuovi schiarimenti sulle esposte concessioni.

Eminentissimo Principe,

2056. Il sottoscritto Vescovo di C. si rivolge novellamente a cotesto Sacro Tribunale, umilmente supplicando che gli sieno chiariti i seguenti dubii, concernenti le ultime facoltà *circa compositionem:*

I. Nel foglio, contenente le prefate facoltà, sta detto che può il Vescovo ammettere alla composizione coloro *qui Ecclesiae bona immobilia, aut census, aut iura, sine eiusdem Ecclesiae venia, alienata, acquisierunt.* Quel SINE ECCLESIAE VENIA ALIENATA può intendersi di indebite alienazioni fatte, tanto da chi usurpò quei beni, quanto da chi lecitamente li amministrava?

II. Nel medesimo foglio si concede ai Vescovi di ammettere alla composizione coloro *qui affrancaverunt canones et iura irredimibilia.* Vale ciò pure pei canoni e diritti ecclesiastici *redimibili*, affrancati dalle mani del Governo?

III. Possono parimenti ammettersi alla composizione, nelle proporzioni stabilite, coloro che abbiano imposte, ovvero che vogliano imporre ipoteche su fondi ecclesiastici indebitamente acquistati?

IV. E, nel caso affermativo, basta, tanto pei primi, quanto pei secondi, la seria promessa di comporsi colla Chiesa, quando vorranno avvalersi dei diritti ipotecarii, colla espropriazione dei fondi?

V. Nell' enfiteusi temporanea, trattandosi di coloni, che si obbligano di pagare canoni gravosi, e di migliorare i fondi a proprie spese, col pericolo che, non pagando le pattuite prestazioni, perderebbero il fondo e le fatiche, potrà bastare, per essere assoluti, la seria promessa di comporsi colla Chiesa o quando comincieranno a far positivo guadagno sulle migliorie, ovvero quando sarà dato loro di affrancare il fondo?

VI. Chi abbia acquistato, pagandone il giusto prezzo, un fondo di cappellania laicale, dalle mani di un patrono che, senza la debita venia, lo svincolò dal Governo, può essere ammesso alla composizione, e con quali condizioni?

VII. Il patrono che abbia svincolati i beni di una cappellania, può essere assoluto colla seria promessa di fare adempire i pesi vita sua durante, e di lasciare, per testamento, dopo morte, una somma conveniente da mettersi nelle mani del Vescovo?

VIII. Le prefate facoltà sono limitate alle composizioni sui fondi che non oltrepassano il valore di lire trentamila *ob aliquam ex praedictis causis.* Siffatta limitazione deve intendersi per ciascun fondo che siasi acquistato: ovvero per tutti i fondi che una persona abbia acquistato?

IX. Per compiere la composizione, richiedesi il consenso dei rappresentanti delle cause pie. Or se il dissenso fosse evidente-

mente irragionevole, potrebbesi nondimeno procedere alla composizione?

X. Trattandosi di Comunità religiose disciolte, basterà il consenso del solo Provinciale?

XI. Se i rappresentanti delle cause pie sono illegittimi, cioè non riconosciuti, nè dipendenti dalla Chiesa, si può fare a meno del loro consenso per le composizioni?

XII. Sarà poi necessario il consenso, nel caso che alcuni di essi solamente siano in regola colla Chiesa, ed altri no?

XIII. Le somme ricevute per le composizioni, se appartengono a cause pie di altre Diocesi, possono inviarsi ai Vescovi delle medesime, perchè le investano a vantaggio delle dette cause, conservandole a disposizione della S. Sede?

XIV. Se appartengano ad Ordini religiosi, possono le dette somme inviarsi ai rispettivi Superiori Provinciali o Generali?

XV. Ai Vescovi si concede di suddelegare ad altri la facoltà di assolvere dalle censure. Questa speciale facoltà può suddelegarsi *habitualiter* come nelle concessioni precedenti, ovvero deve ciò farsi *in singulis casibus*?

XVI. La facoltà di assolvere *a censuris et poenis ecclesiasticis*, *in quas exinde quomodolibet inciderint*, si estende pure, come in altre concessioni, alla dispensa dalla irregolarità, pei sacerdoti che abbiano violate quelle censure?

2057. Sacra Poenitentiaria ad proposita dubia respondet:

Ad I. Episcopus scribens clare se explicet.

Ad II. Quando agitur de censibus et iuribus ecclesiasticis natura sua redimilibus, et gravantibus fundos legitime possessos, redemptores solvere tenentur Ecclesiae id tantum, quod in redemptione lucrati sunt.

Ad III. et IV. Eos de quibus in III° et IV° dubio, indigere quidem Ecclesiae venia ut hypothecas in fundis ecclesiasticis imponere valeant; sed in indulto circa compositionem non comprehendi.

Ad V. Recurrendum esse in singulis casibus.

Ad VI. Affirmative, iuxta normas, in indulto compositionum traditas.

Ad VII Urgendam esse compositionem, ad formam indulti.

Ad VIII. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad IX. Recurrendum esse in singulis casibus.

Ad X. Examinandos esse singulos casus.

Ad XI. Provisum in indulto.

Ad XII. Provisum in praecedenti.
Ad XIII. Huiusmodi summas esse trasmittendas.
Ad XIV, Examinandos esse singulos casus.
Ad XV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.
Ad XVI. Negative.
Datum Romae in Sacra Poenitentiaria, die 18 Iunii 1890.

R. *Card.* Monaco *P. M.*

Hip, *Can.cus* Palombi *S. P. Secr.*

Notantur praecipuae harum regularum consequentiae.

2058. I. Tempore anteacto duo aderant modi consulendi conscientiae emptorum. Primus erat *declaratio*, qua emptor se obligabat ad non alienandos fundos emptos, ad satisfaciendum oneribus, ad subveniendum entibus moralibus quibus fundi spectabant, et denique ad monendos haeredes de his obligationibus. Secundus erat *compositio*, qua emptor, conventione facta cum dictis entibus moralibus eisque quadam summa soluta atque obtenta sanctione Apostolica, dominium liberum et absolutum fundorum emptorum acquirebat (salvis tamen semper iuribus Ecclesiae contra Gubernium etc.). Nunc autem distinguendum est inter illos qui declarationem iam fecerunt, et illos qui neque declarationem neque compositionem adhuc fecerint.

II. Qui declarationem fecerint, promissis in eadem stare tenentur, et S. Sedes nunc nihil aliud ab iisdem exigit, sed solum illos hortatur ut ad compositionem deveniant (*cf. n.* 2055. *ad IV*).

III. Qui declarationem non fecerint, ad illam amplius recurrere nequeunt, sed sola compositione suae conscientiae consulere possunt (*l. c.*).

IV. Ad compositionem exequendam recursus ad S. Sedem non amplius exigitur, sed (nisi agatur de capitali complexivo triginta libellarum millia excedente) approbatio Ordinarii (iuxta regulas *n.* 2045. 9° indicatas) sufficit. Dixi *de capitali complexivo;* et de hoc vide *n.* 2057 *ad VIII.*

V. Ordinarius potest etiam concedere ut (sub compositione) huiusmodi bona emantur, vendantur, affrancentur, redimantur etc. (*Cf. n.* 2046).

VI. Quomodo determinanda sit summa solvenda ab eo qui compositionem perficere intendit, optime declaratur ab egregia effemeride *il Monitore Ecclesiastico* (*VI.* II. *pag.* 84), ubi sequentia leguntur:

« Ecco intanto i criterii che devono tenersi presenti sull'as-
« segnazione dell' equa offerta:

« *a*) Il valore reale dei fondi o dei diritti. Se questi valgono
« molto, l' offerta non deve essere esigua; e viceversa.

« *b*) Il prezzo di acquisto. Se fu inferiore al valore reale,
« la differenza deve andare a benefizio della Chiesa.

« *c*) L' attuale stato degli oratori. Se si può scemare l' of-
« ferta di coloro che poco, o quasi nulla posseggono, o pos-
« seggono molto, ma gravato da molti debiti, non si può sce-
« mare l' offerta de' benestanti che vivono con agiatezza.

« *d*) Ciò di cui si avvantaggiarono a danno della Chiesa.
« V' ha chi dai fondi o dai diritti acquistati, avendoli migliorati
« considerevolmente con leggiere fatiche o poche spese, ne ha
« ricavato vantaggi non lievi. Costui dovrà in proporzione au-
« mentare l' offerta.

« *e*) I pesi di opere pie che gravino sui fondi. Fa d' uopo
« ricercare diligentemente se sopra i fondi gravino siffatti pesi,
« i quali, togliendosi dai fondi, verrebbero a gravare sull' of-
« ferta. Questa perciò, dovrebbe possibilmente esser tale da
« bastare pei detti pesi.

« *f*) Tutti gli altri aggiunti degni di considerazione. Oltre
« le prefate circostanze, possono esservene altre ancora, che
« debbono tenersi presenti. Per esempio, se si tratti di persona
« molto benemerita della Chiesa; ovvero di chi altrimenti po-
« trebbe molto danneggiarla; o anche di chi, regolarizzando la
« sua coscienza, sarebbe di grande eccitamento agli altri. Con
« questi, crediamo che si possa operare con più indulgenza ».

Sono questi i criterii generali assegnati dalla S. Penitenzieria. Mette ora bene ch' esaminiamo ancora i casi particolari, onde alcuno debba comporsi.

Trattandosi dell' acquisto di beni immobili, o di diritti, può darsi che si sieno pagati più del giusto o per passioni di gare nelle subaste, ovvero perchè quei beni tornavano per speciali ragioni singolarmente utili al compratore. Quando ciò fosse avvenuto, non sarebbe il caso di scemare l' offerta per l' eccesso del prezzo sborsato.

Chi, dopo aver comprato un fondo, l' ha rivenduto, regolarmente dovrebbe dare alla Chiesa quello in cui si è avvantaggiato, non solo rispetto al prezzo, ma sì ancora in riguardo ai frutti ed a qualunque altra cosa.

L' acquisto per enfiteusi, quanto all' offerta da farsi, non deve ragguagliarsi alla compra. Non recando all' acquirente che solo

una metà di dominio, l'offerta può essere anche molto diminuita in paragone dell'altro acquisto.

Lo stesso deve dirsi di chi abbia affrancato un fondo enfiteutico che prima possedeva. Egli avea già sul fondo una metà di dominio, cioè l'utile: coll'affrancazione vi acquista l'altra metà, cioè il diretto.

Chi abbia rivendicati i fondi dei benefizii, o svincolati i beni delle cappellanie dovrebbe, regolarmente, fare alla Chiesa una offerta eguale al valore dei fondi, detratte le sole spese sopportate per la rivendicazione o lo svincolo. Si può anche detrarre qualche altra cosa pel diritto di patronato che si ha obbligo di smettere. I fondi beneficiali infatti non sono privati, nè si acquistano per eredità: furono dati a Dio, per le opere pie da compiere e pel sostentamento de' suoi ministri. — Nondimeno, trattandosi di cappellanie o di legati familiari, col diritto di patronato attivo, e passivo, quando vi siano stati imposti pochi pesi, si può giudicare che fu volontà dei testatori che delle rendite largamente ne usufruissero i proprii eredi, ed in tal caso l'offerta può ancora più scemare. Non dovrebbe però essere mai tale, da non bastare per l'adempimento dei pesi.

Coloro che affrancarono canoni e diritti ecclesiastici, regolarmente debbono alla Chiesa quel tanto di meno che pagarono al Governo, il quale, per agevolare siffatte affrancazioni, abbonò una parte della sorte principale.

Quei che non pagarono le decime, anch' essi dovrebbero dare tutto ciò che non diedero. Nondimeno ancora qui possono applicarsi i criterii generali, e quello sopratutto che, trattandosi di *composizione,* e non di *soluzione,* si ammette una qualche riduzione di ciò che si deve.

Quello che si è detto di coloro che indebitamente acquistarono, affrancarono, o rivendicarono beni o diritti di Chiese, dicasi pure, di coloro che chieggono di far ciò colla debita venia. Crederemmo però che a questi, più che a quelli, possano farsi delle agevolazioni sulla offerta.

In riguardo ai fondi con entrovi qualche chiesa, o di cose mobili, come vasi sacri, o sacre suppellettili, la S. Sede espressamente vuole che i supplicanti oralmente siano avvertiti dell' obbligo che loro corre, di far ciò che possono, sotto la direzione dell' Ordinario, per la conservazione dei sacri edifizii e dei templi; e di non mai adibire in usi profani le cose sacre; come ancora di notificare nei debiti modi tutto ciò ai proprii eredi e successori.

APPENDIX II.

DOCUMENTA AUTHENTICA CIRCA IUDICES ET SYNDICOS PRONUNTIANTES DIVORTIUM IN GALLIA.

I.

2059. A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et U. I. proposita sunt:

In epistola S. R. et U. I. 25 Iun. 1885 ad omnes in Gallica Ditione Ordinarios circa civilis divortii legem ita decernitur: — Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adiunctis, tolerari posse ut qui magistratus obtinent et advocati, causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur; conditiones adiecit, quarum secunda haec est: Dummodo ita animo comparati sint, tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam, neque ad proferendam defendant, vel ad eam provocent vel excitent, divino aut ecclesiastico iuri repugnantem.

Quaeritur I. An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, iuxta quam satisfacit conditioni praecitatae Iudex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti animo abstrahit, et applicans legem civilem pronunciat locum esse divortio, modo solos effectus civiles *solumque contractum civilem abrumpere mente intendat*, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis: an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico iuri repugnans? II. Postquam Iudex pronunciaverit locum esse divortio, an possit Syndicus et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia? III. Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus coniugem ad alias nuptias transire attentantem, civiliter cum alio iungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia, vivatque altera pars?

Feria V. die 27 Maii 1886 E.mi ac Rev.mi DD. rescribi mandarunt: — Ad primum, secundum, et tertium dubium: *Negative*. Sanctitas Sua resolutiones EE. PP. approbavit et confirmavit.

II.

2060. Nuntius Apostolicus in Belgio (14 Sept. 1886) declaravit: « Son Eminence (le Card. Secrét. d'État) vient de me faire savoir, d'apres les ordres « de Sa Saintité, que la Congregation du Saint-Office à declaré, que le Decret « du 27 Mai ne concerne pas le Belgique; et que par coséquent, rien est modifié en ce pays en ce touche la matière du divorce ».

III.

2061. Iudex quidem Gallus, olim theologiae cultor, Confessarium adit, variisque peccatis mortalibus declaratis, subiungit: « De sententiis a me latis in « materia divortii civilis nihil est quod dicam, pater. Soleo enim divortium ci- « vile declarare quotiescumque adsunt motiva gravissima sive ex parte mea sive « ex parte eorum qui ad me causam deduxerunt » — « Prave actum, reponit Sa- « cerdos, neque decisionem legisti qua nuper (27 Maii 1886) Congregatio ge- « neralis S. R. et U. Inquisitionis iudices ita agere vetuit » — « Imo hanc « plane novi, pater, neque tamen me peccasse existimo propter sequentes « rationes: 1. Novisti et tu, pater, responsum nomine SS. Pontificis Gubernio « Belgii recentius datum a Nuntio Apostolico. Porro actus in Belgio toleratus « et in Gallia tolerari potest, concurrentibus iisdem circumstantiis, nisi certo « afferatur prohibitio positiva SS. Pontificis, quae per simplicem approbationem « decreti SS. Officii minime constituitur. 2. Non concordant Theologi circa « huiusmodi decisionum valorem. 3. Denique, et hic est rei praecipuus cardo, « in propositione ex vario capite iustissime damnata (27 Maii 1886) ne unum « quidem verbum legitur *de gravissimis rationibus*, quae sive ex parte iudicis, « sive ex parte postulantium occurrere poterunt. Quum igitur opinionibus vere « probabilibus liceat uti, et rite dispositus, ut confido, peccata mortalia tibi « declaraverim, humilis te rogo, pater, absolutionem mihi impertire velis, ad « quam ex omnium doctrina ius habeo ».

Confessarius adlaborat ut poenitentem inducat ad deponendam talem sententiam, sed frustra. Aliunde rationibus, quas protulit Iudex, motus non audet sententiam suam illi imponere, et poenitentem absolutum in pace dimittit.

Quaeritur: Utrum Confessarius recte egerit? An absolutionem denegare debuisset?

Resp. — Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondet Confessarios teneri circa quaestionem propositam Iudices dirigere iuxta recentes declarationes a S. Sede editas.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 4 Aprilis 1887.

R. Card. Monaco P. M.

(*Apud Ephemeridem* L'Avvisatore Eccl. *An. IX. pag. 257*).

IV.

2062. Quoad Syndicum in Italia assistentem Matrimonio personae ligaminis impedimento coram Deo et Ecclesia adhuc subiectae habemus responsum ad quemdam Episcopum (*28 Nov. 1883*) sequentis tenoris (*versio latina*): « Exposui E.mo Poenitentiario Maiori casum Syndici Dioecesis istius qui vi « officii sui assistere deberet matrimonio civili cuiusdam coram Ecclesia liga- « minis impedimento affecti. Iussu ipsius E.mi D.ni respondeo eundem Syndi- « cum nullo modo se praestare posse ad actum sanctitati matrimonii adeo « contrarium. Hinc, quaecumque demum sint circumstantiae casus, a tali as- « sistentia absolute abstinere debet, etsi futurum esset ut officio cedere coge- « retur ». *Apud cl. Bucceroni* (*Enchir. pag. 52*).

V.

2063. N... Lucionensis, cuius matrimonium validum fuit coram Ecclesia, divortium postulavit, iuxta nefandam legem quae nunc viget in Gallia, iamque iudices civiles pronuntiarunt locum esse divortio. — Coniux N..., ut fert art. 264 legis praedictae, mox se sistet cum alio coniuge coram Syndico, ut ille pronuntiet divortium. Si autem Syndicus pronuntiare recusaverit, absque dubio magistratu spoliabitur, quod valde periculosum erit rei catholicae, cuius strenuum defensorem Syndicus ille se semper probat.

Quaeritur an, propter gravissimas circumstantias rerum, temporum ac locorum, ille Syndicus possit pronuntiare divortium civile, modo:

1. Catholicam doctrinam de Matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos iudices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteatur;

2. In ipsa sententia, et tanquam magistratus loquens, publice declaret se solos effectus civiles solumque civilem contractum abrumpere velle, aliunde vinculum matrimonii omnino firmum remanere coram Deo et conscientia?

Sacra Poenitentiaria Ven. in X.to Patri Episcopo Lucionen. ad praemissa respondet, eundem in hoc casu particulari, si inspectis omnibus eius adiunctis ita in Domino expedire iudicaverit, tolerare posse, ut Syndicus orator ad actum de quo in precibus procedat cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut loco verborum: *Solumque civilem contractum abrumpere velle,* ponat, *solumque civilem contractum spectare posse.*

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 24 Septembris 1887.

R. *Card.* Monaco *P. M.*

VI.

E.me R.me D.ne

2064. Ioannes Ludovicus Robert Episcopus Massiliens. Sacram E. tuae Purpuram deosculans humiliter exponit ut infra:

Repetitis licet vicibus Sanctae Sedis oraculum quid sentiendum sit declaraverit de actu civilis Iudicis divortii sententiam inter coniuges ferentis legitimo matrimonio coram Ecclesia inito coniunctos, Theologorum in Galliis imo et Episcoporum, unus in interpretandis SS. Congregationum decretis non est sensus. Maior etiam animorum confusio facta est ex quo publicae Ephemerides S. Poenitentiariae responsum evulgarunt, die 24 Septembris 1887 Episcopo ordinario Lucionensi datum, nimirum Syndicum in casu, praemissis utique debitis declarationibus, divortium pronuntiare tolerari posse. Quod responsum in Periodico *Le canoniste contemporain,* scriptor aliquis ita interpretatus est ac si decreto aequivaleret permittenti generatim Syndico, ut praemissis debitis declarationibus, divortium in casu simili pronuntiet. Et aliunde ex quo idem re-

sponsum publici iuris factum est magis magisque invaluit opinio actum Iudicis divortii sententiam ferentis atque Syndici illud pronuntiantis, dummodo praemittantur praescriptae declarationes, non esse iuri divino contrarium nec proinde malum intrinsecum.

Quapropter praedictus Orator utpote quia hucusque oppositam sententiam ex decretis a S. R. U. Inquisitione hac de re latis, tamquam unice veram tenebat et docebat, supplex, ut propriae in obeundo episcopali suo munere conscientiae consulat, responsum super duplici sequenti dubio exspostulat:

I. Utrum ex memorato S. Poenitentiariae ad Episcopum Ordinarium Lucionens. rescripto deducere liceat: universim Syndicos in Gallia qui secus officio suo cedere cogerentur, praemissis debitis declarationibus, divortium inter coniuges in facie Ecclesiae ligatos, tuta conscientia pronuntiare posse?

II. Utrum idem dici valeat de Iudice civili inter similes coniuges, et sub iisdem declarationibus, divortii sententiam ferente?

Signatus: Massiliae die 25 Aprilis 1890.

✠ Ludovicus Robert Episcopus Massiliens.

— Sacra Poenitentiaria mature consideratis expositis, ad proposita dubia respondet:

Ad primum, Sacram Poenitentiariam in rescripto de quo agitur edendo, id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro eius circumstantiis et exigentiis provideret.

Ad secundum, Negative.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 4 Iunii 1890.

R. Cardinalis Monaco. P. M.

Hip. Canonicus Palombi S. P. secret.

N. B. Quid inferendum ex his documentis? Meo sensu, ex documentis II. et V. infertur, de re quae certe sit intrinsece mala minime agi. Ex aliis autem infertur agi de re gravissimi momenti, quae perniciosissimas habet consequentias, quaeque proinde difficillime licere possit.

INDEX

HUIUS PRIMI VOLUMINIS.

INTRODUCTIO . . . . pag. III.
CAPUT I. De Sacramento Poenitentiae . . . » 1
Articulus I. De actibus poenitentis nempe de contritione, confessione et satisfactione . . . » ibi
» II. De approbatione et iurisdictione . . » 13
» III. De reservatione . . . . . . » 15
» IV. De iurisdictione sublata quoad complicem » 22
» V. De obligatione audiendi confessiones . » 25
» VI. De officiis confessarii . . . . . » 26
§ I. De officio patris . . . . » ibi
§ II. De officio medici . . . . » 27
§ III. De officio doctoris . . . . . . » 35
§ IV. De officio iudicis . . . . » 43
Punctum I. De interrogationibus . . . » ibi
» II. De absolutione danda, vel differenda, vel deneganda . . . . » 49
» III. De iniunctione et commutatione poenitentiae sacramentalis . . . . . » 60
Articulus VII. De forma et ritu Sacramenti Poenitentiae » 64
» VIII. De confessione generali, quasi generali, aut annuali . . . . » 65
» IX. De advertentiis specialiter adhibendis quoad varia poenitentium genera. . . » 80
§ I. Quoad viros . . . . » ibi
§ II. Quoad foeminas . . . . » 81

§ III. Quoad personas pias . . . . pag. 82

§ IV. Quoad Moniales . . . . » 91

§ V. Quoad Sacerdotes . . . . » 96

Articulus X. De sigillo et de usu scientiae confessionis » 97

§ I. De sigillo . . . . » ibi

Punctum I. De natura sigilli . . . . » ibi

» II. De licentia quae a poenitente dari debet, ut Confessarius de auditis in confessione loqui possit . . . . » 98

» III. De materia sigilli . . . . » 99

» IV. De violatione directa . . . . » 102

» V. De violatione indirecta . . . . » 103

» VI. De poenis contra violantes sigillum . » 106

» VII. De fractione sigilli cum poenitente solo » 107

§ II. De usu scientiae confessionis . . . . . » 108

Articulus XI. De corrigendis erroribus, qui forte in administrando Sacramento Poenitentiae commissi fuerint . . . . » 109

» XII. De bonitate confessarii . . . . . . » 112

» XIII. De sollicitatione . . . . » 113

§ I. Notiones generalissimae . . . . . . » ibi

§ II. De persona sollicitante . . . . . . » ibi

§ III. De persona sollicitata . . . . . . » 114

§ IV. De sollicitatione considerata in se, nempe praescindendo a circumstantiis temporis aut loci, in quibus accidere debet . . . . » ibi

§ V. De circumstantiis temporis et loci, in quibus accidere debet sollicitatio, ut vi Bullae denuncianda sit . . . . » 116

Punctum I. De clausula - Actu sacramentalis confessionis » ibi

» II. De clausulis - Ante et immediate post confessionem . . . . » 117

» III. De clausula - Occasione confessionis . » 118

» IV De clausula - Praetextu confessionis. » 119

» V. De clausula - Etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem . . . . » 120

§ VI. De sollicitationibus actu vel loco confessionis inchoatis, sed poenitente non advertente, et solum postea cognitis . . . . . . » 121

§ VII. De modo exequendi denuntiationem . . pag. 122
§ VIII. Quo tempore et sub qua poena denuntiatio peragi debeat . . . . » 127
§ IX. De iis qui sollicitationis perpetratae notitiam quidem habent, sed ipsi personaliter sollicitati non fuerunt . . . . » 128
§ X. De causis a denunciatione excusantibus . . » 129
§ XI. De obligatione Confessarii admonendi poenitentem, ut sollicitationis denunciationem exequatur » 134
§ XII. De auxilio praestando a Confessario poenitenti in casibus sollicitationis . . . . . » 138
§ XIII. De accusatione calumniosa . . . . . » ibi
CAPUT II. De officio Parochi eiusque iuribus . . » 140
Articulus I. De officio Parochi . . . . . . » ibi
§ I. De residentia . . . . » 141
§ II. De Missa pro populo celebranda . . . . » 158
§ III. De obligatione orandi pro populo . . . » 165
§ IV. De obligatione sermonem habendi ad populum » 166
§ V. De instructione et cura puerorum . . . » 178
§ VI. De Sacramentis - Quoad ea quae praecise ad solum parochum spectant . . . . » 186
Punctum I. De parocho quoad baptismum . . » ibi
» II. De parocho quoad sacramentum confirmationis . . . . » 190
» III. De parocho quoad sacramentum Eucharistiae in ecclesia administrandum . . » ibi
» IV. De parocho quoad sacramentum Poenitentiae in ecclesia administrandum . . . » 193
» V. De parocho quoad primas infirmorum visitationes, et sacramentum Poenitentiae iisdem administrandum . . . . . » 196
» VI. De parocho quoad SS. Eucharistiam infirmis administrandam . . . . . » 211
» VII. De parocho quoad sacramentum Extremae Unctionis . . . . » 222
» VIII. De parocho quoad sacramentum Ordinis Sacri . . . . » 227
» IX. De parocho quoad sacramentum Matrimonii . . . . » 229
§ VII. De parocho quoad assistentiam moribundis praestandam . . . . » 270
Appendix. De parocho quoad ecclesiasticam sepulturam

et alia officia defunctos respicientia . pag. 278
§ VIII. De parocho quoad vigilantiam et correctiones » 291
§ IX. De parocho quoad scandala e medio tollenda. » 302
§ X. De parocho quoad discordias sopiendas et pacem inter inimicos componendam . . , » 304
§ XI. De parocho quoad adiutores sibi adiungendos, et speciatim quoad vicarium, seu (ut nos dicimus) capellanum . . . . . » 305
§ XII. De parocho quoad scandalum non dandum, bonum exemplum praebendum, et existimationem sibi procurandam . . . . . » 308
§ XIII. De parocho quoad benevolentiam et confidentiam sibi procurandam . . . . . » 320
§ XIV. Notantur aliqua in particulari quoad pauperes » 327
§ XV. Notantur aliqua in particulari quoad divites . » 331
§ XVI. Nonnulla valde laudabilia, quae a parochis vero zelo praeditis cum magno fructu adhiberi solent. . . . . » 332
§ XVII. De parocho quoad relationes cum Episcopo » 335
§ XVIII. De parochialibus libris, regestis, documentis, instrumentis, etc. et de archivio . . » 339
§ XIX. De parocho quatenus est custos atque administrator rerum ecclesiae et beneficiatus . » 340
§ XX. De parocho quoad officium rectoris ecclesiae. » 346
§ XXI. De parocho quoad relationes cum aliis parochis et sacerdotibus suae congregationis seu plebanatus . . . . . . » 350
§ XXII. De parocho quoad suam ipsam domum et familiam . . . . » 351
§ XXIII. De nupero parocho . . . . . » 353
Appendix. De obligationibus vicarii seu capellani . » 355
Articulus II. De iuribus parochi. . . . . » 357
§ I. Iura parochi quoad baptismum . . . . . » ibi
§ II. De iure parochi quoad sacramentum poenitentiae » 358
§ III. De iure parochi quoad SS.mae Eucharistiae administrationem . . . . » 359
§ IV. De iure parochi quoad Extrèmam-Unctionem » 362
§ V. De iure parochi quoad matrimonium . . » ibi
§ VI. De iure parochi circa funera pro casibus ordinariis parochianorum in paroecia obeuntium . » 363
§ VII. De iurisdictione parochorum speciatim circa Sacramenta et sepulturam in pluribus casibus

speciali animadversione indigentibus . pag. 375
§ VIII. De iure parochi exigendi ut parochiani a se ipso exclusive Sacramenta recipiant vel ad paroeciam se conferant . . . . . » 398
§ IX. De iure parochi quoad functiones faciendas aut impediendas, sive in ecclesia propria, sive in aliis ecclesiis aut oratoriis quae forte intra fines suae paroeciae existant . . . » 399
Decretum emissum a S. R. C. (10 Dec. 1703) circa iura parochialia, functiones et praeeminentias inter parochos et confraternitates laicorum earumque capellanos et officiales . . » 403
§ X. De parocho binante, scilicet bis Missam celebrante » 407
§ XI. De iure parochi quoad dispensationes . . » 412
§ XII. De iure delegandi, et de facultate vicarium eligendi . . . . » 414
§ XIII. De potestate oeconomi, coadiutoris et vicarii parochialis . . . . » 416
§ XIV. De iure parochi interveniendi synodo dioecesanae . . . . » 419
§ XV. De iure parochi quoad decimas, primitias, aliasve praestationes . . . . . . » ibi
§ XVI. De iure parochi quoad oblationes . . . » 427
§ XVII. De iure parochi quoad administrationem bonorum temporalium paraeciae suae . . » 433
§ XVIII. De iure parochi, si forte pensionibus gravetur, eas imminuendi, attenta scilicet, ob praesentes vicissitudines, reddituum diminutione » 436
§ XIX. De iure parochi quoad fructus praebendae suae » 440
CAPUT III. De theologia morali eiusque studio . » 448
» IV. De legibus . . . . . » 453
Articulus I. De legis essentia seu definitione, divisionibus et distinctionibus . . . . . » ibi
» II. De variis legum speciebus notiones generalissimae . . . . » 454
Punctum I. De lege divina . . . . . » ibi
» II. De lege humana . . . . . . » 455
§ I. De lege ecclesiastica . . . . . . » ibi
§ II. De lege civili . . . . » 456
Articulus III. De auctore legum humanarum, seu de iis qui valide legislatores esse possunt . » 457
» IV. De promulgatione legis, et de tempore quo

lex effectum habere incipit . . . pag. 460
ARTICULUS V. De legis validitate . . . . . » 462
» VI. De consuetudine quae legem facit . . » 465
» VII. De interpretatione legis . . . . » 468
Punctum I. Notiones generales . . . . . . » ibi
» II. De interpretatione doctrinali . . » 470
» III. De interpretatione auctoritativa . » 476
ARTICULUS VIII. De legum effectibus . . . . » 482
» IX. De legis subiecto . . . . » 488
» X. De modo legi vel quibuslibet obligationibus satisfaciendi . . . . . . » 496
» XI. De causis quae ab obligatione aliisque legis effectibus excusant . . . . . » 504
§ I. Quomodo ab effectibus legum excuset ignorantia, error, oblivio, inadvertentia et dubium. » 505
§ II. Quomodo a legum effectibus impotentia et difficultates excusare possint . . . . » 509
ARTICULUS XII. De causa eximente migrando ad locum ubi lex non viget . . . . . » 515
» XIII. De mediis ad legem adimplendam adhibendis, impedimentis removendis, et causis in contrarium non apponendis. . . » 518
» XIV. De privilegio . . . . . . » 523
QUAESTIO INCIDENS. De iurisdictione . . . » 532
Punctum I. Agitur in genere de iurisdictione . . » ibi
» II. Agitur de distinctione inter iurisdictionem ordinariam et delegatam . . . . » 538
ARTICULUS XV. De dispensatione . . . . . » 547
§ I. De dispensationis natura . . . . . » ibi
§ II. De dispensationis obiecto . . . . . » 550
§ III. De dispensationis auctore . . . . . » ibi
A. Exponuntur quaedam generalia . . . . » ibi
B. De potestate dispensandi in summo Pontifice . » 551
C. De potestate dispensandi in Episcopis . . . » 552
D. De potestate dispensandi in Vicariis Capitularibus » 557
E. De potestate dispensandi in Vicariis Generalibus » ibi
F. De potestate dispensandi in Regularibus . . » 559
G. De potestate dispensandi in Parochis . . . » 560
H. De potestate dispensandi in Confessariis . . » 561
§ IV. De causis requisitis ut dispensatio sit licita, et valida. . . . . » 562
§ V. De obligatione dispensandi . . . . . » 576

§ VI. De interpretatione dispensationis et facultatis dispensandi . . . . pag. 577
§ VII. De subiecto dispensationis . . . . . » 578
§ VIII. De dispensationis cessatione . . . . . » 585
ARTICULUS XVI. De legis cessatione . . . . . » 590
Appendix I. Novissima documenta authentica circa modum consulendi conscientiae eorum qui in Italia bona ecclesiastica emerunt, vel revendiderunt, vel affrancaverunt etc. . . . » 601
» *II.* Documenta authentica circa Iudices et Syndicos pronuntiantes divortium in Gallia . » 612

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

Cum permissu Auctoritatis Ecclesiasticae.

---

3 5282 00175 9920

DATE DUE			

BX1759
B44x
Vol, 1

STACKS BX1759.B44x vol. 1
Berardi, Aemilio.
Examen confessarii et parochi, seu, Comp
3 5282 00175 9920